

ACTA
ERUDITORUM,

ANNO
M DCC XXVI.

publicata.

*Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol.
atque Electoris Saxoniae Privilegiis.*

LIPSIÆ,

Prostant apud JOHAN. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.

ET

THOMAM FRITSCHIUM.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.
A. M DCC XXVI.

No. I.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCC XXVI.

THESAURUS MONUMENTORUM ECCLE-
siasticorum & Historicorum, sive HENRICI CANISII

Lectiones Antiquæ, quibus Prefationes Histori-
cas &c. adjecit IACOBUS BASNAGE.

Tom. II. Pars I. II. III.

Antverpiæ, apud Rudolphum & Gerhardum Wetstenios, 1725, f.
Alphab. 14 plag. 7.

Qua fide obstricti tenemur Lectori Benevolo, eam li-
beraturi, postquam, quæ Veterum scripta in primo hujus
Thesauri Volumine suo se ordine excipiant, mense
superiori exposuimus, jam de præsentis dicemus. Tri-
bus potissimum Partibus absolvitur, qui hic sistitur,
Operis hujus Tomus secundus, prima illarum exhibente scripto-
res, qui octavo, secunda & tertia eos, qui nono post Christi
nativitatem Seculo aut christianæ Religionis veritatem adversus
infideles & hæreticos assertum iverunt, aut aliis pro commodis
Ecclesiæ scriptis inclaruisse, dicendi sunt. Inter illa Partis prio-
ris primo quidem loco habentur, quæ ante Canisium publica-
tionem nondum aspexerant, *Acta sancto Cuthberti, Lindisfar-* pag. 5.
mensis Episcopi, a Venerabili Beda *Heroico Carminè* conscripta, tum 29.
S. Joannis Damasceni contra Acephalos seu potius Jacobitas Liber,
una cum *ejus adversus Nestorianos Dissertatione*, cui præmissa 66.
doctissimi P. Le Quien, Damasceni Operum Editoris novissimi,
in hanc Dissertationem *admonitio*. Sequuntur *S. Zachariæ, Pon-* 91.
tificis, sex cum dimidio Capita ex Libro tertio Dialogorum Gre-
gorii

A

ACTA ERUDITORUM

- pag. 105. gorii M. quæ Græce, hucusque desiderata fuerant; *Willibaldi*,
 125. primi Episcopi Aichstadiani, fratrisque, *Wunibaldi*, Sanctorum
 139. *Vita*, a quibusdam Sanctimonialibus Heidenheimensibus scriptæ;
 145. ut & *S. Lamberti*, Trajectensis Episcopi & Martyris *Vita*, cum
 155. ejus *Revelatione*, anonymo quidem, *συγγεγὼς* tamen Autore.
 Præter hæc *Collectio Historica Chronographica*, sex Libris, quo-
 rum primus *Julio Africano*, secundus & tertius *Idatio*, *Thoro-*
macho quartus, sextus *Fredegario* ex Cl. Balnagii sententia tribu-
 itur, contradicente Canisio, qui hunc assignat *Thoromacho*,
 quinto hujus Collectionis Libro, quia sæpe jam editus fuerat,
 imprimis a Ruinaro ad calcem Gregorii Turonensis, profus
 omisso a primo hujus Thesauri Autore, Canisio, qui saltem ea,
 quæ in Bibliothecis tenebris obducta delituerant, in lucem pro-
 dire voluit. Continentur porro in prima hujus Voluminis parte
 232. *de Vita S. Bonifacii*, Martyris, Germanorum Apostoli & Archi-
 Episcopi Monguntini *Liber*, S. Willibaldo, Episcopo Eichstadi-
 253. ano Autore; *Collectanea* incerti Autoris *contra Severianos & Ace-*
 266. *phalos*, Francisco Turriano Interprete; *Epitomæ Canonum*, quam
 297. Adrianus, Sedis Romanæ Episcopus hoc nomine primus, Carolo
 376. M. Romæ obtulit; post *Eiberii*, Uxamensis Episcopi, & *Beati*,
 Presbyteri, *adversus Elipandum*, *de Adoptione Christi*, *Filii Dei*,
 Libri duo; *Supplementum ad Alcuini Librum*, *de Virtutibus &*
 384. *octo vitis principalibus*; *Flacci Alcuini Epistole*, ejusque *in Nata-*
 460. *lem S. Willibrordi Homilia*, & *de vita rebusque gestis Willibrordi*
 463. *liber*, Carmine conscriptus. Tandem *Carmina* incerti Autoris
 474. *de Carolo M. & Leonis Pontificis maximi ad Carolum adventu*; *Al-*
 488. *cuini Dialectica & Grammatica* una cum duabus ejusdem Episto-
 540. *lis*, *de certo Cantorum loco* altera, altera *de Ceremoniis Baptismi*
 543. *ad Carolum Imperatorem Augustum*. Sunt hæc Veterum Opera,
 quæ primæ hujus Voluminis parti inserta leguntur. Sequitur Pars
 secunda, quæ scripta complectitur, quibus in Oriente & Occi-
 dente quidam inclaruerunt seculo nono Ecclesiæ Doctores. Et
 sunt inter illa *S. Nizephori*, Patriarchæ Constantinopolitani, *Opu-*
 4. *scula quatuor contra Iconomachos*, quorum I duodecim capitâ
 7. *habentur contra Principes Apostasie de Incarnatione Christi*, II *de-*
 cem

MENSIS JANUARIi A. MDCCXXVI. 3

<i>cem Syllogistica Demonstrationes, de differentia imaginis Christi & crucis, III de Cherubinis a Mose factis, IV nonnulla ex Libro Nicephori de Imaginibus. Deinde Tractatus de Benedictione Dei seu Comenentarius, quomodo Deus precipue per Psalmos benedicendus atque laudandus sit, Autore anonymo, sed, ut videtur, Monacho Ratisbonensi, ad Bathuricum, Ratisbonensem Episcopum; Francicorum Annalium fragmentum ab anno 741 usque ad annum 793; Theodulfi, Autelianensis Episcopi, Elegia Epistolares de suo exilio ad Modoinum & Aigulfum, cum Modoini ad Theodulphum responsoria Epistola Elegiaca & hujus aliorumque quibusdam Carminibus. Sequuntur Halitgarii, Cameracensis Episcopi, de Vitiis & Virtutibus & ordine Penitentium Libri V, ad Ebonem, Rhemensem Archi-Episcopum, cum nonnullorum ejusdem argumenti Epistolis; tum S. Isidori de conversis seu ad Monachos Libellus, Vita S. Solæ, Abbatis Angli, ab Ermenoldo, Diacono & Monacho, scripta, Walafredi Strabi vel Strabonis varii argumenti Poemata, & Walafredi, Abbatis, de Subversione Hierosolymitana sermo, quem excipiunt Rhabani, Archi-Episcopi Moguntini, Penitentiale, ejusque Martyrologium; Synodus Regiaticina cum Ticinensi Conventu & Caroli M. Genealogia, Autore anonymo; tandem Photii, Patriarchæ Constantinopolitani, ad Michaelem, Bulgarorum Regem, Epistola, cum sex Dissertationibus de Divinitate & Incarnatione, nec non de Voluntatibus in Christo, quæ Gnomica dicuntur, libro, eodem Autore, Photio; quibus adjecta est Stewartii de seripione Photiana, & quanti ponderis sint, quæ pro stabilienda sua sententia profert argumenta, Dissertatio. Theodori Hagiopolitani tres Dissertationes, I de Nomine Dei, II de Deo & Deitate, III Disputatio cum Nestoriano; Francisco Turciano Interprete, ejusdemque de Unione & Incarnatione Tractatus. Tandem tertia & ultima hujus Voluminis Partis exhibentur S. Desiderii, Vjennensis in Gallia Episcopi, Martyrium, ab Adone collectum, ejusdem Ecclesiæ Episcopo; Anastasi, Abbatis, contra Judæos Liber, & contra eordem Collectanea; duo de Gestis Caroli M, ad Carolum Crassum, Imperatorem, Libri, a Sangallensi Monacho scripti. Præter hæc Notkeri, cognomento Balbuli, Monachi S. Galli, Martyrologium;</i>	p. 8. 15. 23. 48. 65. 69. 72. 88. 153. 169. 183. 277. 293. 314. 369. 372. 382. 420. 439. 459. 467. 474. 5. 12. 41. 57. 89.
---	--

P. 190.
239.
256.
268.

Hymni Sacri antiquorum Patrum Monasterii S. Galli, cum Salomonis, Episcopi, ad Dadonem, Episcopum, Carminibus; quibus accesserunt S. Gregorii M. Papa, Autore incerto, & S. Walpurgis, Virginis & Abbatissæ Heidenheimensis, Autore Wolfhardo, Monacho Hasenrietano, Vita, quæ finem imponunt Operi. Atque hæc sunt, quæ in secundo hujus Thesauri Volumine habentur, medii quidem ævi antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta, quæque a Canisio e tenebris in lucem protracta, suo quæque Seculo asserta leguntur a Cl. Basnagio. Neque hic suam desiderari passus fuit industriam Vir doctissimus, cujus unice studio & labori debemus, quod adeo politus & ex cultus prodeat ille Lectionum Canisii Tomus secundus. Etenim præter Præfationes Historicas, unicuique Autorum notas adjecit & animadversiones Criticas, quæ dum magna ubique doctrina refertæ sunt, non possunt non lucem scenerare medii ævi Historiæ, in tanta Doctorum paucitate, tanto ingeniorum stupore, interdum obscurissimæ. Quæ peculiare sint Operis hujus virtutes, nuper exposuimus, de reliquis, quæ adhuc supersunt, Voluminibus proxime dicturi.

I CESARI IN METALLO GRANDE DA GIULIO
Cesare sino al Elio &c.

i. e.

IMPERATORES IN ÆRE MAGNO A JULIO
Cesare usque ad Ælium collecti in Museo Farnesiano; Tomus VI, Autore PAULO PEDRUSIO, S. J.

Parmæ, e Typogr. Ducali, 1714, f.

Alph. 4 pl. 18 Tabb. æn. 40.

I CESARI IN METALLO GRANDE &c.

i. e.

IMPERATORES IN ÆRE MAGNO, AB ANTONINO PIO usque ad Gordianum III; Tomus VII,
eodem Autore.

Ibidem, 1717, f. Alph. 5 pl. 8 Tabb. æn. 43.

I CE.

MENSIS JANUARI A. MDCCXXVI.

5

I CESARI IN METALLO GRANDE, CON PAR-
te di Cesari in Metallo mezzano &c.

i. e.

IMPERATORES IN ÆRE MAGNO A M. J.

*Philippo usque ad Posthumum, cum parte Imperatorum
in ære mediocri & minimo; Tomus VIII, Opus
posthumum ejusdem Autoris.*

Ibidem, 1721, f. Alph. 2 Tabb. æn. 23.

I CESARI IN METALLO MEZZANO

e Piccolo &c.

i. e.

IMPERATORES IN ÆRE MEDIOCRI ET

minimo; Tomus IX, qui complectitur nummos Domitiani,

Domitillæ & Julæ Titi; opera PETRI

PIOVENE, S. J.

Parmæ, e Typographia Ducali, 1724, f.

Alph: 3 pl. 5 Tabb. æn. maj. 9 cum aliis passim insertis.

Operis præclari, & cum immortalis laude Serenissimi Parmensium Ducis, FRANCISCI I, cujus auspiciis id prodit, conjuncti, interinortuam quodammodo, incertum quo casu, in his Actis nostris memoriam peropportune resuscitavit Tomus nonus, qui superiori anno Cl. *Petri Piovenii, S. J.* cui partes *Pauli Pedrusii*, e vivis erepti, mandatæ sunt, cura lucem adspexit. Simul cum evolvimus, facile patuit, quanto intervallo decessorem suum Piovenius post se relinquat. Omnia hic splendidiora comparent, si externum libri habitum spectes, si interiorem ejus formam rationemque, explicationes nummorum eas dedit Vir eruditissimus, quas harum literarum studiosi, quibus minus quam juvenuti prohis moribus imbuendæ scripsisse visus est *Pedrusius*, ceteroquæ laudæ sua minime defraudandus, in prioribus Operis hujus Tomis requirebant. Id ei commune cum *Pedrusio*; ut omnia omnino numismata, nullo habito discrimine, rara & intellectu difficilia sint, an obvia, pridem vulgata & nullius explicationis magnopere indiga, percenseat; pergendum

A. 3.

enim

enim fuit, quæ cœpit ille, ne opus, saltem quod ad Cæsareos nummos attinet, sibi nimis dissimile redderetur. Discedit ab eo, quod non contentus numismata qualicumque luce perfudisse, ut, quo spectent symbola eorum, pateat, Chronologica cum primis & Geographica sectatur, iisque diutius insistit, quæ difficultatis plena dissensum inter viros doctos pepererunt, & plano omnia perspicuoque stilo exsequitur. Ac postulabat sanè Farnesiani Thesauri dignitas & splendor, ut paulo diligentius curatiusque posthac ejus opes exponerentur, imprimis ex quo auctus ille est insigni accessione gazæ Foucaldinæ, quam Sereniss. Parmensium Dux, ne quid antiquariæ suæ penuri deesset, ex Gallia comparavit. Neque enim, ut notum, intra mensuram supellectilis, qualem privati sibi vulgo colligunt, illa substitit, sed omnium earum, quæ Galliam ornant, excepta Regia, quæ Versaliis asservatur, facile & amplissima & lectissima fuit, in qua juncta felici sidere spectare licuit, quæ summus Regis Christianissimi, Ludovici XIX, quondam administer, Colbertus; & filius, Marchio Seignelajus, atque, ut Patinum taceamus, Comes Lazara & Abbates eruditissimi, Dronius & Bracesius, separatim magno studio nec minori successu collegerunt. Hæc gaza, in Thesaurum Farnesianum illata, quam describere olim & Gallandus parabat, virum integris viribus, eruditione haud vulgari & sagaci ingenio requirebat, qui ita pertexeret cœptam a Pedrusio telam, ut expectationi hominum doctorum omni ex parte satisfaceret. Eum non tam polliceri in futurum, quam repræsentare nunc videtur. Cl. Piovenius; quid præstiterit in primo laboris sui specimine, quod Tomus hujus Operis nonus exhibet, exempla docebant a nobis afferenda, ubi de præcedentibus tribus Tomis (primos enim quinque Tomos alibi in Actis nostris accurate recensuimus) generatim nonnihil dixerimus.

Sextus nempe seriem nummorum æneorum primi moduli orditur a Julio Cæsare, eamque postea persequitur usque ad L. Ælium. In Præfatione Cl. Pedrusius respondet autoribus Diarii Italici, qui ad quintum Operis Tomum, quo *Medalliones*, quos appellant, apponuntur, varia monuerant. In *se- primo* primùm locum occupant nummi Antonini Pii, Gordiani III. postremum. Præfatio ejusdem est generis & refellendis iis, quæ
contra

contra sextum Tomum attulerunt Italicarum ephemeridum scriptores, occupatur, *Octavus* absolvit nummos æneos Imperatorum primi moduli sub Posthumio, & nummos secundi & tertii moduli inchoat, quorum postremi sunt Titi. Huic Tomo immortuus est Cl. *Pedrusius*, cujus iconem proinde & vitam illi a Pl. Rév. *Piovenio*, cui & Tomi hujus editionem debemus, præmissam cernas, unde patet, eum ab anno jam octogesimo superioris seculi, cum Ranutius II Parmensium terrarum gubernacula teneret, gazæ Farnesianæ digerendæ describendæque curam suscepisse. Director Academiæ equestris, in Collegio Ducali ab se erectæ, datus jam ante, cum nova hæc provincia sibi demandaretur, pristino muneri non minori diligentia præfuit, & utriusque haud vulgarem ingenii industriæque laudem reportavit. Obiit anno hujus seculi vicelesimo, annum ætatis ingressus septuagesimum sextum.

Sed ad Tomum redeundum est *nonum*, qui Cl. *Piovenium*, Virum, qui in publica commoda natus videtur, & cui nos quoque non parum debemus, autore in habet. In hoc, qui secundæ & tertie formæ nummos Domitiani, Domitiæ & Julæ Titi complectitur, ostendendum nobis exemplis nonnullis, quò pacto munere sibi mandato Vir doctissimus fungatur. Occasione nummi, quo Domitianus Cæsar COS DES. II. dicitur, explicat obiter æneum primi moduli numisma Vespasiani, Pedrusio, cum ejus formæ nummos exponeret, quod tum nondum extabat in gaza Farnesiana, prætermissum. Iconem ejus, quæ in opere hoc desideratur, duplicem damus ex thesauro Serenissimi FRIDERICII, Ducis Saxo-Gothani, in quo binæ ejus exempla, eaque diversa inter se, reperiuntur. Adversa in parte caput Vespasiani laureatum, cum epigraphe: IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. III. In averfa figuræ duæ paludatæ stantes, dextra hastam tenentes, sinistra parazonium. Inscriptio quo pacto legenda sit, dissentient viri docti. Mediobarbus & Valens legunt: IMP. AVG. F. COS. DES. IT. CAESAR AVG. F. DES. Harduinus, eadem lectione retenta, ultimæ voci DES. præmittit COS. quod in nummo ipso desideratur. Cl. Piovenius cum Angelono legendum censet ordine eo, quem alter

TAB. I.
Fig. 1.



typus

p. 29 sqq.

TAB. I.
Fig. 2.
p. 113.

cypus ex iis, quos delineatos dedimus, manifeste suadet: CAESAR AVG. F. DES. IMP. (quae quidem verba ad Titum spectant) AUG. F. COS. DES. IT. (id quod ad Domitianum pertinet) eamque legendi rationem argumentis haud unis verosimillimam reddit. Simili digressionem instituta, occasione nummi Domitiani, in quo templum sex columnarum, disserit de nummis cum epigraphe: ETOYC NEOY IEΠOT A, B, & sic porro, sub Vespasiano, Tito, Domitiano & Nerva cufis, existimatque, eos fuisse didrachmum, quem Judaeos Jovi Capitolino pendere oportuit; & epigraphem hanc ita interpretatur, ut seorsum NEOY IEΠOT sit *Novi templi* (nempe moneta) & ETOYC A, B, annos imperii primum, secundum, *reliqua*, designet. Ceteras interpretationes rejicit propterea, quod sub Nerva ejusmodi nummi desinant, cujus rei, stante sententia sua, rationem reddi hanc posse putat, quod Nerva, ut in veteri nummo est, FISCICI JUDAICI CALVMNIAM SUSTULIT, id quod eo trahit Vir doctissimus, quasi Imperator is didrachmi tributum remiserit Judaeis, quod secus esse, Ill. Spanhemius primidem evicit. Digna vero est Cl. Piovenii acuminis explicatio nummi, cujus in adversa parte caput Domitiani radiatum cum epigraphe: . . . VESP. F. DOMITIAN. AUG. P. M. in aversa Pallas stans, dextra tenens fulmen, sinistra hastam, cum clypeo ad pedes, adjecta inscriptione: COS. XIII DES. VIII P. P. Mirum hic, qua ratione designatus nonum consul appellari queat, qui consulatum decimum tertium iniit, possitque adeo credi errore monetarii sculptum ita esse vel pro COS. XIII DES. XIII vel pro COS. VIII DES. VIII. Sed Cl. Piovenius COS. XIII appellari statuit Domitianum numeratis consulatibus & suffectis & ordinariis, DES. VIII vero, ordinariorum tantum ratione habita, cumque ex consulatibus sex prioribus unum tantum ordinarium gesserit, si quinque illi suffecti demantur, proprie COS. VIII fuisse, cum DES. VIII scriberetur, additis vero iisdem, recte COS. XIII appellari. Redarguit hinc Norisium, affirmantem, in lapidibus vetustis nummisque suffectos Domitiani consulatus una cum ordinariis semper connumerari, cum nummus hic docere contrarium omnino possit. Quae de nummis

IOYAI.



Andre' Joh' se. lip.

ΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ cum epocha p. 167.
 Β Α Ρ contra Valerium & Norisium disputat Clarissimus Vir,
 uibus minus quam Harduino favet, curatori examine indi-
 cent, quod instituti præsentis ratio non admittit. Id vero non fa-
 tis assequimur, quo pacto in alio simili nummo cum inscriptione
 ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΚΑ vel ΧΑ.
 ΕΑ, ΠΑ, postremas litteras cum Viro doctissimo liceat ΚΟΛΗΣ
 ΣΤΡΙΑΣ ΠΡΟΣ ΛΙΒΑΝΩ interpretari. Inter Domitiani nummos noti illi, quorum averfa in parte Herodiadæ signati
 occurrunt, in quibus explicandis Cl. Piovenius Harduinum du-
 cem sequitur, cujus & stemma genealogicum de iis exhibet. Fi-
 nem faciat eximii, quo utitur in his monumentis explanandis, p. 181, 217.
 candoris singulare exemplum. In nummo Græco Domitiani averfa col. 248.
 pars sistit Apin cum litteris: LNA . . . Id Piovenius noster, TAB. I
 qui conjectarat, erasam esse litteram Π, explicaverat LN. ΑΠ. hoc Fig. 3.
 est ANNO NOVI APIDIS, ratus, hunc nummum ad in-
 ventum Apin, cujus rei exemplum Spartianus sub Hadriano me-
 morat, pertinere. Sed post in nummum integriorem incidit, re-
 cteque vidit, legendum esse LENA T. h. e. anno nono, prout
 in posteriori illo inscriptio habet, tametsi in priori illo littera E
 ita erasa est, ut vestigia ejus frustra quaerantur. Fig. 4.

REGISTRUM HONORIS DE RICHMOND,
exhibens Terrarum & Villarum, quæ quondam fuerunt
Edwini Comitum, infra Richmundsfoire descriptionem
ex Libro Domesday in Theauraria Domini
Regis &c.

Londini, impensis R. Gosling, 1722, f.
 Alph. 5 pl. 4 Tabb. xn. maj. 15.

Non dubitamus, fore lectorum nostrorum nonnullos, qui,
 ubi primas Tituli, cujus initium dedimus, lineas oculis
 usurpabunt, taciti secum judicabunt, ipsum opus nihil plane ad
 nos, ad Anglos fortasse, eosque etiam paucos, unos forte Rich-
 mondenses pertinere, &, ut locum in Annalibus nostris inve-
 nerit, fecisse raritatem caritatemque libri, a penitus toto divisis
 B orbe

orbe Britannis, & quidem splendidissime impressi. Sed hi erunt fere, quibus nondum cognitum est atque perspectum, quam arcta cognatione omnium gentium historiarum inter se junctæ sint, quam late Germanici mores sese diffuderint, & quantum ex historiarum morumque illorum etiam apud illos, qui nunc exteri nobis habentur, strenua inquisitione lucis, utilitatis & ornatus in omnem Jurisprudentiam patriam, maxime autem feudalem, redundet. Faciant periculum in hoc nostro Honore Registro, qui ea, quæ diximus, forte nondum habent persuasissima, & intelligent, hoc ipso Honore Registro & Angliæ & Armericæ Historiis lucem affusam esse haud levi, doctissima maxime præfatione, qua Autor eruditissimus idemque Richmondianarum Antiquitatum studiosissimus in illarum gentium Annalibus confusa multa ordinavit, fabulas expulit, errores correxit, veritatem restituit. Delibabimus potissima, omnis probationibus, conjecturarumque rationibus probatissimis, maxime cum libri ea sit conditio, ut in paucorum manus per venturum credamus.

Galfridus Britanniarum Dux, A. 1068 mortuus, filios reliquit duos Alanum & Eudonem, post bella civilia, illum Britanniarum seu Armericæ Ducem, hunc Comitem. Alano Duci successit filius Conanus, sub Eudonis patris tutela satis diu constitutus, cujus tamen *ἀπαύδης* mortui ditionum potitus est Hoelus, Nannetium Comes, nunc, quod Aviciam unicam Conani Ducis Sororem in matrimonio habebat, Britanniarum Dux, pater Alani Ducis, cui Fergant postea cognomen fuit. Eudoni A. 1077 defuncto Filii fuerunt, Galfridus, natus maximus, Britannorum Comes, & Alanus Rufus, Alanus Niger, Stephanus, Brianus, Ribaldus, Guilielmi Conquæstoris in celeberrima expeditione in Angliam suscepta Comites, ubi navatæ strenue operæ etiam nacti sunt præmia.

Alano Rufo omnia prædia, quibus in agro Eboracensi frucebatur Edwinus Comes, sæpius rebellis, quæque in Norfolciensi, Suffolciensi aliisque Comitibus ad eundem Edwinum, Edwinique patrem Algarum pertinere, cesserunt, ita ut Alanus ille aliquando se orientaliū Anglorum Comitem appellarit, primus sane Richmondiarum Comes. Successit fratri, ut videtur, cœlibi, Alanus frater cognomento niger, & huic fratrum tertius Stephanus, qui,

cum

cum Alanum filium, (quem illius temporis Annales etiam Nigrum appellant, ingenti variis confusionibus aperta fenestra) nuptiis Berthæ, Conani III Britannorum Ducis filix, Alani Fergantii, nepotis potitum videret, spem haud imbecilem concepit, fore, ut Britannix Ducatus Richmondixque Comitatus in suis posteris jungerentur. Contigit hoc in Conano IV, Alani Nigri & Berthæ filio; atque utinam eidem animus tanta fortuna dignus contigisset: at enim vero Henrico II. Angliæ Regi prorsus obnoxius, Ducatus supremum Imperium eidem, pactis inter filium Regis octennem, Galfridum, & suam quinque annorum filiam Constantiam nuptiis, permisit, exstinctus A. 1171. Hæ inter Galfridum & Constantiam sunt perfectæ A. 1182, quas A. 1186, Galfridi hominis refractarii & in patrem rebellis mors est insecuta, relicto ventre, Arturo posthumo, cujus tutelam varias inter turbas gessit mater Constantia, secundis nuptiis Ranulpho Cestriensi Comiti copulata. Richmondix Honor, seu Comitatus, interea penes Reges Henricum II, Richardum I, Joannem fuit, qui ex fratre nepotem Arturum, in Mirabellæ apud Pictavos obsidione A. 1202 interceptum, A. 1203 inhumana nece sustulisse videtur. Ducissa Constantia, nuptiis cum Ranulpho Cestriensi propinquitatis prætextu dissolutis, ex tertio marito Guidone de Thoarcio duarum filiarum mater, illud facinus in filio unico commissum A. 1201 sua morte prævertit, quo facto Proceres Britannix ex illis Constantix filiabus natu majorem Aliciam Dominam sibi optarunt, tutelam patri Guidoni de Thoarcio comuniferunt, ipsum vero Joannem Regem apud Philippum Gallum parricidii accusarunt, qui hac opportunitate usus, cum Joannes in Judicio Parium a Philippo ordinato, licet citatus, non comparuisset, eidem & Britanniam, & quæ in Normannia & Aquitania Anglis parebant, fere omnia ademit. Cum in manu & potestate Philippi R. essent res Britonum, Alicia Britannica Petro de Drocaris sive Malo Clerico A. 1212 in matrimonium collocata, eidemque simul Ducatus, sed durissima lege concessus est.

Hac de causa, & quod Petrus Regem Philippum arcta cognatione contingeret, Britannicæ res Gallicis satis conjunctæ videbantur. Sed Petri ambitio impotens faciebat, ut & Anglicarum

partium, licet clam, esset studiosus, eoque pacto Richmondiæ Honore seu Comitatu, regno Joannis exeunte, ineunte vero Henrici III, frueretur. Discedere ab hoc fœdere atque adeo a Comitatu Petrum coegit Ludovicus VIII. Redintegratæ sunt pristinae pactio- nes cum Anglis A. 1229. Sed Ludovicus IX tandem dubiæ Petri fidei finem fecit, Ducatu A. 1232. Petro adempto, & filio ejus natu maximo Joanni tradito, qui adulta jam ætate Regis Gallici Clientem se publice Parisiis professus est.

Inde colligere est, Joannem Britannum Honore Richmondiæ caruisse, feudo Anglico, vasallum Gallicum, donec, Regis Henrici III filia Beatrice Joannis filio natu maximo & cogno- mini nupta multis etiam precibus efficeretur, ut Honor Rich- mondiæ A. 1268 ad Duces Britannia reverteretur, traditus eo nomine Joanni II, qui, patre anno 1286 mortuo, Britannia etiam Dux effectus est. In bello inter Eduardum I & Philippum Pul- crum exorto, primum partes Anglicanas secutus est, mox Gallicas, cum Richmondiensis sine dubio Comitatus jactura, sed quem du- bio procul recepit pace inter Reges paulo ante funesum suum obitum A. 1354 reconciliata; dum nempe Lugduni, in Clemen- tis V inauguratione, equi, cujus tergo Papa insidebat, habenas moderandi honorario munere fungeretur, muri veteris, magna spectantium multitudine onerati, ruina oppressus est. In Britan- niæ Ducatu successit ei filius Arturus, Honorem Richmondiæ te- nuit filius alter Joannes. Hic, cui cum Gallis nihil negotii erat, Edu- ardo I & II strenuam & fidelem operam navavit, bis Scotiae Pro- rex & Custos, bis etiam captivus factus, & quamvis in dissidiis, quæ Regem inter Eduardum II & Reginam Regisque filium Eduardum III oriebantur, honore privaretur, restitutus tamen est ab ipso Eduardo II, donec A. 1330, non 1303, ut in Tabula Ge- nealogica præfationi subjecta per typographicum errorem legi- tur, & prima fronte turbar, in Britannia moreretur.

Joanni huic successit Joannes III Britannia Duc, ex fratre Arturon nepos, qui cum A. 1341 absque sobole moreretur, controversia ingens concitata est inter Joannem Montisfortis Comitem, Arturi Britannia Ducis ex secunda con- juge Jolanta filium, Joannis adeo, quem A. 1341 defunctum esse, modo

modo diximus, fratrem consanguineum, qui & testamento hunc sibi successorem voluerat, & Carolum de Blasio, qui Joannam, Guidonis Penthiervæ Comitis, fratris germani Joannis, Ducis novissime defuncti, filiam, habebat uxorem, cui etiam Ducatum Galliarum Rex Philippus Valesius adjudicavit; cum Comiti Montisfortis Eduardus III, ut Gallis inimico, Richmondiensem honorem addiceret. Sed captus est infelix Joannes Montforte a Gallis, & post aliquot annos carcere liberatus, paulo post mortuus est 1345, filio suo infante tutelæ Eduardi III commendato. Capto Joanne, contulerat Rex Eduardus Richmundiæ honorem filio Joanni de Gandavo, eoque jussiore titulo, ob pactum cum Joanne Montfortensi initum A. 1341, quo cavebatur, scilicet futurum Joannem Comitatur, usque dum Rex terras æqualis pretii in Gallia ei assignandas curaret, quod maxime adimpletum, ubi post prælium ad Auracum, in quo Carolus de Blasio A. 1364 ipse occubuit, universus Britannicæ Ducatus filio illius Joannis Montfortensis, Joanni IV, restitutus est. Recrudescerebat inde bellum Anglos inter & Gallos A. 1367, in quo Joannes Dux post multam dubitationem Anglicas res Gallicis prætulit, Comitatu Richmondiæ recepto, sed magno suo malo. Ipso enim Britannicæ Ducatu A. 1374 exutus est, per plures annos exul, donec Britones dominatus Gallici pertæsi eum respicerent, quorum ope & auxilio Carolus VI ad pacem & fœdus petendum compulsi, A. 1381 homagio Regi præstito Britannicæ Dux & Montisfortis Comes, felicior, si eo fœdere Anglos non offendisset. Ademptus Comitatus 1385, redditus 1387 atque iterum 1398 (saltem chartæ hoc ita loquuntur) sed anno etiam 1391 eundem Comitatum petiit Dux solenni legatione, quem tamen A. 1398 Joannæ, Radulphi Boslet de Drayton Conjugi, concessum legimus. Hæc Richardo II regnante gesta sunt. Henricus IV Angliæ Rex et eundem Comitatum primo Regni sui anno, sed absque Comitis titulo, Radulpho de Neville Comiti Westmorlandiæ in vitam tenendum permisit, quo mortuo ad Joannem Bedfordiæ Comitem pervenit, Britannicæ Ducibus ad Annam usque Britannicam in perpetuum exclusis.

Post hanc doctissimam præfationem ordine sequuntur: Tabula Genealogica Familæ Ducalis Britannicæ Comitum Rich-

mōndiæ; Sigilla Alani Fergant, Stephani Ducis, Conāni IV, Galfridi, Petri de Drocaris, Aliciæ, Petri de Sabaudia, qui A. 1269 obiit, &, dum vixit, Comitatum Richmondæ per aliquod tempus possedit, Joannis I & II Ducum Britannæ & Comitum Richmondæ, Joannis de Britannia Comitis Richmondæ, Joannis IV, Joannis Gandavenfis, Joannis V; Tabula Geographica Richmondæ Comitatus & Alvertunæ Shiræ; ipsum denique Honoris sive Feudi Richmondiani Registrum sive Catastrum, uti illud in Libro Domesday seu magno libro feudali in Thesauraria domini Regis aservato legitur, excerptum olim ex isto libro venerandæ antiquitatis, codicique, cum aliis ad Richmondensem Honorem pertinentibus, inscriptum; tempore, ut ex caractere videtur, Radulphi de Neville Comitis Westmorlandiæ, regnante Henrico IV illis regionibus præfecti. Addita est ab doctissimo Editore copiosissima appendix monumentorum CLXVIII, easdem antiquitates mire illustrantium.

- In calce denique eruditæ observationes in Registrum honoris & reliqua monumenta annectuntur, ex quibus nonnulla speciminis loco delibabimus. Alani Comitis frater, Eudonis filius, est Scriptoribus Anglis Ribaldus quidam, quem ignorant Aremorici, Robertum laudantes, de quo tacent Angli. Verisimile est, Roberto illi Ribaldi datum esse cognomen; at enim vero non ob ignaviam, sed fortitudinis causa; annotarunt hoc Pasquierius & Menagius, sed originem vocis ignorarunt; est autem Cambro-Britannis *Rhyvel* bellum & prælium, adeoque *Rhyvallus* homo fortis & bellicosus. Vocabuli *Fines* significatus sunt varii medio ævo, Spelmanno aliisque Glossariographis observati; reditum quendam annuum supremo Feudi domino solvendum significasse aliquando, ex Extensa sub Henrico II R. facta discimus. Item non injucundum nec inutile est, quod de Maritagio afferitur, quod fuit Jus, Domino Feudi competens, tenentes de eo per servitium militare in minoritate eorum maritandi, pro quo consensu censum solvebant, secundum valorem terrarum suarum. Gula Augusti est Festum S. Petri ad Vincula Kalendis Augusti. Unde vero hoc nominis? Nostro videtur idem, quod Danis est & Saxonibus *Jol, Jul, Jiul*, comestatio, inde Festo natalitio Servatoris
- p. 233.
- 237.
- 248.
- 284.

MENSIS JANUARIi A. MDCCXXVI. 35

vatoris nostri nomen, quod isto fere tempore Ethnici convivia celebrarent, & nomen etiam Kalendis Augusti, Festo ad Augusti Calendas instituto. In Registro *Grafmannor* legimus, quorum p. 258. fuit, malefactores, quos invenerunt in foresta, ducere ad Castrum Richmondiæ, dicti a gramine, cujus cura & tutela ipsis fuit commissa, *Grafmanner*; gramen nempe non Anglis modo borealibus, sed Germanis quibuscunque *Grafi* vocatur. Tria Tenentès de corona Regi debuerunt auxilia, ad primogenitum nempe filium militem faciendum, ad primogenitam filiam maritandam, & ad se ipsum a captivitate redimendum. Idem inferiores Vafallos tenentes ab inferioribus Dominis his debuisse, literis regis ad tenentes Joannis de Britannia Comitis Richmondiæ patet. Sed tandem & nos manum de libro. 267.

LETTRES ET NEGOCIATIONS ENTRE
Mr. Jean de Wit &c.

i. e.

LITERÆ MUTUÆ ATQUE NEGOTIA
*peracta inter JOHANNEM DE WIT, Hollan-
diæ Pensionarium, & Legatos Statuum Fœderatorum
in aulis variis.*

Volumina IV.

Amstelod. ap. Janssonio-Waesbergios, 1725, 12.

Alph. 4 plag. 3.

item

RESOLUTIONS IMPORTANTES &c.

i. e.

DECRETA QUÆDAM MOMENTOSA STA-
*tuum Fœderatorum Belgii, durante Ministerio JO-
HANNIS DE WIT facta.*

Amstelod. ap. Janssonio-Waesbergios, 1725, 12.

Plag. 21.

AMbigua fama circumfata sunt hucusque acta Wittiorum, ita tamen, ut, quo longius a trislibus eorum fati tempora recesserunt, eo apertius & copiosius defendantur. Eo certe consilio

filio commercia literaria Johannis Wittii cum quibusdam Reipublicæ nomine ad exteros Principes ablegatis in lucem cœperunt proferri. Partem enim eorum nunc tantum sistimus, scripta scilicet ab anno 1652 usque ad 1669 inter Wittium Borellumque atque Beuningium & Petrum Grotium, quorum illi in Gallia, hic apud Suecos Batavorum res curabat. Alia deinceps expectare jubemur, atque adeo omnia publico promittuntur, quæ sibi mutuo Wittius & alii alio missi Batavorum Ministri nuntiaverunt. Ita quidem illud facillime se obtenturos, neque frustra, sperant editores, ut non ex sola rerum gestarum superficie, non ex consiliorum eventibus tantum, non ex rumoribus temere sparsis, de sincero viri summi Republicam adjuvandi studio iudicium fiat, sed ex ipsis animi cogitationibus, ex primis actionum principiis, ex mentis ad verum scopum intentionibus, quarum arcana epistolæ ejusmodi solent pandere. Cum itaque *Basnagius*, post multos alios, in *Reipublicæ Batava historia* Wittium repræsentasset, tanquam Gallis, etiam cum dispendio commodorum patriæ, prorsus addictum, nec negari queat, quod talis in speciem fuerit; documento tamen esse debent hæc Volumina, a Batavorum Pensionario formam hanc indutam fuisse, non, quod Gallia faveret, sed ut suis consuleret. Scilicet, cum difficili bello cum Cronwellio implicita esset Respublica, illi quanto cyus finiendo, suspicio Anglis injicienda fuit de fœdere inter Gallos & Batavos coarctando, quod Monasteriensis pax aliquantum laxaverat. Propterea missus in Galliam *Borellus*, vir de necessitate & utilitate conjunctionis cum Gallia penitus persuasus. Id in usum suum vertebat Wittius, & quamvis ipse tutum cum Gallis fœdus nunquam credidisset, nec inire unquam serio cuperet, prævidens scilicet, quod Galli Belgio cum magno Batavorum discrimine inhiant, dissimulabat nihilominus rem ad Borellum & ita constanter scribebat, ac si & ipse arctiorem cum Gallia nexum optaret. Hinc per aliquot annos, quoniam post finitum etiam cum Anglis bellum odia tamen semper & arma inde ostentabantur, Borellus nil aliud egit, quam ut de fœdere ineundo apud Ludovicum laboraret & formas ejus atque conditiones varias proponeret vel acciperet, neque tamen, ita volente scilicet Wittio,

quic-

quicquam perficeret. Rebus autem in Anglia mutatis & Rege restituto, animus a Wittio eo applicandus erat, unde prius abhorrebat, ne, dum infesta omnia metuenda essent a Britannia, cum Gallis etiam infida pax foret. *Beuningius* ergo ad hos cum amplioribus mandatis ablegatur, eoque operam dante fœdus demum initur, in quod adeo inuitus Pensionarius pertractus, imò negotium hoc omnino abjecturus fuisse dicitur, si Hispani citius ea proposuissent, quæ aperiebant, cum jam de omnibus convenisset. Verum, non minas tantum Britannorum irritas per hoc fœdus reddi, sed & non adeo liberam fore Gallis arbitratur Belgii Hispanici oppressionem, quam dudum metuebant sagaciores. Quam solida spes hæc fuerit, non definiemus, cum manifestum sit, Gallos contra fœderi Batavo manus ideo dedisse, ut arma minus impedita Belgio Hisp. possent inferre. Id saltem ex epistolis, præsertim ad *Beuningium*, voluit constare editores, nihil hic, vel in Gallia gratiam, vel ob propria commoda, vel odio cujuscunque, ab eo factum, neque secretiora Reipublicæ cum *Comite d' Estrader*, legato Gallico, communicata fuisse. Multa proin cum illo amicus & quasi Gallia commoda pro lege suprema habiturum egisse, quin & de Belgii divisione proposuisse, conceditur, tanta cum candoris specie, ut ipse legatus, credens illis coloribus, Regi suo, magis cauto, omnem de Wittio suspicionem eximere laboraverit, unde in literis *Estradianis* multa occurrant, quæ sinistram opinionem de Wittio alere queant. Ex ipsius autem scriptis patere, Pensionarium Gallia consilia & vidisse & turbanda censuisse, omnemque istam amicitia simulationem eo usurpasse, ut magis magisque in illorum arcana penetrare, & quid obijciendum sit tendentibus ad opprimendam Europam, posset invenire. Id quidem aperte proditum, cum finito bello Britannico, Gallis, qui Belgium paulo ante invaserant, triplex fœdus opponendum curaret, idque tanto cum ardore, ut quinque diebus, insolita Batavis festinatione, cum *Templo*, Britannia legato, omnia transigeret. Quod si quis hoc nimis festinatum dicat, observatur, tenacem valde propositi, quod semel utile Reipublicæ judicavit, Wittium fuisse, ita, ut nec ob historico-rum iniquitatem, nec ob malevolorum iras, cautiones solitas, quæ,

quæ dum curantur; occasiones bene agendi sæpius elabuntur, in istiusmodi negotiis adhibendas judicaverit. Hæc docere & confirmare volumina ista debent. An satis idonee, lecturi judicabunt. Nobis, quibus rebus ibi sit attendendum, exposuisse sufficiat. Id addimus, quod de Wittio apud *Burnetum* talia legisse recordemur, quæ non ab erroribus quidem politicis, aut a dolo & mala fide virum æterna dignum memoria liberant.

ANTIQUITATES PLOCENSES, ET AD-
junctarum Prezzin & Elbenau Burggraviatus Magdeburgici, Diocesis Gomeranæ, quibus earum statum civilem & Ecclesiasticum, inde ab Ottone M. Imp. eruit & illustrat
M. JUSTUS CHRISTIANUS THOR-
SCHMIDT, Plocensium & reliqu.

Pastor.

Lipsiæ, apud hæredes Lanckisianos, 1725, 4.

Plag. 16.

CL. & Plurimum Rev. Autor, quem varia Academica scripta jam satis commendarunt, quemque sibi litteræ totum vindicaturæ erant, nisi Ecclesiæ magis necessarius a Proceribus habitus fuisset, innocentem hanc Sacerdoti duxit voluptatem, si, quod temporis datur a sacratoribus curis reliquum, consignandæ loci, in quo vivit, rerumque ibi gestarum historiæ consecraret. Ideo & Parochiæ suæ historiæ, Saxonix S. celeberrimam olim particulam, hoc in Tractatu describendam suscepit. In præfixo Proæmio modeste refellit eos, qui Sacerdotem, curato officio adscriptum, debere talia, ad historiæ spectantia, tractare argumenta, negant, atque omne illud tempus, quod non in profundiore rerum divinarum contemplatione collocatur, deperditum plane arbitrantur, Tractatus ipse in tres Partes dispescitur.

Pars I Plocenses continet Antiquitates, earumque Sectio I civilem Antiquitatum harum historiæ. Caput I hujus Sectionis variam & olim, & adhuc hodie receptam nominis pronuntiationem; Cap. II. Personas imperantes recenset. Distinguitur hoc

hoc Caput in certas Periodos v. g. Originum, Carolinam, Saxonum, Anhaltinorum & Misuenium; ubi imprimis inter Anhaltinos Principes de Illustrissimi Alberti Urli meritis, & de deportatis ab eo e Germania inferiore colonis Flamingicis, nec non de controversiis, quæ passim ex Jure publico hic agitantur, multa notatu digna ex actis istorum temporum deponuntur. Caput III circa rem judicariam versatur. Obtulit vero se Cl. Autori, in Plocensium Magistratus, Judices ac Jura inquirenti, Codex Speculi Saxonici veteris MSptus, quo quondam usi sunt hujus vici Judex & Scabini, quique manu recentiore ad marginem signatus, & breviusculis, ex Jure Provinciali Saxonico haustis, Observationibus auctus fuit; ut & liber Scabinorum Judicialis (*Sceppen Bock tbs Plotzke*) ex Seculo XV, in quo Scribæ oppidani manu relata leguntur, quæ Plocensis Magistratus ordinem ac negotia describunt. Caput IV Personas parentes, & civium quondam Plocensium statum; Caput denique V etiam res antiquitus hic locorum gestas, imprimis varia de Hunnis, de Magdeburgico-Servestano & tricennali bello Germanico memoratu digna enarrat.

Partis I Sectio II historiam Plocensem sistit Ecclesiasticam, ejusque Cap. I Christianissimi horum incolarum initia. Antiqua Bardorum sede indicata, conversionis primordium a Caroli M. tempestate derivatur, a qua Frisonum colonias in Ducatu Magdeburgico in villis Santerseve superesse, Meibomius observat. Latius sparsere Ottonis tempora lucem Evangelii, quippe quibus Sclavorum gens vel conversa, vel oppressa fuit. Ut res sacræ in Sclavorum terra magis & magis amplificarentur, elemosynas multi prohi legarunt, illorum destinatas usui, qui divinam doctrinam in Sclavia plantarent aut reciperent. Facit etiam Cl. Autor in hoc capite quorundam Diplomatum mentionem, quibus ab Ottone M. tractus Gomeranus, & speciatim Plochvisci, i. e. Plotzke, S. Mauritio Magdeburg. donatus fuit. Cap. II describit templum Parochiale, & simul mensulas illas, altaris lapidibus quondam insertas, atque templa extruendi morem a Flamingis receptum. Cap. III Plocense Monasterium ejusque situm ac modernum statum contemplatur. Cœnobium hoc Virginum Ordinis

ACTA ERUDITORUM

nis Cisterciensis, S. Mariæ Magdalænæ dicatur, circa annum
MCCLXX ad Albis antiqui ripam inter Lizeke Monasterium &
urbem Magdeburg, & inter villas Elbenau & Randau ab altero
latere, a Joanne Saxo-Lauenburgicæ linæ Conditore conditum
fuit, & ab hoc foundationis tempore ad usque tempora Joannis
FridERICI, Elect. Saxon. florem pristinum suum servavit. Pri-
ma Abbâtissa Mechtildis, ultima Magdalena, gente Hackebornia,
fuisse fertur. Plenum Abbatissarum & Claustralium Virginum
Catalogum profertre non licet, ideo, quod Virgines, ab Anhal-
tibus Principibus Dessaviâ convocata; ut Ducem Saxon. Joan-
nem Monasterii sui Conditorem probatum darent, Albis traje-
ctum adeo infaustum expertæ sunt, ut diplomata & chartas Mo-
nasterii cum cistula, quæ condebantur, aliquotque hominibus,
undatum vi abreptis, amitterent. Joannis Conditoris primoge-
nita filia, Sophia, Priorissa hoc in Monasterio sepulta fuit, ha-
bitu ordinis vestita, lapid. quæ monumento superimposito inscul-
pta, cujus effigies libelli hujus fronti præfixa fuit. Reformatio-
nis tempus huic etiam Cœnobio prospexit, & Sanctimonialibus
satis lautas pensiones annuas ad dies vitæ persolvit, ut ex harum
pensionum designatione, sub reformationis initium definita,
confirmatur. Tandem notabili Historiæ Eccl. parte absoluta,
Catalogus Pastorum, Parochialem Ecclesiam ejusque Filias puri-
ore doctrina pascentium, annectitur.

Sectio tandem III reliquias Antiquitatum Gentilium expo-
nit, cujus quidem C. I lucos Paganorum sacros, eorumque vestigia
ac Deos, quibus ibi sacra fecerunt; Cap. II Antiquitates sepul-
crales apud terræ hujus incolas recenset. Cl. Autor apud Prezzi-
nenses montem urnis refertum intactum reperit; hinc de anti-
quitate hac sigulina multa multo accuratius, quam quidem ab aliis
factum est, observavit. conf. P. III Antiqu. Elbenav. §. 1. Caput
III in nos Slavicos, Flamingicos & Saxonicos; & C. IV cir-
culos lapidum antiquos, in agro Gomerano longè lateque in or-
bem dispositos & prægrandes, perustrat, quos alii mallos vete-
rum publicos, alii Hunnorum & Sclavorum hic illic cæforum
monumenta habent.

Antiquitates Plocenses excipiunt Parte II Prezzinenses, quæ
egre-

egregia multa Diplomata partim recitant, partim illustrant, simulque tum jucunditatem tum utilitatem historiæ multifariam ostendunt. Continent etiam totum sibi insertum Confirmationis Diploma, Monasterio Lizekeni ab Episcopo Diœcesano Brandenburgico, Waldemaro, sub finem Seculi XII datum, quod omnem Præposituræ Lizekenis formam, quæ cum Archidiaconatû, seu Chor Episcopi Brandenburgici ultra Vitebergam protensa dignitate, conjuncta fuit. Ordo in hac II Parte servatur idem ille jucundus, qui Cl. Autori in priore jam recensita placuit.

Tandem in Parte III Præfecturæ Regio-Electorali Elbenav, quacum hodie Castra Ranis & Gottau conjunguntur, earumque Antiquitates explicantur. Multa in hac parte leguntur præclare dicta de tot veterum Burgis & Castris, it. de veteribus Comitibus Gottau & Ranis, quorum historia ex vetustioribus Diplomatis, et ob recentiores controversias illustratur. Notavit hac in Parte Autor rursus lapidem Altaris sepulcralem, de quo jam inter Prezzinenses Antiquitates p. 94 facta est mentio, quique Henrici I Piaguis, Conditoris Anhaltini Principum stemmatis, vel ejus Filii, Henrici junioris, lapis esse videtur. In Elbenaviensium re judiciaria profert Autor librum antiquum, cujus scriptura lectu admodum difficilis est, & ita fronte prænotatur: Collatio honorum spectantium ad Castrum Elbenau, anno MCCCCXX. Ex libro hoc, idiomate latino conscripto, & seculi sequentis Protocollo varia excerpta dedit, ad rem suam facientia. Quod ad res Ecclesiam ejusque statum concernentes attinet, varia pertractavit de S. Pancratio, loci Patrono, quemadmodum & de S. Gumarò fecerat inter Plocenses Antiquitates P. I C. II §. 20. His autem diutius immorari nobis non licet, qui nulli dubitamus, quin Tractatus hic magna sane rerum historicarum multitudine refertus, multis etiam lectoribus de nota optima se commendet, quique, ut Plurimum Rev. Autor promissos in Proœmio Commentarios uberiores de Diœcesi S. Gomerana propediem typis mandet, nobis eum optabunt.

CASPARI MANZII, FCTI, SERENISSIMI
 Bavarie Ducis Electoris quondam Consilarii & utriusque
 tam publici, quam privati Juris Professoris in Academia
 Ingolstadt. Tractatus rationalis absolutissimus de
 Testamento valido, vel invalido.

Editio III.

Ulmæ, impensis Daniel. Bartholomæi, 1726, 4.

Alph. 7 pl. II.

DE ipso quidem opere non est, quod ad ejus commendationem dicamus. Etenim de præstantia tractatus hujus satis constat, qui, bis ante præsentem editionem *Augustæ Vindelicorum*, primum anno 1661, iterumque anno 1680, cum sublegminibus *Jac. Ottonis* excusus, assidua diligentique manu versari evolviq; consuevit Juris civilis Romani pariter ac Germanici hodierni studiosis. Quid verò idem novi habitus novarumque accessionum referat, id jam indicandum est. Itaque præter industriam in emendando contextu, in evolvendis citandisque legibus, quas *Manzius* adduxerat, præstitam, plerisque in paginis annotationes recens additæ, asterisco signatæ, comparant, quibus præsertim usus modernus atque probatissimorum Jctorum observationes, itemque Præjudicia & Decisiones exhibentur. Nobis certe doctissimæ hæc *Viri Consultissimi*, quisquis ille sit, cujus tamen nomen Bibliopola suppressit, curæ ad isthoc opus apprime utiles videntur: siquidem in eo diffusa juris civilis de testamentorum validitate scientia & subtilior argumentatio ubique regnat. Tanto nunc jucundius est, usum juris testamentarii novissimum ac hodiernum pronuntiandi morem unq; cum exactiori Juris civilis Justiniani doctrina, uno velut obtutu, cognoscere. Ceterum cum *Manzio* visum olim fuerit hanc instituti rationem tenere, ut saltem de testamentis solemnibus, iisque ab initio validis, aut invalidis, commentaretur; octo titulis noviter jam adjectis non solum de testamentis minus solemnibus & privilegiatis, sed & de modis, quibus testamentum ab initio validum ex post facto fit invalidum, vel infirmatur, tractatio *Manziano* operi satis accommodata subnexa est. Hæc appendix ipsa quidem e diversis præstantium

stantium Jctorum commentationibus adornata, diversas jurisprudentum opiniones subinde recenset atque trutinat, quæstiones speciales resolvit, & auctores haud levi numero citat; id quod gratum erit multis, qui vel operosa multorum librorum evolutione superfedere, vel ad scripta sibi non statim obvia, nec satis familiaria remitti amant, atque alterutra causa ejusmodi pleniore & undiquaque congesta specialium juris nostri capitam illustratione haud parum lætantur.

EPISTOLÆ AMOEBÆÆ INTER V. C. E. O. A. C. PAGENSTECHERUM, Jc. & Prof. Juris Herborensis, & V. C. J. G. HEINECCIUM, Jc. & Antecessorem Franqueranum, de sensu & genuina lectione L. 1 ff. de Curat. furios. & L. 28. ff. de probat.

Franqueræ, apud Wibium Bleck, 1724, 8.

Plag. 3.

DE L. 1 ff. de Curat. furios. mentem suam ita proponit D. Pagenstecher, pro *moribus* substituere quosdam *minibus*. Sed fieri id ait temere. Cujacium recte retinere, *moribus*: id vero de moribus & consuetudine sub Regibus adhuc & ante L. XII Tab. introducta perperam intelligere. De illa enim consuetudine tam antiqua nihil nobis constare, & aliunde eam, nisi ex hac sola lege Ulpiani, non posse probari. Adhuc autem sub judice esse quæstionem, an textum hunc ita exponendum crediderit Ulpianus. Sibi certe videri, Jctum non omnino loqui de aliqua consuetudine, sed de moribus prodigorum, quibus introducta sit interdictio administrationis bonorum suorum. Sic enim loqui Paulum Sentent. Lib. 3 Tit. 4 §. 1: *quando bona paterna avitæque nequitia tua disperdis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico*, i. e. propter mores tuos pravorum. Eosdem hos mores minime sanos describere Ulpianum, quod *talis homo neque tempus neque finem expensarum habeat, sed bona sua dilacerando & dissipando profundat*. Neque ob stare sequentia, *sed solent bo-*
dir. Hæc enim opponi non moribus istis pessimis, sed verbis
 Lege

Lege 12 Tab. & ab initio, quæ coincidunt. Ut sensus sit: ab initio quidam Lege XII Tab. prodigo interdicebatur administratio propter mores ejus. Si vero hodie inveniatur talis prodigus, non tantum ipsius bonis interdicitur, ut olim, sed & Curator ipsi datur. Simili modo malis moribus Macedonis introductum esse SC. Macedonianum. L. 1 pr. ff. de SC. Mac. Aut dici etiam posse, per *mores* hic intellexisse ipsum Naturale Jus: Sic enim §. penult. I. de Atilian. tut. ipse Imperator, naturali juri conveniens esse, ut sub potestate aliorum sit, qui ipse se tueri nequeat. Sic jus patriæ potestatis moribus dicitur receptum L. 8 ff. de his qui sui vel al. i. e. jure naturæ & gentium. Ab initio igitur, jure naturali talibus prodigis succurritur. §. 11 I. d. Rer. divis. quanquam enim caveatur id ex Lege XII Tab. tamen recte dicitur & jure gentium, id est, jure naturali, id effici. §. 41 eod. Hic D. Heineccius, ut defendat Cujacianam expositionem, dicit, Ulpianum hac L. 1 interdictionem bonorum in manifesto accessere a XII tabulis, & Tit. XII §. 2. Sed & l. 18 pr. ff. qui testam. fac. poss. L. 5 §. 1 ff. de acquir. vel om. hered. Gajum etiam L. 13 ff. de Curat. furios. atque Justinianum §. 3 Inst. de Curat. Addere autem Ulpianum, eandem interdictionem *moribus quidem ab initio* introductam esse; eos ergo non posse esse posteriores XII Tabulis, sed utique anteriores, i. e. jam sub Regibus invaluisse & postea migrasse in XII tabulas. Locutio enim ista perpetuo significat jus consuetudine & moribus utentium, vel tacitis populi suffragiis receptum, ut distinguatur ab iis, quæ aliunde ex Græcia adscita sunt. Sic Paulus Lib. 3 Sent. tit. 4 §. 7: *Moribus per Prætorum bonis interdicitur.* Juliaus L. 32 §. 1 ff. de LL. De his ergo tenendam regulam ἐμνηνεύτην: quoties ea, quæ in XII tabulis locum invenerunt, tribuuntur moribus, toties per *mores* leges regis vel consuetudines jam sub Regibus receptæ intelliguntur. Ita enim Dionysius Halicarn. Lib. II, in XII tabulis propositos esse omnes mores patrios & leges, πάντας τὸς πατρικὸς ἐθισμὸς τε καὶ νόμος, & lib. X, Decemvros promulgasse leges compilatas ex jure Græcorum suisque moribus non scriptis, καὶ παρὰ τῶν σφίσιν αὐτοῖς ἀγράφων ἐθισμῶν. Ita Pomponius L. 2 §. 23 ff. de O. J. jus vetus, quod legibus regis & moribus patriis jam erat inductum, translatum esse

esse in XII tabulas. Itajus patriæ potestatis moribus receptum. *L. 8 ff. de his quæ suis vel alien.* Et tamen inter L. XII tab. locum habuit: & lex regia patri dedit hanc potestatem. Papinianus *L. 10 ff. de jur. codic. II* Et fuit tamen ex lege illa decenvitali tabulæ quintæ; quia ex Legibus regiis vel consuetudine sub Regibus jam ante erat receptum. Adstructa thesi sua respondet D. Heineccius dubiis, contra Cujacium allatis. Ad probandam hanc consuetudinem sufficere vel unci Ulpiani testimonium: multa enim in jure æque ac historiis esse ἀπαξ λεγόμενα. Tum vero tempore Ulpiani extitisse etiam adhuc Jus Papinianum, & allegare Paulum, æqualem Ulpiani, Græcii Flacci librum de jure illo Papiniano, *L. 144 ff. de V. S.* Quid igitur Regum temporibus obtinuerit, facilius inde disci potuisse, quam hodie. Nunc etiam ad conjecturas D. Pagenstecheri respondetur. Ingenium quidem sapere eam, quæ τὸ moribus intelligit de moribus ipsorum prodigorum, sed solidam non videri. In arte juris nunquam id, quod moribus & consuetudine introductum est, notare, *propter mores*: quod per inductionem XIII textuum illustratur. Utique dixisse Paulum ob mores prodigi bonis interdici. De eo enim non esse quæstionem, sed, an eum sensum admittant verba Ulpiani secundum artem juris? In *L. 1 pr. ff. de SC. Maced.* non dici, SC. Maced. moribus introductum, sed Macedonem malis moribus materiam peccandi sæpe præstitisse. Conditum ergo id fuisse ob perverfos mores filiorum familias, non autem moribus introductum, stylo artis. Ulpianum porro non potuisse duas propositiones ejusdem sensus per adverbivam *sed* inepte jungere. Sed mentem illius hanc esse: Lege XII Tab. prodigo interdicitur bonis, *sicut furioso*, & ipso jure excidunt administratione. Atque hoc jam ante XII Tab. quidem moribus patriis sub ipsis Regibus, ab initio receptum erat. Sed & iisdem moribus mutatum est. Solent enim hodie prodigi non amplius ipsa lege administratione privari, sed curatorem, *exemplo furiosi*, a Præto vel Præsidente accipere. Et hanc curationem prodigorum perinde ac interdictionem bonorum, ex L. XII tab. esse, probasse verbis legitimis veterum, ac eandem legem restituere Jac. Gothofredum Tab. quinta, p. 97 probationum. Sed nec per mores Jus Naturæ posse intel-

intelligi. Nam in *L. 8 de his, qui sui vel.* non dicit, jus patriæ potestatis quale apud Romanos, ex jure naturæ esse. Conveniens esse juri naturali, ut sub potestate aliorum sint, qui se tueri ipsi nequeunt. §. *pen. I. de Attil. tut.* Sed prodigi possent, si vellent. Itaque bono magis agnatorum, inveciam istorum curationem. Dominis liberam administrationem concedere jus naturæ, jus civile vero excipere prodigos; ne quis re sua male utatur. §. *2 I. de his, qui sui vel.* Si quid hic addendum est, Jac. Gothofredus non habuit vestigium prodigi in ipsis *LL. XII Tab.* sicut furiosi vestigia repperit apud Veteres, imprimis Festum, v. *nec. Sei furiosus existit, est ei custos nec est.* & Ciceronem. Neque Paullus. *Lib. 3 T. 4 §. 7* loquitur de *XII tab.* sed de moribus per Prætozem. Lex enim non omnibus prospexerat. Imo nec poterat omnibus ex lege curator dari. *Ulp. Tit. 12 §. 3.* Idem *d. L. 18 pr. & L. 5 §. 1.* meminit tantum ejus, cui bonis interdictum est. Tum vero in *L. 1 ff. de Curat. fur.* extendit *L. XII tab.* de furioso ad prodigum, exemplo furiosi, *περὸς μίμησιν τῶ μανουμένων. L. 6 de V. O.* Ita factum, ut subinde conjungerentur, *L. 13 d. 1 & L. 1 C. cod. §. 3 I. de Curat.* per analogiam Juris. In *L. 23 ff. de probat.* non sunt que copiosæ hæc literæ amœbæ. Nam D. Pagenflecher reprehendit diversâs emendationes a Roberto & Revardo tentatas, quibus opus non sit, si ἐν πλάτεις referamus ad comma sequens: ἐν πλάτεις (i. e. non ad liquidum) enim potest hoc memoria non teneri: ex duplici autem negativa fieri affirmativam hanc: potest hoc memoria teneri. Ingeniose iterum, ait D. Heineccius. Quærit autem, quis tunc erit sensus verborum anteriorum: num hoc aliquo modo probari possit, quando id opus factum sit, & hoc ita, quod Græci dicere solent. Nullus utique. Immo in Græco, ἐν πλάτεις, nullam proprie inesse negationem. Retenta igitur lectione vulgari non alium exsculpi posse sensum, quam huic: late hoc sciri non posse, intra annum aliquid factum esse. Id vero profus adversari scopo Paulli. Quæri, num memoria operis facti aliquo modo probari possit, aut, quando id factum sit? Non ergo quæri, num aliquis meminerit, quo die aut Consule factum sit? Sufficit enim, id aliquo modo tantum probari. Et hoc illud est, quod Græci dicere solent ἐν πλάτεις. Versamur enim in antiquis.

Evita-

Evitare autem cupiens D. Heineccius, τὸ ἐνὶ μὲν pro ἡμῶν, repetit per geminationem de novo: Ἐν πλάττει ἑνὶ μὲν potest hoc memoria teneri, puta, intra annum aliquid factum esse. Petrus Colvius, JC. in notis ad Apuleji lib. 4 Metam. p. 59 recte putabat, Paulhū loqui cum priscis, ut Enim inchoet orationem, sicut enimvero. Sed nobis magis adhuc istud placuit, quod Noster qualemcunque annum, trigésimum, quadragésimum, adjecit. Omnino enim tale quid expectabamus, nec dubitamus, excidisse in textu signum alicujus numeri, instar sigli: quod si suppleas, aperta sunt omnia: *intra annum puta XL vel L*, et si interim nemo sit, qui meminerit, quibus Consulis id viderit. Levior est animadversio, an *contineri* scribendum pro *teneri*. Addemus potius ultima verba: *Sed cum* (quando) omnium hæc est opinio, nec audisse, nec vidisse, cum id opus fieret, neque ex eis audisse, qui vidissent, aut audissent, & hoc infinite similiter sursum versus accidat, tum (pro tunc) memoriam operis facti non exstare. Sufficit autem, si quis sciat, factum, h. e. si factum esse non ambigatur: nec utique necesse est superesse, qui meminerint. Verum etiam, si qui audierint eos, qui memoria tenuerint. Hæc omnia recitat Paullus de Labeone ipso, L. 2 §. 8 ff. *de aqua & aqu. plu. neque alter alterius epitomator hic vel scholiastes fuisse videtur, aut censor.*

LUDOVICI A RIPA, ASTRONOMIÆ AC
Meteorologiæ in Gymnasio Patavino Professoris,
Miscellanea.

Venetis, apud Dominicum Lovisam, 1725, 4 maj.

Pag. 11 Tab. xii. 2.

Tres hoc volumine comprehenduntur Dissertationes: una meteorologica, de meteoro ignito, quod in agro Tarvisino apparuit; altera Geometrico-mechanica, de vi vaporum in hygrometris; tertia analytica, demonstrationes Theorematum ad Quadraturas spectantium complectens. Quibus accedit Prolusio habita in Gymnasio Patavino, cum primum Astro-nomiam & Meteorologiam publice profitendam Nobilissimus Autor aggrediretur. Meteoron ignitum, de quo in prima Dissertatione

tatione agit, ad hunc modum describit: sunt ignes, qui e terra enati, & huc atque illuc distiti, lateque vagantes, ab annis nonnullis cœrauntur aliquot Venetiæ locis, terrorem hominibus, & terris vastitatem inferentes, quacumque pervadunt. Antequam ipsa phænomenorum historiam recitat, de temporum natura, & locorum situ aliquid monendum censet. Loca, inquit, ab iis ignibus adhuc infesta, ingenti cultorum damno, sunt *Goticum*, *Ramo*, *Rossanum*, *Galliera*. Tria prima exiguo inter se intervallo *Bassanum* inter atque *Castellum francum* sunt; *Galliera*, quæ propius a *Gotico* abest, in *Civitella* agro. Solum ibi macrum aridumque est, saxosum, glareosum. Aquarum fere nulli fontes, præter fluvium exiguum, qui interfluit, *Musonem* appellatum. Cultoribus putei in promptu sunt altissime effossi, rari tamen; magna enim aquarum copia subitus latet, e proximis montibus fluentium, per occultos terræ meatus. Itaque ubicunque putei eruntur, aqua existit, quæ ubique ad eandem altitudinem esse solet. Terræ ipsius stratum commixtum multis partibus, limo, lapide, glareæ, argillâ, sabulo; an salinæ ullæ insint vel sulphuræ fodinæ, nulla indicia. Quod pertinet ad anni tempora, magna siccitas a seculo ineunte tenuit; proximis his superioribus annis mirum in modum aucta ad summum crevit. Hinc terræ facies ubique arida & tantum non exusta; fontes, fluviique ipsi & putei propemodum aruere. Ad hæc *Adriæ* ipsius fluxiones & cursus reflui solito depressiores, ærisque item per omnem Europam frequentiores impressiones Meteorologicæ extiterunt. Atque hæc præfatus Cl. Autor de natura tempestatum locorumque, ad ignes ipsos accedit. Hi primùm apud *Goticum* visi sunt An. 1706, mense Sextili; quo loco flammis quatuor, consecutis noctibus quatuor, domus combusta est magna colonica, divisa ac distributa in partes plures, eademque distinctas invicem. Sed postrema flamma, cum jam nihil esset, quo sese applicaret, palearium exustum est. Idque ipsi habitatores animadverterunt, hoc modo factum esse, ut flammæ ægerent in palearium; ut omnes, etsi per alias aliasque lineas, eodem tamen collinearent; ut postrema flamma caderet per lineam verticalem ad perpendicularum. Mense item Quinctili superiore

riore boves, quorum erant stabala in illa domo, plerique omnes morbo interiire; pauci inde erepti ac translati alio, brevi convaluerunt. Pecudes, quæ fuerunt coloni illius, omnino omnes eo morbo, veluti tabe, periire. His ad me post multos annos allatis, inquit Cl. Autor, continuo suspicatus sum, solum, cui domus ex inædificata essent, veluti centrum quoddam fuisse illarum exhalationum, quæ deinde erumpentes, ac sese profereutes circumquaque, sphaeram quandam constituerent, densiorem parte media, rariorem parte summa ad circumferentiam, unde sulphurea illa effluvia ac bituminosa agerent. Nam si forte fortuna fiat, ut intra circum suum sive sphaeram, in qua volvuntur sulphureæ illæ exhalationes, offendant aut naucilcantur aliquod effluviu e. c. salinum vel metallicum, ex conmixtione rei utriusque ignis aliquis aut phosphorus gigni potest; phosphorus qui splendet, neque vero urit, quoties conjunguntur raræ quædam ac delicatæ particule, cujusmodi sunt cadentes stellæ, ignes fatui, ignis lambens &c. contra ea vero, si cum crassiore sulphure conjungantur partes densiores, tunc verus ignis atque activus progignetur, qui sese applicare queat ad ligna, ad paleas &c. Post annum 1717 ignes commemorati vi quadam vehementiore apud *Ressanum* apparuere. Atque illo anno ver quidem fuit aridissimum: sub initium autem mensis Julii stramineæ quædam domus conflagrarunt, quæ invicem distabant exiguo intervallo; omnique illa æstate ignes ii egere eodem loco, donec autumnus venit, quo tempore magnæ cælo pluvix ceciderunt, quibus flammæ vis restincta est. Ad decem fere & octo domus ignibus fuere exustæ, latiusque etiam calamitas manasset, ni incolæ eo consilio usi essent, ut domorum tecta demolirentur; parietesque omnino haberent nudos, ac sub die somnum caperent. Animadversum est, per aliquot dies secundum illas pluvias ignes non apparuisse, neque vero rediisse, nisi cum terra rursus cœpit exarescere. Cælo nubilo nunquam visi sunt. Interdiu per hæc tempora non offuere; quodque animadversione dignum est, noctu incenderunt nunquam, cum ventorum vis ageret. Initio apparebant fere semper secunda noctis hora, serius deinceps, tertia ninivum, raro sub noctem medi-

am. Prima phænomena tam late patebant quam lunaris discus. Cœpere autem deinceps minus, sed incerta inconstantique ratione: minima faculam, maxima funale referebant. Undique accedere solebant, atque ex omnibus regionibus ventorum; partem vero maximam ab aquilone, minimam a meridie; cunctaque collineabant ad eundem locum. An. 1720 majore vi apparuere apud *Gallieram*, per autumnum. Rursus summo impetu apparuere An. 1722 apud *Goticum & Ramonem*. Cum maximi per æstatem calores fuissent, magis etiam per autumnum, qui fracti deinde sunt extremo Novembri, ob aquarum copiam, quæ cœlo ceciderunt, rursus phænomena extitere ita frequentia, ut agri iis consiti viderentur. Cœlo sudo, cum leniter flaret auster, majore copia apparebant, quam per noctes gelidas. Motus, figuræ, colores, varii. Quædam, ut fulgur solet, ferri & evanescere visa sunt; sed partem maximam animadversum est rotunda esse, & faculam fere exprimere. Ad hæc quædam stare videbantur; nonnulla in unum cogebantur, & unum mox in plura scindebatur. Nonnulla velut subsultabant; quædam motu ferebantur æquabili. Alia lente, alia celerius agebantur; sed hæc ita, ut nequaquam superarent velocitate sua hominem currentem. Illud etiam curiose adnotatum est, si quando fossam aliquam præterirent, si quidem vis aquæ aliqua inesset, transilire consuesse, si nulla, descendere atque ascendere cursu æquabili. Cum propius ad pabulum venirent (agere autem consueverant in casas duntaxat stramineas) celeriori motu ferebantur, ita ut omnis eodem momento fieri videretur. Continuo ex omnibus partibus, incredibili quadam celeritate, in domum irruebant, eodemque momento domus tota conflagrabat, neque ei rei ullo modo resisti poterat. Spatium nullum erat domesticæ suppellectilis subducendæ: magno fortunæ beneficio fiebat, si ex acri illo incendio incolumes evaderent homines. Desperatione & ira adducti cœpere ignes eos, tanquam investissimos hostes, insectari, & vastis fastidium ictibus verberare. Pulsi illi, motum persequentes aeris irregularem, sese modo sursum efferentes, modo deorsum, manus ultorum evadebant. Contingebat interdum etiam, ut sulsibus percussi scinderentur in partes duas, quæ partes deinceps fere-

ferabantur motu prorsus contrario. Duobus in locis commemoratis, nempe apud *Goticum* & *Ramonem*, incendia contigerunt, ceteris in locis nulla, etsi ignes frequenter apparerent: eaque res mirabilis visa est, illo præsertim tempore, quo tot ignes per illa loca circumquaque vagarentur, ita ut etiam tecta ædium tenerent. Mense Januario nives cecidere copiosiores, quibus restingui ignes visi sunt. Sed primo vere apparuere rursus, minore tamen copia, nullaque vi fere ad urendum; sive hoc inde acciderit, quod exhalationum vis quodammodo consumpta esset, sive quod hæc rariores, eoque minus activæ factæ, sive denique, quod circumstantia aliqua deesset, unde effræta illa gignerentur. An. 1723 mense Quintili ignes redierunt, ac tandiu perdurarunt, donec pluviis autumnalibus restinguerentur. Semel tantum interdiu incenderunt: ex quo colligitur, eos majore vi ad urendum præditos fuisse, quoniam illorum densitas sustinere potuit Solis vim, neque ab illa aut distrahi aut rarefieri potuere. An. 1724 apud *Gallieram* apparuere. Quoniam vero mensibus Jun. & Jul. magnæ pluvix cecidere, factum est, ut exhalationibus restinctis, phænomena cessarint. Æstate reliqua illius anni calida & sicca ignes nulli apparuerunt: autumno vero per agros illos minore copia pervagati sunt, nullo tamen usquam damno illato. Mox Decembri extremo aliquantisper nixit: sed statim vi ventorum australium, liquatis nivibus, ignes rursus in agro *Gotici* rediere, duoque paleariæ concremarunt: inde restinxere eos nives; quæ XIII Kal. Febr. An. 1725 cecidere. Quid futurum sit deinceps, inquit *Nobiliss. Autor*, difficile omnino est pronuntiare: fortassis hoc fieri potest, ut terra ipsa effræta, aut rariores fiant exhalationes, aut circumstantiarum aliqua tollatur; aut commutata tempestatum ratione, ignes restinguantur. Sed quoniam soli indoles mutari nequit, ita factu facile est, ut, si rursus circumstantiæ cogantur, ignes redeant & stramineas domus urant. Certe simile aliquid veterum memoria contigisse, obscura apud eas gentes & popularis quædam traditio est. Atque hæc de phænomenis illis, quæ quidem ipse oculis vidit Cl. Autor, & partim a præclarissimis Viris, Comite Jac. Riccato & Jo. Rizzetto, accepit. Curiosa sanè sed & tristia spectacula; quæ nescio attentionem

tionem magis ac speculationem, an opem & consilium postularé videantur. Sed ad alteram Nobiliss. Autoris Dissertationem nunc progrediendum est, ex qua si nonnulla afferamus, rem utique non ingratam eruditis lectoribus nos facturos arbitramur. Agit hæc dissectatio de vi vaporum in hygrometris. Simplex ac vulgare hygrometrum ita parari consuevit: Longior funis cannabini, aut nervus sidium, justæque crassitudinis, horizonti parallelus constituitur, & quantum satis videtur, extenditur, ejusque extremitatibus gemino clavo firmiter alligatis, bifariam dividitur; ex medio puncto, ope tenuissimi fili, glans plumbea suspenditur, quæ proprio pondere funem ulterius distrahit, & descendendo in angulum flectit. Horum funium proprietas in hoc consistit, ut longiores fiant siccitate, humido vero breviores; ita ut pondus appensum modo extollatur, modo deprimatur, pro diversa aeris constitutione. Porro ad explanandos varios humiditatis gradus, sagitta seu linea recta, quam pondus descendens percurrit, in plurimas æquales particulas dividi solet, quæ profecto partitionibus aeris minus apte respondet. Voluit igitur animo Cl. Autor, quomodo curva describenda esset,

TAB. I

Fig. 5.

quæ optime hoc munus impleret. Sed quia difficultas difficultatem parit, illud etiam occurrit, pondus suspensum ex puncto O, funem AF bifariam secante, descendere per rectam OX; at si ad alterutram extremitatem propius accedat, & punctum D gravitate sua sollicitet, dubitavit, utrum per rectam, an per curvam incederet. Rursus cum idem pondus possit per totam chordæ longitudinem excurrere, atque flexuræ apice H speciem quandam catenariæ designare, hujus quoque curvæ naturam investigandam sibi proposuit. Hinc tria enata sunt problemata. Quorum unum hanc habet sententiam: Ex puncto quocunque D funis

Fig. 6.

AF suspenso quovis pondere, quod vi propriae gravitatis funem extendat, & punctum D deorsum trahendo curvam describat, oportet hujus curvæ naturam investigare. Perveniat punctum D ad locum H, in quo inter ponderis actionem & funis resistentiam æquilibrium constituatur, ductisque ex centris A & F arcibus DT, DX, itemque rectis AH, FH, demissisque ad AF normalibus KB, HC, GE, & producta CH ad N; ita ut HN onus seu potentiam

tiam distrahentem designet, quæ resolvi possit in vires collaterales LH, LN, vocetur AF=2c, AD=AK=3, FD=FG=b, AB=x, FE=z; eritque, propter FD: DA=EC: CB, (nam ratio distentionu n GH: HK, componitur ex rationibus virium tendentium HL, LN, & longitudinum chordarum FG: AK, vel FD: AD) $(bxz + zacx - azz)$. $\sqrt{(aa - xx)} = (axx + zbcx - bxx)$. $\sqrt{(bb - zz)}$; quæ formula si more Cartesiano ad coordinatas AC, CH, reducat, implicatissima evadit. Inventæ igitur æquationis subsidio sequenti modo curvam construit Autor. In arcu DX sumit ad libitum punctum G, ex quo demittit ordinatam GE, deinde, producta FA ad partes Q, fiat FD: DA=EA: AQ, punctoque invento Q insillat normalis QZ, sitque ut rectangulum DFE ad quadratum AF, ita applicata EG ad QZ; determinato puncto Z agantur ZO, OA, parallelæ ipsi AQ, QZ, atque insuper per puncta O, A, rectæ PON, RAS, radio FG parallelæ. Intra asymptotos PQ, PN, descripta intelligatur hyperbola Apolloniana, quæ transeat per punctum A, hæc secabit arcum DT in aliquo puncto K. Productis igitur radiis AK, FG, ita ut sibi occurrant in H, demonstrat, punctum H pertinere ad curvam quæ sitam. Alterum problema est hujusmodi: *Incedat grave appensum per totam funis longitudinem, & apice flexura successive mutato speciem quandam catenaria AHXF delineet, oportet hujus curvæ naturam investigare.* Pendente onere ex medio puncto O descendat usque ad X, productaque recta FX, sumatur XR æqualis distractioni XQ, & per punctum R acta RZ parallela linæ AX, erit RZ æqualis alteri distractioni PX. Per constantem XZ exprimitur ponderis magnitudo. Hinc translato pondere a puncto O in aliud quodcunque D, fiat descensus per curvam DH, & virium æquilibrium in puncto H. Consueta instituta præparatione, recta HN, per quam pondus constans designatur, erit =XZ. Describenda modo est curva virium absolutarum, (per vires absolutas intelliguntur pondera arithmetice crescentia, quæ in singulis punctis curvæ DHS cum funis tenacitatibus æquilibrium faciant.) Quoniam igitur vires directe tendentes, per latera XR, HL expolitæ, sunt inter se ut distentiones XQ, HG, directe, & ut longitudines chordarum QF, GF, reciproce, & data est tam distra-

TAB. I.
Fig. 5.

GioHG, quam longitudo GF, Ergo & vis HL datur positione & magnitudine, ductaque LN parallela rectæ AH, dabitur punctum N, simul cum diagonali NH, vim absolutam exponente. Ordinata itaque HB producta ad partes C, sumatur $BC=HN$, punctum C erit ad curvam virium absolutarum DCV. Hæc descripta statuatur in axe AK abscissa AK æqualis ponderi XZ, & applicata KC secet curvam DV in C, ex quo ad KA agatur parallela CBN, curvæ DHS occurrens in H, erit punctum H ad quæsitam catenariam AHXF. Restat tertium problema, in hæc verba conceptum: *Dato ponderis appensi ascensu vel descensu in Hygrometro, determinare vaporum vim ad contrahendum vel relaxandum funem.* Sumatur in chorda AF quodlibet punctum E, & sit ELS curva virium absolutarum, relata ad curvam descensus EMQ. Ex diuturnis observationibus notum sit, ad quem locum infurium Q pondus sudo & sereniore cælo pervenire queat, ductaque recta QCL per ordinatam CL exprimatur gravitas ponderis absoluta, & sit LZ ipsi AF parallela; in qua constitutione supponitur humor per aerem diffusus vel nullam vel certe negligendam actionem in nervi fibras exercere, ita ut tota funis distensio ponderi CL debeat. Jam nimbofo aere corrugetur funis, & grave ad punctum M ascendat, productaque FM versus R sumatur $MP=CL$, & $MN=DG$, aganturque ipsi AM parallelæ PR, NO. Manifestum est, quod funis perseverans in suo naturali statu, sub flexione AMF, cum pondere absoluto DG vel MN æquilibrium facit, & pars MF a potentia MO distrahitur, altera vero pars MF a potentia ON. Verum humidus aer funis tenacitatem auget, paremque reddit sustinendo integro oneri MP, & tota potentia RM cum vi elastica chordæ MF in æquilibrium est, sicuti vis chordæ AM cum potentia RP. Est autem $RM: OM=RP: ON$; Igitur funis tenacitas in omnibus suis partibus proportionaliter crescit, ejusque incrementum non nisi per differentiam rectarum RP, ON, & RM, OM, vel per quantitatem RO exprimi potest. Modo adhibita simpliciori hypothesis, si vaporum actiones eandem actionem servant cum auctis fibrarum tenacitatibus, recta RO vim humoris aerei ad funem contrahendum pariter indicabit. Hinc facta $HK=RO$, curva quæ transit

TAB. I
Fig. 7.

transit per punctum K & alia infinita similiter inventa, erit scala quæ vires crescentes humidi aeris exponit. Q. E. I. De tribus scholiis huic problemati, subjunctis aliquid adhuc commemorandum videtur. In primo monet Cl. Autor, se in solutione præmissi problematis vim potius vaporum, quam quantitatem dimensum esse, quippe cum didicerit a V. Cl. Jac. Placentino, uberiorem aquæ copiam in opaco, quam in perspicuo aere, non contineri. At si aer, inquit, constante semper vaporum quantitate refertus est, quod seclulis aliquibus circumstantiis, & præcipue ventorum a mari fluentium, verum judico, vis humectandi non solum a copia, sed etiam a magnitudine guttularum petenda est. Hinc ex his, quæ demonstrata sunt de vaporum viribus, habita ratione ad diversas ejusdem funis contractiones, conjecturæ sumi possent, qua proportione augeantur vel minuantur guttarum in aere pendentium diametri: sed hæc, inquit, ad Physicos ableganda. In altero scholio ostendit, quomodo describi possit curva, seu scala vaporum vires determinans, si pondus (ut fieri solet) ex medio puncto funis in hygrometris suspendatur, ita ut descendendo rectam lineam percurrat. Vocentur x sagittæ crescentes vel decrecentes, & vires humidi aeris statuantur $=z$, longitudo funis $=2a$, & pondus appensum $=b$; curva localis per sequentem æquationem exprimitur: $b \sqrt{aa+xx} + a \sqrt{aa+xx} = z$.

Scholio denique tertio investigat velocitatem ponderis in singulis sagittæ punctis, dum chorda bifariam divisa glans plumbea motu verticali per rectam lineam descendit. Hoc ut assequamur, constituenda prius est in quolibet sagittæ puncto vis deorsum sollicitans. Ex magnitudine, exprimente ponderis gravitatem absolutam, ea pars subducenda est, quæ in puncto dato cum teracitate funis æquilibrium faceret, quod reliquum est in producendum motum acceleratum insumitur. Sit pondus appensum MP, & sit MN illud grave, quod sustineretur a vi elastica funis, sub flexione AMF, cum actio ponderis MN a tenacitate funis contraria actione elidatur, nullum edit effectum, remanente tantum vi accelerante NP, a qua mobile deorsum sollicitatur. His positis, vim variabilem NP sequens æquatio in singulis punctis determi-

TAB. I
Fig. 7.

nat, $f = b - 2x + \frac{2ax}{\sqrt{aa+xx}}$; & quoniam factum ex vi sollicitante in elementum spatii momento velocitatis æquale est, oritur altera æquatio differentialis $fdx = bdx - 2x dx + \frac{2ax dx}{\sqrt{aa+xx}} = udu$, & integrando, non omiſſa debitæ constantis additione, $uu = 2bx - 2xx + 4a\sqrt{aa+xx} - 4aa$. Porro ſcala temporum non niſi per quadraturas exhiberi poteſt. Atque nunc ad tertiam Cl. Autoris diſſertationem pervenire idem eſſet, qua comprehenduntur demonſtrationes theorematum ad quadraturas ſpectantium, a ſummo Geometra Jo. Bernoullio in Actis noſtris An. 1719 expoſitorum. Verum ne longi ſimus, hæc ipſa diſſertatio, nec non adjuncta proluſio ſiccò pede prætereunda eſt.

SPIRITUS ANIMALIS EX FORO MEDICORELEGATUS. Autore **ANDREA OTTOMARO GOELICKE**, Medico, Profefſore atque Phyſico Provinciali Regio.

Francofurti cis Viadrum, apud Godofredum Conradi, 1725, 4.
Fol. 15.

JOHANNIS PHILIPPI BURGGRAVII, JUN. Doctoris Medici Francofurti ad Mœnum, de Exiſtentia Spirituum Nervoforum, eorumque vera origine, indole, motu, effectibus & affectibus in corpore humano vivo ſano & ægro Commentatio Medica, Viro Clariffimo, ANDREÆ OTTOMARO GOELICKE imprimis oppoſita.

Francofurti ad Mœnum, apud Joh. Frieder. Fleiſcher. 1725, 4.
Fol. 12 $\frac{1}{2}$.

Decem præterlapſi ſunt anni, cum Clariff. *Goelicke*, publica in Academia Teutoburgeniſi Cliviæ Profeſſione functus, hæc duo Corollaria calci Diſſertationis Academiae de Medico Cathedrali & Clinico adnecti curaverit: 1) Familiam ſpirituum vitalium, naturalium, & ſi qui alii ſuperſunt, recte quidem explo-

„ exploferunt Recentiores, mirum, cur solis animalibus repu-
 „ dium mittere ausi non fuerint; 2) hinc in Concilio Illustrum
 „ Medicorum, Præside Apolline, nuper decretum est, Spiritus
 „ animales, quod a tot retro seculis Medicos infatuarunt, & ad-
 „ huc non paucos infatuant, dignos esse, qui in perpetuum exi-
 „ lium relegentur, adjuncta severissima cōminatione gravioris
 „ pœnæ, si in ditiones Medicorum unquam revertantur. Horum
 „ Corollariorum uberior tantum deductio est, quam hoc in Tra-
 „ ctatu suscipit Clariss. Autor, & tribus Disquisitionibus exequitur,
 „ Fabulas sistens Medicorum, quas de Spirituum animalium I Exi-
 „ stentia, II Indole, Natura, Affectionibus & Effectibus, III Dia-
 „ thesi morbosa suis in scholis hué usque recitarunt. In Disquisitio-
 „ ne igitur I, non existere Spiritus animales, probat, quia ab Hip-
 „ pocrate nulla eorum fit mentio; Physiologi discordes sunt in im-
 „ ponendo nomine; Medici inter se altercantur, quale sit verum
 „ secretionis, collectionis & dispensationis organum; argumen-
 „ ta allata nil probant, quæ sunt: a posteriore per sensum & mo-
 „ tum eosdem innotescere, cerebri nervorūque actione inter-
 „ cepta functiones animales evanescere & perire, cerebri & ner-
 „ vorum conformationem & structuram singularem peculiarem
 „ eorum actionem & usum commendare, digitis per nervos phre-
 „ nicos versus diaphragma ductis hujus motum consopitum restau-
 „ rari, objecta admodum subtilia & tenuia in organa sensoria agere
 „ non posse, nisi spiritus in iis hospitentur, per respirationem no-
 „ vos cerebro spiritus communicari, mediante duræ matris tono
 „ & motu systaltico per nervos spiritus ad partes propelli, per spi-
 „ ritus cerebrum a corruptione præservari, musculis suam actio-
 „ nem constare non posse, nisi influant spiritus, a defectu eorun-
 „ dem, vel insufficiente volatilitate aut nervorū constitutione
 „ præternaturali varios oriri morbos, rationem denique dolorum,
 „ tremorum & convulsionum reddi non posse, nisi supponantur
 „ spiritus intra nervos undulantes. Rectius igitur egisse, pronun-
 „ tiat Nosler, Argenterium, Bidloo & Stahlianum, qui de eorun-
 „ dem existentia dubitarunt. In II accusat iterum dissentium Au-
 „ torum circa nomina spiritibus imponenda, quæ omnia rei, quam
 „ exprimere debent, minus sunt adæquata. Si tamen ex mechani-

corum mente ruditer definitionem adumbrare liceat, ita quidem, ut nihil eorum, quæ ad universum spirituum systema exhauriendum requiruntur, omittatur, talem format: Spiritus animales nihil aliud sunt, quam corpora tenuissima, subtilissima, atque celerrime mota, ex subtiliore & spirituosa chyli, lymphæ & sanguinis, per arterias carotides & cervicales interuas ad cerebrum adlati, parte constantia, quæ deinde in corticali cerebri substantia, tanquam genuino secretorio, separata & per medullarem cerebri partem transmissa, inque medulla oblongata, quæ nervorum radix est, collecta, tandem per nervea stamina, eorumque poros & canaliculos ad organa sensuum, imo singulas corporis partes sive ab anima pro arbitrio ablegantur, sive automaticè mediante duræ matris tono aut motu systaltico impulsæ influunt, ad sensum, motum, imo & nutritionem præstandam ac perficiendam, tandemque ne insensibiliter evaporando corpora derelinquerent, idque iners & trunci instar immobile redderent, sanguini & lymphæ reaffusa, ut iisdem, quibus antea, usibus denuo subservirent. Cum vero tota hæc descriptio tot ferme principii petitionibus, quot verba sunt, niti videatur Cl. Autori, consultum judicat singula ejus membra ad rationis pariter ac experientia cynosuram examinare & refutare. In III ad diathesin morbosam spirituum animalium progreditur, sub qua vel nimia quantitate, vel defectu, vel vitiosa qualitate vel motuum anomaliis laborare & apoplexiæ, paralyseos, tremorum, morborumque soporosorum, catalepticos, lipothymicæ, syncopes, manicæ, vigiliarum nimiarum, epilepticæ, convulsionum, dolorum & vertiginis auctores esse dicuntur. Verum hæc omnia fabulas esse, demonstrat, certioreque morborum horum ætiologiam subministrat, tandemque concludit: Spirituum existentiam neque e priori neque a posteriori hucusque satis demonstratam esse; latere medicos veram atque genuinam eorum indolem in statu sano & integro, ac proinde ignotam quoque esse conditionem illorum in statu morbo ac præternaturali; atque adeo pathologiam spirituum esse chymicam, id est, nullum morbum vel a vitiosa eorum quantitate, vel qualitate vel motuum anomaliis derivari rite posse, ipsamque therapiam fabulosam esse & imaginariam.

Inju-

Injurias has spiritibus animalibus illatas ægre ferens Clariss. *Burghgravius*, vidensque, in toto hoc Processu criminali de spiritibus nervosis revisionem Actorum revelaturam esse Lectori a præjudiciis libero, longe aliam ferendam fuisse sententiam, quam revera factum fuerat; decreverat quidem, hocce revisionis negotium in se suscipere; verum mutato consilio, quod nihil jucundæ utilitatis in studiosam juventutem exin redundaturum credebatur, quicquid ad doctrinam de spiritibus nervosis pertinet, sive eorum originem, indolem, motum, sive effectus & affectus in corpore humano vivo, tum sano tum ægro, concernat, in unum systema, ichnographice tamen, fundere, nihilque profusus admittere, quod non facile dignissimis experimentis & observationibus ad suas ubique revocatum causas, dilucidatum fuerit, constituit. Distribuit igitur præsentem Commentationem in III Sectiones, in membra & articulos iterum divisas, in quarum I structuram cerebri & nervorum tubulosam evincit, & ex habitu materiali corporis humani, potissimum sanguinis, per rationes motuum occurrentium indolem & motum spirituum nervosorum demonstrat. In II usum eorundem pro tensione partium naturali, pro motibus tam automaticis quam voluntariis & mixtis, pro nutrimento, pro sensibus externis, pro operationibus animæ, pro vigiliis & somno, ac pro commercio animæ & corporis præstandis delineat. In III morbos ab aucto vel imminuto tam ab ipso corpore, & rebus corporeis, quam ab anima excitato motu, & a vitata crasi spirituum nervosorum dependentes examinat. Ubique etiam objectiones Gœlickii jungit & diluit, sicque magis per thesin quam antithesin procedit. In genere vero in Scripto Gœlickiano desiderat, quod 1) statum controversiæ non rite formaverit, 2) discrepantes Auctorum sententias plane erroneas cum confusis, imo etiam distinctis, invicem æquiparaverit, omnesque damnaverit, & 3) potissima argumenta vel non omnia, eaque convenienti ordine & connexionem allegaverit, vel plurima plane omiserit, sicque indicta causa spiritus hos perpetuo exilio multaverit.

49
ACTA ERUDITORUM
ONTLEEDKUNDIGE VERHANDELINGEN
over de vinding van een Spier in de grond des
Baar-moeders.

i. e.

TRACTATUS ANATOMICUS DE MUSCU-
lo, in fundo uteri recens invento, una cum Instructione de
extrahenda Placenta uterina Autore FRIEDERICO
RUYSCHIO, Professore Anatomie & Botanices,
Academiae Naturae Curiosorum & Societatis Regiae
Anglicanae Socio.

Amstelodami, apud Janssonios & Wæsborgios, 1725, 8.

Plag. 5, & fig. æn. Tab. 1.

Clarissimus Ruyschius, ut in Studio Anatomico, ita & in
Chirurgico, si quis nostra ætate alius, omnium consensu
excellit. Nota etiam est ipsius solertia & dexteritas in Arte Obste-
trica, quam Junior adhuc in amplissima Amstelodamensium
civitate per quatuor integros annos frequentissime exercuit, post
quod delapsum spatium a Magistratu officio Collegii Obstetricii
quadraginta annorum intervallo præpositus fuit, ut doceret
examinaretque omnes, quæ huic se arti exercendæ dedere cupi-
ebant in hac urbe, ut iisdem Anatomicas exhiberet demonst-
rationes partium muliebrium partui intervenientium, ut respon-
da daret obstetricibus super difficili partu eum consulentibus, ut deni-
que scrutaretur cadavera puerperarum ad detegendas infelicis
partus mortisque infecutæ causas. Quare factum est, ut meliora
edoctus alia subinde inceserit via, quam qualem ordinario ab ob-
stetricantibus teneri advertebat. In præsentiarum non possumus
ipsum, quam de secundinarum extractione fovet, sententiam
non collaudare, quam jam dum in Adversariorum Anatomico-
Medico-Chirurgicorum Decade II insinuaverat, a nobis in Acto-
rum Supplem. Tom. IIX Sect. IX p. 371 commendatam, nunc
vero hoc in Tractatu in civium suorum gratiam vernaculo idi-
omate uberior explicat & illustrat. Existimat scilicet, placentam
uterinam, foetu in lucem edito, utero nimis arcte affixam, nulla
artis efficacia secure posse educi, consultius ratus, eam ibidem
relin-

relinquere; siquidem observatum fuit, istam a natura post secundam tertiamve septimanam sponte ejici. Vanum enim reputat metum, quasi placenta in utero retenta putrescat, ipseque uterus inde cito corrumpatur, inflamnetur & gangrænescat; vel quasi foetus placenta humores inquinat, ut hæcticæ feбри, inflammationi, similibusque malis fores pandantur; nunquam enim observare potuit, placentam in pus ichoremve abire vel in putridum liquamen redigi; notum etiam est, fæminas carcio uteri, intolerabilem mephitim spirante, affectas, per plures annos superstites esse. Fatetur tamen, placentam retentam substantiam suam integram non servare, sed vel in hydatides, vel massam, farinacæ haud absimilem, abire, & sæpe sub iterato partu cum sano foetu & secundis excludi. Provocat pariter ad pecudum genus, cui ex retentis placentulis, quas ad triginta vel quadraginta utero gestant, nunquam sinistra quid accidere, dicit. Ino provocat ad experientiam in vulgus notam, qua constat, nullam puerperam, intervallo quinquaginta annorum, postquam suam introduxerat methodum, ex retentis secundinis mortuam esse, quarum copiosa antea numerata fuerant funera, quæ vulgari modo erant tractata. In qua sua sententia magis fuit confirmatus Clarissimus Autor, postquam in cadavere puerperæ invenit musculum in fundo uteri, cui ut plurimum placenta adhæret, cujus fibræ orbiculares sunt, cum reliquæ confuso ordine & perplexe uterum transcurrant. Quibus visis judicat, duo excludenda esse in partu, foetum & placentam uterinam, huicque extrudendæ musculum orbicularem, illi reliquam sibrarum sectionem esse dicatam; nec opus esse putat, ut utrique hi actus, cum distinctis peragantur instrumentis, uno eodemque tempore peragantur. Novum hunc musculum in Adversariis III rudi penicillo depingi, in hoc vero Tractatu exactius & nitidius æri incidi curavit, cujus iconem nunc cum L. B. communicamus.

TAB. I.
Fig. 8.

Explicatio Figuræ 8 Tab. I,

quæ repræsentat puerperæ uterum inversum cum novo musculo orbiculari.

A. Uterus inversus.

B. B. D. D. Fibræ orbiculares musculi novi.

C. Centrum coni uterini.

F

EX.

EXCERPTA EX LITERIS D. GEORGII
FRIEDERICI FRANCI A FRANCKENAU
P. P. Hafnia A. 1725 d. 9 Octobris ad D. MICHAELEM
ERNESTUM ET MULLERUM

P. P. datis.

NOvam invenit machinam Johannes Henricus Hefs, Chirurgus & Lithotomus apud nos famigeratissimus, pro calculo ex vesica tenaculorum loco extrahendo, quæ nullam vesicæ vim infert. Experimentum ejus factum est die 26 Septembris, me, alioque Medico, & quinque Chirurgis Provincialibus presentibus, felici cum successu in juvene 28 annorum, qui bene quidem nunc degit, multum tamen materiæ sabulosæ ex renibus descendenti per vesicam quotidie excernit. Mitto hic iconem recens inventæ hujus machinæ, & calculi extracti, ut publico illa innotescat, & a peritis atque curiosis forsan emendetur & perfectior reddatur.

Explicatio Figurarum.

TAB. I.

Fig. 9.

Figura 9 machinam ipsam exhibet.

a a. vesica tenuis, quam undique ambit

bbbb fasciola, per cujus

dddd. medium trajectus est

e c. bacillus ex spina ceti fabricatus.

Fig. 10.

Figura 10 calculum extractum silit.

PROMPTUARIUM RERUM NATURALI-
um & Artificialium Vratislaviense, præcipue quas
collegit D. JOHANNES CHRISTIA-
NUS KUNDMANN, Medicus
Vratislaviensis.

Vratislaviz, apud Michaelum Hubertum, 1726, 4.

Alphab. 1 plag. 2.

NOta per orbem & clara fuerunt Musæa, quibus olim Vratisla-
via superbiit, Kretschmannianum, D. Laurea, Vollgnadio-
rum, D. Scholzii, Kalenbergeri, Crusii & D. Sachsi a Lewer-
keimb,

heimb, quorum tamen nullum 26 abhinc annis amplius extitit. Et quanquam ab eo tempore fuerint, qui non minus nummos quam alia tam naturalia quam artificialia, collegerint, quos inter merito laudandi sunt *Fridericus Maximilianus a Retbel & Hennerdorff*, *Johannes Sigismundus ab Haunold*, *Daniel Caspar a Lobenstein*, *Georgius Mauritius ab Hoffmanswaldau & Daniel a Reusch*; post eorum tamen obitum res collectæ & hæreditatis vel emtionis jure in aliorum venere manus vel distractæ sunt. Cum vero haud pauca eaque sat egregia collegerit Clariss. *Kundmannus*, in Promptuario hoc typis ea exscribi curavit, ut, quæ bis vel pluries possidet, cum amicis communicare, & defectum suæ Collectionis ex aliorum apparatu supplere posset. Inveniet etiam in eo curiosus Lector, quod in aliis Musæis frustra quæserit; siquidem allegavit simul Autor summa industria Autores, penes quos pleraque aut descripta aut ære iacita reperiuntur. Non solummodo autem ea delineat Clariss. *Kundmannus*, quæ ipse possidet, sed & quæ hoc tempore Uratislavicæ partim in locis publicis, partim in multorum Procetum & quorundam privatorum Musæis asservantur. Hinc templa commemorat, cathedrale D. Johannis, ad S. Crucem; ex templis parochialibus, in quibus Evangelicorum Sacra fiunt, D. Elisabethæ, Mariæ Magdaleneæ, S. Barbaræ; in Curia Cæsaris templum Patrum Societatis Jesu, Virginum ad S. Claram, & ad S. Ursulam; Cœnobium D. Virginis & D. Jacobi; ac describit insimul Altaria, Picturas, Tabulas, Statuas, Reliquias, Suggestus, Sacella, Monumenta, Turres, Campanas, Organa pneumatica, & reliqua, quæ in iisdem asservantur. Inter ædificia publica Curiam, Bibliothecas, Elisabethanam & Magdaleneam, Armamentaria bina, Receptacula seu Castella aquaria, siphones pro extinguendis incendiis, laudat, commendatque Hortum Comitis de Malzan, Palatium Comitis Hazfeldii, insignem Picturarum aliorumque prorsus excellentium apparatus *Christophori Comitis de Proskau*, & *Antonii Christophori Comitis & Domini a Proskau*, Musæum *Ernesti Benjamin a Lowenstedt & Ronneburg*, *M. Hanckii & M. Lieben-tanzii* Nummophylacia, *D. Kalschmidii* Musæum Fossilium & Lapidum figuratorum. Promptuarium rerum curiosarum, quas

Clariff. *Kundmannus* possidet, duas transcendit tertias hujus libri, & dispescitur in IV Sectiones, in certas Classes & Articulos subdivisas, quarum I Regnum animale continet, & animalia integra, partesque ex iis desumptas, aut exsiccata, aut in liquore balsamico conservata, & Testacea exhibet; in II Vegetabilia nominantur; in III ex Regno Minerali Gemmæ & Lapidis pretiosi, diversimode figurati, iisque affines, Lapidis tam ἀμφοφι quam ἐμφοφι, Petrefacta, Mineræ metalliferæ, iisque affines, Mineralia, Scorix, Salia, Bitumina, Sulphura & Terræ sistuntur; & in IV Artefacta, Instrumenta & Nummi recensentur. De cetero meditatatur Clariff. *Kundmannus* Opus, in quo Fossilia & Lapidis figuratos examinaturus est, cui absolvendo ut sanitatem & vires Deus ei concedat, ex animo vovemus.

**PETRI ZORNII BIBLIOTHECA ANTI-
quaria & exegetica in universam Scripturam
Sacram.**

Tom. I. Pars I, II, III.

Francof. & Lips. apud Christoph. Gottl. Nicolai, 1724, 8.

Pl. 18.

CL. Zornius, Rector olim Scholæ Plœnensis in Holsatia, nunc Con-Rector Neo-Sedinensis, cum neminem feliciter in S. Scripturæ interpretatione versari posse existimet, nisi qui omnem antiquitatem profanam probe cognitam habeat, optimos quosque & rarissimos ex Hispanis, Italis, Gallis, Belgis, Germanis, Antiquarios paulo fusius recensere, suisque passim animadversionibus illustrare constituit. Nos omiſſa Præfatione, in qua acerbius in adversarios quosdam invelitur, indicem hic tantum dabimus librorum, quos his parvis Operis partibus Autor produxit.

p. 1.

Parte prima enarratur 1 *Constantii Landi* Comitæ in M. Cassii Cacurii & Atiliæ Manduilæ tumulum explicatio, ubi data occasione de pomis agit, quæ amorem denotent; unde & Veneris imago pomum dextra tenentis exstet; simul explicat abusum pomorum in amore excitando. 2 *Octavii Falconerii* dissertatio de

de nummo Apamensi, Deucajeonei diluvii typum exhibente, ubi provocat ad ea, quæ pag. 35 Tom I opuscul. sacrorum dixerat, nimirum nullum argumentum diluvii Noachici depromi posse ex hoc nummo, etiamsi arca in eo appareat, inscriptio arcæ Noe, columba cum ramo oleæ & reliqua. 3 *Funerailles & diverses manieres d'ensevelir des Romains, Grecs &c. descrites par Claude Guichard.* Hic nonnulla habet Autor de apotheosi Romana, observatque, per aquilam, rogo evolantem, mentem Imperatoris in coelum sublatam designari, hincque ἀετῶν divinitatis cultum dictum, quo & vocabulo Paulus usus hunc ritum respexit: addit etiam hic quædam de sepultura Judæorum. 4 Numismata ærea Imperatorum, Augustarum & Cæsarum in coloniis & municipiis, autore Jo. Foy-Vaillant, recensens, disserit de epistola quotannis per mare delata ex Alexandria Byblum Phœnicæ, nullo nauclero navem gubernante, cujus miraculi Lucianus testis est ἀντόπτης. Habet & quædam de Astarte, Dea Tyrionum tutelari; ut & de Neocoris, sacrarum ædium & ludorum publicorum curatoribus, notatque, Ephesios maximo honori sibi habuisse, quum sub Hellogabolo quartum Neocori constituti essent. 5 Jo. Harduini nummi antiqui populorum & urbium. Varia hic tractat nomina, qualia: Neocoros, στρατηγός, ἀνθύπατος, Duumvir urbis, Metropolis, ἀπὴν, mulare vehiculum, Chora, χωρὰ, civitati circumjectus ager, unde Chorepiscopus, Θεοὶ Ἀρχαῖοι, Dii custodes arcis, & urbis, Απόλλων Σάγκτος, & Simon Sanctus, Asiarches, Magistratus ludorum Astaroth. 6 Navis ecclesiam referentis symbolum in veteri gemma annulari insculptum, autore Hieronymo Aleandro. Multa & hic curiosa reperiuntur de voce, anchora, qua denotatur uncus in trabe sancti sanctorum, super quem trabs minor una cum velo appenso quievit; tum mystica significatio verbi, navis, explicatur.

Parte II exhibetur Jo. Schfferi Agrippa liberator, seu dissertatio de novis tabulis. Novæ tabulæ dicebantur leges seu decretum communi consensu factum, quo debita in universum remittuntur, ita ut nec corpora nec bona debitorum amplius retineantur; cui legi statuendæ sæpissime summa pauperies civitatis & exorta seditio ansam dabat. 2 *Raphaelis Tricheti du Fresne* Epistola

- p. 106. de Charondæ effigie. Cum Charondas, legislator urbis Catanæ patriæ suæ, pingatur cum cornibus, inde Autor erudite admodum de cornuum imagine in capitibus hominum, eorundemque significatione disserit. 3 *Nicolai Toinardi* fragmentum historię Herodiadum. 4 *Philippi a Turri* dissertationes de Beleno, & aliis quibusdam Aquilejensium Diis. Belenum, Baal, Bel, & Apollinem unum idemque asserit numen, & Bel Een interpretatur Deum fontis & aquarum. 5 *Abenephii* sequitur liber singularis de servitute Ægyptiaca Israelitarum, a Kirchero millies allegatus, quippe in quo omne prælidium ponit antiquitatum Ægyptiacarum, quem tamen vel ipse finxit, vel ab alio fictum erudito orbi obtrusit, velut arabico idiomate consignatum. 6 *J. Gotthofredi* epistola de interdicta Christianorum cum gentilibus communione. 7 *J. Gotthofredi* dissertatio de velandis mulieribus, deque exuvia capitis, ad Pauli locum 1 Cor. XI, 10. 8 *Dionysii Petavii* notæ ad Themistii orationes 19, ubi inter alia ostendit, acervum lapideum sepulturæ injectum notam ignominie fuisse. 9 *Guiliel. Salde- ni* de canis pretio ad Deuter. XXIII, 10, ubi evincit, per canem intelligi adolescentem lascivum, disseritque de pretio meretricum, quas dicitur ait *πέρλας*, quia per plateas obambulant.
193. Parte III sistitur 1 *Jo. Chiffetii* Aqua Virgo, fons Romæ celeberrimus & prisca religione sacer, ubi varia de cultu fontium, statuisque in ipsa earum scututigine positis, qualis illa Socratis apud Athenienses. 2 *Ottom. Sperlingii* de crepidis veterum Diatribe. 3 *Jacobi Sponii* ignotorum atque obscurorum quorundam Deorum aræ. 4 *Famiani Nardini* Roma vetus. Hic demonstrat, *νησσοῦ* insulam dici ædificia Romana, quæ circumiri poterant, & rectissime applicantur ad Apocal. XVII, 9. 5 *Tanaquilli Fabri* Epistolæ, ubi quaeritur de dubia origine asini, Judæorum Dei, ex figmento Fanonorum, de vocibus *ἀγγελος*, *ἀποθανέν*, *ὁρδοπεδ*, *ἐπίσσιος*. 6 *Josephi Nerii* Analecta, ubi pariter voces quædam Græcæ explicantur. 7 *Jo. Marii Mattii*, Brixiani, libri tres opinionum, ubi *πέρλας* denotare docet gestum amatorium, & saltationis magnam fuisse usum in sacris, probat. 8 *Josephi Castellioni* explicatio inscriptionis Augusti, quæ exstat in basi obelisci statui ante portam populi. Hic Noster voces, Augustus & *σέβασος*, ad.

adorabilis interpretatur. Ceterum optabunt omnes, quibus Cl. Auctoris diligentia & sagacitas in indagandis antiquitatibus perspecta est, ut in recensendis ac emendandis Antiquariis pergat, numerumque, quem statuit sibi, millenarium feliciter absolvat.

NOVA LITTERARIA.

Parisii nuntiatur, Virum Clarissimum, *Franciscum Dionysium Camusat*, qui edito haecenus libro *Bibliothèque Francoise* (quem ipse quidem in Litteris ad Amicos *indigestum lascivientis adolescentiae fructum* vocare pro modestia consuevit) nuper inclaruit, jam in eo esse, ut edat *novam Ephemeridum Historiam*, cujus Tomus I, quo Diarii Parisiensis sortem accurate descripsit, prelis Ratavis subjectus est. Procedet in sequentibus ad exterorum etiam Ephemerides, imprimisque, quoad licebit, id operam dabit, ut Auctores earum omnes enarret, horumque vitas ac mores describat, deinde de iudicia de illis colligat Virorum doctorum, sive æquas sint, sive iniquas, denique recenscat, quos adversarios expertæ fuerint, & quæ hinc inde scripta controversa prodierint.

Dacherius & Mabillonius, quorum iudicio facile Eruditi omnes acquiescent, veterem Monachorum Disciplinam non Monasticis modo, sed etiam Ecclesiasticis rebus illustrandis ita necessariam existimabant, ut vetustos auctores, qui litterarum monumentis illam commendaverant, colligere & luce publica donare cogitarent. Dolendum sane, quod illos alio avocaverint aliæ occupationes. Equis enim id melius præstare potuisset? Consilium vero ab illis relictum exsequi parat Monachus S. Blasii in Nigra Silva, qui typis mandare cepit Parisii volumen in Quarto, cui titulus: *Vetus Disciplina Monastica, seu Collectio Auctorum Ordinis S. Benedicti, maximam partem ineditorum, qui ante sexcentos annos per Italiam, Galliam atque Germaniam de Monastica disciplina tractarunt. Continet res non modo Monasticas, sed etiam Ecclesiasticas ad Historiam Sacram pertinentes. Prodit nunc primum cura & studio ** Presbyteri & Monachi Benedictini Monasterii S. Blasii in Silva nigra. Cum triplici indice, I Librorum & Capitum, II Vocum exoticarum, III Rerum & verborum. Parisii, typis Caroli Osmont, Bibliopola Parisiensis, via San-Jacobæ, ad insigne*

insigne Olive; MDCCXXV. Continebuntur opere hoc sequentia: Petri Diaconi Disciplina Casinensis ex autographo Ms. Bibliotheca Casinensis. S. Sturmii, primi Fuldensium Abbatis, Consuetudines, ex Italia circa medium VIII seculi Fuldam illata, nunc auctori suorescituta. Theodemari Usus Casinensis, ad Carolum M. sub finem VIII seculi transmissi. S. Benedicti Anianensis Capitula de Disciplina Monastica suo auctori asserta: quae ante & post Aquisgranense concilium conscripserit. Capitula Monachorum ad Augiam directa ante annum DCCCXVII. Capitulare Aquisgranense de vita & conversatione Monachorum. Capitula Monachorum San. Gallensium, ad Regimbertum missa. Luxovienses ritus, ex vetusto Psalterio Luxoviensis Abbatiae Ms. eruti. Guðdonis Farfensis & Monasterii S. Pauli Romae Disciplina; ex Ms. Vaticano num. 6308 & veteri codice Ms. S. Pauli in urbe. Bernardi Cluniacensis consuetudines a mendis purgatae, & ad fidem Ms. codicis S. Germani a Pratis castigata. Excerpta ex Divionensi disciplina, quae cum Frucluariensi communis erat, ex Ms. Benignianis. S. Wilhelmi Constitutiones Hirsaugienses seu Gengenbacenses seculo XI facta, accentum & ultra Germaniae Monasteriis illata, ex Ms. Einsidlensibus. His porro accedent Fragmenta Veteris Disciplinae Monasticae: Lectiones coram hospitibus recitari solita, juxta praeceptum S. Benedicti Reg. cap. LIII ex Ms. per antiquo Rbinoviensi. Formula petitionis & professionis Monasticae, ex Ms. Biblioth. Vindobonensis Aug. Caesareae, S. Galli, & Augiensis. Formula offerendi pueros in Monasterio, ex Ms. S. Galli seculo IX exaratis. Formula Excommunicationis ex Ms. Codice Mellicensi. Orationes tres ante Matutinum & Vesperas a Monachis recitari solita, ex Ms. Breviario Casinensi, quod in domo Instit. Paris. D. J. observatur.

Ceterum letere nolumus Lectores nostros, Virum Cl. Jo. Frid. Schannat, quo rectius Traditionibus suis Fuldensibus, Lipsiae 1724 editis & in his Actis Anno superiori M. Jul. p. 296 a nobis recensitis, consuleret, nuper admodum duplicem libri Indicem, haecenus desideratum, alterum rerum ac nominum memorabilium, alterum Topographicum, Fuldæ typis Jos. Ant. Käst, Typographi Aulici, publicasse, quo vix carere poterunt, qui opere jam pridem prostante rite uti cupiant.

No. II
**ACTA
ERUDITORUM,**

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXXVI.

**RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB
anno Æræ Christianæ D ad MD. LUDOVICUS AN-
TONIUS MURATORIUS, Sereniss. Ducis Mutinæ
Bibliothecæ Præfectus, collegit, ordinavit &
Præfationibus auxit.**

Tomus VI.

Mediolani, ex Typogr. Societ. Palat. in Regia Curia, 1725, f.

Alph. 7 pl. 6 Tab. 2n. 2

STrenuo & incredibili propemodum labore institutum pro-
sequitur Celeb. *Muratorius*, qui & sextum, & nuperissime
septimum, ut accepimus, Tomum Scriptorum Italiæ me-
dii ævi in lucem protraxit, proxime etiam editurus octa-
vum & paucos alios, quibus integrum Opus absolvet. Ex-
hibet vero hoc sexto Tomo, quem Eminentissimo *Giberto* S. R.
E. Cardinali *Borromeo*, Episcopo Novariensi, magno Mæcena-
ti, sacrum voluere Palatini Socii, interprete *Philippo Argelato*,
primo lecco *Petri Diaconi* de Viris illustribus Casinensibus opu-
sculum, cum supplemento *Placidi*, Monachi Casinensis, quæ
primus cum notis suis, hic repetitis, edidit Jo. Bapt. Marus, Ro-
mæ 1655, post in Bibliotheca Patrum Tomo XXI, iterumque Par.
1666, denique a Viro Cl. J. A. Fabricio in Bibl. Ecclesiastica recu-
sa. Succeedunt *II Acta translationis Corporis S. Gemintani*, Epi-
scopi & Patroni Mutinensis, ex uno templo in alterum Mutinæ
A. 1106 factæ, præsentem Mathilde, quam Noster, Comitissam
Mutinæ, seu certe magna in urbe autoritate fuisse, arguit: ac-
cessere pauca quædam ex eodem Codice, quæ Henricum V Imp.
& Mathildem spectant. *III* Quinque *Chronica brevia Pisana*, ab
Ugbe-

Ughello Tomo III Italiae S. mendose satis exscripta, quorum tria quidem e Codice Lucensi emendatiora nunc prodeunt: accedit ex eodem *Ughello* carmen *de expugnatione Majoricae* a Pisanis facta, autore coevo *Laurentio Veronensi*. Notat hic *Cl. Muratorius* incuriam *Ughelli*, qui & in designandis annis contra fidem codicum saepius erravit, & Boreales insulas non uno in loco dixit, quas Baleares dicere debuisset. IV Anonymi *Venusini*, quem Saeculo XII vixisse Noster evincit, *Vitae quatuor priorum Abbatum Cavensium, Alberii, Leonis, Petri & Constabilis*, nunc primum e *Clar.* olim *Viri Bened. Bacchini* apographo editae, quibus praemittitur Diploma *Guaimariorum Principum* de concessione *Monasterio Cavensi* A. 1025 facta, & subjicitur *Historia consecrationis ejusdem monasterii*. Prolixi sunt imprimis *V. Caffari* ejusque *Continuatorum Annales Genuenses* ab A. 1100 ad A. 1294, quos beneficio *Josephi Malaspinae* S. R. I. Marchionis, cujus tamen Codicem recentem cum alio, quamvis non integro, non sine fructu contulit, in lucem nunc tandem protraxit *Cl. Muratorius*. Idem multus est in libri commendatione, cum nulla fere Italiae urbs de *Historia* sibi gratulari possit, quae a tot praestantissimis successively autoribus, tanta diligentia, de rebus, quae sub oculis ipsorum gestae sunt, publica quidem autoritate ac fide, scripta sit. *Cassarius*, *Consul Genuensium*, cum ipse cum civibus quibusdam in *Palæstinam* profectus fuisset, imprimis res illic a *Genuensibus* ab A. 1100 ad 1163 prospere gestas descripsit: cui succedens in hac scribendi provincia *Obertus Cancellarius* res integri decennii usque ad 1174 attexuit. Inde opem ferre conati sunt *Ottobonus, Ogerius Panis, Marchisus & Bartholomæus*, qui omnes, praeter *Ogerium*, *Scribae h. e. Cancellarii* dicti, res ad A. 1263 deduxerunt. Post hos publico decreto ad continuandum laborem adsciti quatuor nobiles, *Lansfrancus Pignolus, Guil. de Multedo, Marinus Ususmaris & Henricus Marchio Gavii*, rursusque A. 1266 *Nic. Gierius* ac plures alii, e quibus tandem unus *Jacobus de Auria* res ad A. 1294 perduxit, nullum naclus successorem, nisi forte *Jacobus de Voragine & Georgius Stella*, quorum *Annales Genuenses* alio Volumine se proditorum, pollicetur *Cl. Editor*, quodammodo hoc opus continuasse dicendi sint. Succedit VI brevis *Historia Li-*
bera.

berationis Messanae a Saracenorum dominatu, factæ per Comitem Rogerium Normannum, ex Steph. Baluzii Miscellan. Tomo VI ob insignem, quam sapit, vetustatem decerpta. VII *Otonis Frisingensis* Episcopi ejusque Continuatoris *Radevici* Libri *de gestis Friderici I Imp.* qui cum Germanis nostris sint satis noti, non est ut plura notemus, quam quod libris his, a Cuspiniano primum 1515, iterumque ab Urstisio inter Scriptores rerum Germ. excusis, novum nunc lumen accessit ex collatione MSptorum Codicum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, quam Celeb. Bibliothecæ Præfectus & Archiater Cæsareus, *Pius Nicolaus Garelius*, antehac Medicinæ in patrio Bononiæ Lycæo Professor, per Nicolaum Forlosiam, Neapol. adornari curavit. Quæ etiam felicitas obtigit VIII *Otonis de S. Blasio* Appendici ad Otonem Fris. & Radevicum, ab Urstisio primum vulgatæ, quæ variis Lectionibus multo pluribus ex ejusdem Bibl. Codice exornata est. Accessit IX Epistola *Burchardi*, Notarii Imp. *de victoria Friderici Imp. & excidio Mediol.* subjectis e novissima *Freberi* editione notulis Burch. Gott-helf *Struvii*. X *Magistri Boncompagni* liber de obsidione Anconæ, a copiis Friderici I Imp. A. 1172 peracta, ejusque urbis liberatione, e membrana prope cœva, quæ nunc in ipsius *Phil. Argelati*, sæpe jam nobis in recensione hujus operis laudati, manibus est, nunc primum vulgatus. Observat vero Cl. *Muratorius* ex ineditis Sicardi, Romualdi, Andreæ Danduli, & Rolandini Chronicis, quæ omnia se vulgaturum deinceps, promittit, hunc Boncompagnium, de quo Scriptores editi fere omnes tacent, circa A. 1221 Bononiæ primum *Grammatices* magistrum fuisse, hoc est, non Latinæ tantum linguæ rudimenta, sed & Poetas, Oratores aliosque Scriptores explicasse, eundemque fuisse, hariolatur, quem *Bennum* vel *Bene* Florentinum vocat Sigonius Lib. V Hist. Bonon. ubi Petrum de Vineis, de ejus morte scribentem, testari ait, *Grammaticæ Artis extinctam esse lucernam, ac fœcatum esse fontem irriguum*; quod ut crederet Noster, suadet eadem ætas, patria, professio, tum & Bononiense Gymnasium; adeoque censet, aut duplex ipsi nomen fuisse, aut ex abbreviatione nominis *Bone*, qualis scribis ejus ævi solennis fuit, male lecta, factum *Bonus* aut *Bene*. XI *Otonis & Acerbi Morenae*, Patris & Filii, *Historia Laudensis*

denſis a Felice Ofio primum, e MSpto non optimæ fidei, cum notis ipſius Ven. 1629 edita, iterumque ibidem 1639 a Nicolao Craſſo, ac demum a J. G. Grævio in Theſ. Antiqu. & Hiſt. Italiæ Tomo III P. II & a G. G. Leibnitio Scriptor. rerum Brunſv. T. I ad Ofii editionem nimis forte religioſe recuſa, hic ita repetitur, ut textui Ofiano adjungatur a latere textus integer Codicis vetuſtioris Ambroſiani, quippe adeo ab illo diverſi, ut variæ lectiones non ſine gravi Lectoris tædio ſubjici potuiſſent, comparati tamen cum alio recentiori Ambroſiano; & addantur tum Ofii notæ, a Leibnitio omiſſæ, tum novæ *Jof. Ant. Saxii*, quibus Ofium, qui vix quartam operis partem, priorem nempe, illustraverat, non infeliciter ſuppleviſſe dicendus eſt. Tandem adjungitur *Sire Raul* ſive *Radulphi Mediolanenſis de rebus Geſtis Friderici I Imp. in Italia*, ab A. 1154 ad 1177 *Commentarius*, brevis quidem, at curioſus & magna veritatis ſpecie, quam Autor ſynchronus prodit, conſcriptus, ſcriptoribus aliis, ſi *Triflanum Calchum* excipias, pene omnibus ignotus, quem nunc *Cl. Muratorius*, ex inſtructiſſima Collegii Patrum Soc. Jeſu Braydenſis, quod Mediolani eſt, Bibliotheca depromptum, Morenis commodo loco ſubjiciendum putavit, ut Lector utriuſque partis Scriptores, Ottonem imprimis Morenam, qui Friderico I Imp. militabat, & Rudolphum hunc, qui Mediolanenſium, civium ſuorum, res deſcripſit, inter ſe rite comparare poſſet.

TRAITE DE L'ETUDE DES CONCILES,
& de leurs Collections.

i. c

TRACTATUS DE STUDIO CONCILIORUM,
eorumque Collectionibus variis.

Pariſiis, ap. Andream Cailleau, 1724, 4.

Alph. 3 pl. 17.

TRactatum hunc de Conciliis, cujus Autorem eſſe doctiſſimum *Salmonium*, Doctorem ac Bibliothecarium Sorbonæ Pariſ. compertum habemus, eo majori cum voluptate perluſtravimus, quo magis certum ac evidens eſt, in hoc ampliſſimo ſtudio-

studiorum campo & ingrediendo & emetiendo desiderari adhuc
 Criticorum industriam. Etenim, quod in Præfatione huic operi
 præmissa monetur, Mabillonius quidem ad studia Monastica rite
 instituenda (vid. Actor. Supplem. Tom. II pag. 267) Lamius ad
 Scripturam sacram recte intelligendam, (vid. Acta A. 1710 p.
 292) & Bonaventura d'Argonne, Vicarius Carthusianorum S.
 Juliani Rothomagensis, ad scripta Patrum & Doctorum ecclesiæ
 justo ordine & cum fructu legenda, introductiones dederunt;
 quorum ultimus proculdubio autor est tractatus, a nobis Suppl.
 T. II p. 270 ex Mabillonio citati, qui &, iudice Autore nostro,
 editores Patrum eadem, qua Simonius editiones & versiones co-
 dicis sacri examinavit, critica ratione prosequi potuisset: in Con-
 ciliis vero legendis hactenus vulgaribus tantum eorum colle-
 ctionibus & compendiis uti licuit, & qui novas Conciliorum
 Collectiones adornarunt, modo addendo, modo pro lubitu suo
 subtrahendo, suum secuti sunt genium, & non solum plurima
 intacta reliquerunt, sed etiam ea, quæ edita sunt, non ea, quæ
 quædam fieri debuisset, ratione illustrarunt. Qui hanc vel il-
 lam veritatem stabiliendam, vel hæresin aliquam rejiciendam,
 vel materiam quandam ad historiam ecclesiasticam pertinentem
 excutiendam sibi sumserunt, ea quidem, fatente Autore nostro
 in proximo hujus operis, magno cum studio conquiverunt &
 examinerunt omnia, quæ ad scopum suum collineare videban-
 tur: omnibus tamen conciliis secundum artis criticæ præcepta
 examinandis, vel quoad singula momenta geographica, chro-
 nologica & historica, præsertim Episcoporum & Episcopatum,
 locorumque nomina, quorum in conciliis passim mentio injici-
 tur, illustrandis, perpauci hactenus suam impenderunt operam.
 Imo in omnibus, quæ hæc exiguo numero magnoque sumptu
 editæ sunt, Conciliorum Collectionibus errores & defectus de-
 prehendantur admodum notabiles, adeo, ut nulla ex iis omni-
 bus numeris absoluta dici possit. Hinc viris, qui in conciliis col-
 ligendis desudarunt, doctissimis, nec sua laude privandis, nul-
 lam se facturum esse injuriam credidit Autor noster, si in hoc
 studiorum genere ulterius progrediendi viam monstrare aggre-
 deretur. Atque hac mente *Introductionem criticam in Concilia*

eorumque Collectiones, quo titulo opus hoc, magno cum labore compositum, nec minori doctrina refertum, jure meritoque insigniri potest, eruditorum orbi exhibiturus, & difficultatum, quibus Conciliorum lectio & collectio premitur, numerum imminuendo, ad præstantiorem perfectioremque Conciliorum editionem alios excitaturus, observationes & annotationes, quas Mabillonius, Sirmondus, Labbeus, Collartius, Alexander, Albalpinæus, Holstenius, Tillemontius, Pinus aliique in operibus suis, quibus perlegendis vix ætas nostra par videtur, de Conciliis consignarunt, in certa capita redegit: nec eorum, qui hæreticorum nomine Pontificiis veniunt, vel certe illis omni ex parte non probantur, utut Romano Catholici nominentur, libros de Conciliis scriptos supine contemnendos, sed in subsidium subinde vocandos esse censuit, ut de questionibus controversis eo rectius ferri queat judicium. Qua prætexta causa se ipsum excusare voluit, ne pariter in hæreticæ pravitatis suspicionem incideret; quo tamen metu superfedere potuisset, cum placita Romanæ sedis, ea quidem, qua prudentiores Gallorum solent, ratione asserere & tueri non dubitet; id quod ex sequentibus luculenter satis apparebit: in quibus si quis nos insolitæ prolixitatis arguat, is sciat, in unius libri recensione plurimum excerpta contineri.

Argumentum hujus operis, quod *tribus* constat *Partibus*, & quid in illo præstitum sit, ut more nostro ingenue pleneque indicemus, in *prima* Parte exponitur & commendatur utilitas, quam ex Conciliorum studio redundare Autor contendit: in *altera* Collectiones Conciliorum & antiquiores & recentiores, quotquot inveniuntur, non solum recensentur, sed etiam ad examen criticum revocantur: in *tertia* denique ratio præscribitur, qua studium Conciliorum sit instituendum.

Utilitatem, quam Conciliorum lectio pariat, universim spectatam, in Partis primæ Capite primo demonstraturus Autor, voluntatem Christi redemptoris ex sententia ecclesiæ Romano-Catholicæ cognoscendam esse præfatur ex sacris literis, ex constitutionibus & decisionibus ecclesiæ, ex scriptis Patrum, nec non ex consuetudinibus ab Apostolis, quod vulgo creditur, traditis,

atque

atque in hunc usque diem servatis. A Scripturis ergo sacris si discesseris, nulla dari aſſerit ſacratiora monumenta, quam quidem Concilia, cum generalia, tum particularia: momenta vero in conciliis diſcuſſa & definita, vel ad doctrinam pertinere & articulos fidei, quos religio Chriſtiana præcipit; vel ad diſciplinam & regimen eccleſiaſticum; vel ad mores Chriſtiano nomine dignos, ſive ad faciendâ & fugiendâ. Hinc Concilia magnæ ſemper autoritatis fuiſſe, & quod Joſephi Ripamontii verbis affirmatur, *vinculum & frenum antiquitus repertum ſupremæ poteſtati, quotieſcunque Pontificis ipſius culpa & vitio Catholica fides detrimenti aliquid accipiat.* Hinc Collectiones Conciliorum inſtructiſſimum dicit armamentarium, theſaurum incomparabilem, codicem legum ſanctiſſimarum univerſalem, bibliothecam ampliſſimam. In eccleſia orientali etiam dies feſtos celebratos eſſe commemorat in conciliorum priorum œcumenicorum memoriam. Quando autem in conciliis divinam tribuit revelationem & inſallibilitatem, quam tamen tum demum valere ſtatuit, cum conciliorum legitime celebratorum canones ab eccleſia fuerint recepti, auctoritatem conciliorum plus juſto extolli, facile agnoſcent, qui in rebus fidei literarum ſacrarum ex divino aſſatu conſcriptarum ſententiam, veluti normam & regulam, unice ſpectandam eſſe norunt. Utilitatem Conciliorum Autor in capite ſecundo per quatuor articulos ſpeciatiim deducit, reſpectu ſcilicet habito dogmatum & morum, diſciplinæ & hiſtoriæ, præſertim eccleſiaſticæ. Et primum quidem quod ad *dogmata* fidei attinet, in conciliis obſervat, vel articulos fidei principales eſſe confirmatos. e. g. de divinitate Chriſti in concilio Nicæno: vel minus principales, qui ex primis fidei principiis per conſequentiam fluunt, atque ad doctrinam fidei pertinent, definitos: e. g. de duplici voluntate Chriſti in ſexto Concilio œcumenico contra Monotheletas habito: vel quæſtiones minoris ponderis, quæ in ſacris literis non evidenter expoſitæ ſunt, ventilatas eſſe: e. g. an angeli eodem, quo orbis viſibilis, tempore ſint creati, in quarto concilio Lateranenſi. Ex pluribus, quæ adducuntur, dogmatibus ponderari merentur, quæ de jure Principum circa ſacra, de quæſtione, utrum proceſſio Spiritus S, a Filio ex Baſilii M. ſcriptis probari poſſit, &

p. 11.

12.

14.

25 & 74.

28.

de

- p. 28. de confessione sacramentali notantur; ubi Dallæum, de confessione ante hæc postrema sæcula controversiam motam esse, perperam negare, ait, cum Aldebertus in Concilio Romano sub Zacharia P. R. anno 745 habito, ob solam negatam necessitatem confitendi peccata ad impetrandam absolutionem in numerum hæreticorum sit relatus. Ad doctrinam *morum* plurimum utilitatis ex conciliis accedere, dum Autor probare conatur, pluribus ostendit, quomodo a prima severitate & puritate successu temporis abierit ecclesia, ingruenti autem malo remedium sit quæsitum in conciliis. Pari ratione copiose satis adducuntur ea, quæ ad *disciplinam* ecclesiasticam spectant, & vel diversis temporibus ac locis sancita, vel etiam certis de causis immutata fuerunt: ex quibus
34. tantum notamus, milites in iustis tantummodo bellis castra secutos, pœnitentiæ publicæ fuisse subjectos: & extremam unctionem olim ante acceptam sacram cœnam adhibitam fuisse; ex falsa autem opinione, ac si in conjugio viventibus post acceptam extremam unctionem copula carnalis non amplius licita sit, quantumvis superstitiosa & falsa hæc opinio ab Episcopo Sarisburiensi a. 1217, & in concilio Oxoniensi a. 1287 ac Windesoriensi a. 1308 rejecta fuerit, in omnibus tamen ecclesiis morem increbuisse, ut extrema unctio ad ultimum usque vitæ halitum differretur. Atque
46. in hoc articulo Dallæus iterum notatur, qui pœnitentiæ publicam sæculo decimo tertio, vel post Innocentium III P. R. prorsus extinctam esse, affirmat. Conciliis denique probat cum *historia* & sacra & profana arctissimum intercedere nexum, eorundemque occasionem & scopum præcipuas esse historię ecclesiasticę partes; cumque omnis generis facta & acta in conciliis occurrant, ex illis res non solum ecclesiasticas, sed & politicas, civiles & militares, quarum magnam affert copiam, egregie collustrari posse, Autori nostro facile largimur, qui hac de causa optimos quosque scriptores, Eusebium, Hieronymum, Theodoretum, Cyprianum, & alios conciliorum conservasse memoriam demonstrat. Cum vero auctoritas conciliorum quinque potissimum
62. objectionibus impugnetur: videlicet exemplaribus, quæ hodie extant, parum haberi posse fidei, & longe aliam esse rationem
78. Scripturæ S. per providam Dei curam in integritate sua conservatæ,
61. 79. 106.

vata, aliam Conciliorum, quæ, Crabbio fatente, magna ex parte deperdita sunt & inutilata: editiones quoque Conciliorum plurimum differre: Papam Romanum canone Concilii Nicæni usum esse suppositicio, ad Primatum sibi vindicandum; in canone porro trigesimo quinto Concilii Laodicensi vocem *angelos* substitutam esse pro *ungulos*: omitti etiam in conciliis, quæ Pontifici non ardeant: apertas dari in conciliis contradictiones, & partem potentioiorem semper triumphasse de adversariis suis, ut modo orthodoxi, modo heterodoxi in conciliis prævaluerint: denique Gregorium Nazianzenum de conciliis parum honorifice sensit, nec persuaderi cogique potuisse, ut Concilio Constantiopolitano A. 382 interesset; hæc objectiones in Capite tertio diluere conatur Autor noster, & multa erudite satis disputat, quæ in ipso hæc tractatu legant ac dijudicent, quorum interest de conciliorum judicare valore.

Nos, missis hæc, progredimur potius ad alteram Partem hujus operis, quæ Conciliorum Collectiones latius persequitur, & capitum numero, atque observationum criticarum copia, reliquis præstat. Ethic Lectori nostro rem nos facturos esse speramus longe gratissimam, si præstantiora quædam capita paulo copiosius retulerimus. Antiquas conciliorum collectiones Autor noster *Capite primo* hujus partis commemorat, & quatuor principales Collectiones Græcas; totidemque minimum numerari tradit Latinas, Canonum Apostolicorum collectione in hunc numerum non relata. Primum quidem inter collectores conciliorum locum mereri censet Athanasium, qui librum per modum Epistolarum ad amicos conscripsit de Synodis Ariminese & Seleuciensi: Hilarium quoque rogatu Episcoporum Gallorum librum de Synodis composuisse, & literas Græcorum Synodales collegisse: primam tamen collectionem conciliorum Græcam dicendam esse; quæ circa annum 385, autore Stephano Episcopo Ephesino, vel Sabino Episcopo Heracleensi, vel, quod Autori nostro magis probabile videtur, alio quodam anonymo facta: hunc vero compilatorem circa initium sæculi quinti vixisse, & sectæ Macedonianorum addictum, in odium ecclesiæ orthodoxæ; & imprimis concilii Nicæni ea tantum selegisse, quæ Systemati suo favere

- p. 144. videbantur: Socratem tamen ex hac collectione plurima defum-
 sisse, & in suam transtulisse historiam, ea scilicet quæ l. 2 c. 39 de
 concilio Seleuciensi refert, nec non l. 3 c. 25 epistolam ab Epi-
 scopis orientalibus Imperatori Joviano Antiochiæ oblatam. Al-
 teram collectionem Græcam sub titulo *Codici canonum ecclesiæ*
universæ, paulo post concilium Chalcedonense confectam, stu-
 dio & opera Christophori Justelli conquistam, & post mortem
 ipsius a Voello & Henrico Justello Christophori filio una cum
 aliis esse editam: in hac collectione, cujus autor dicitur Stepha-
 nus Episcopus Ephesinus, canones haberi novem conciliorum
 Græcorum, qui jus canonicum antiquum ecclesiarum orientali-
 um constituunt, nempe canones concilii Nicæni XX, Ancyran
 XXV, Neocæsarensis XIV, Gangrensis XX, Antiocheni XXV, La-
 odiceni LIX (Fabricius in Bibl. Gr. Tom. XI p. 41 ponit LXI) Con-
 stantinopolitani primi VII, Ephesini VIII, & Chalcedonensis
 XXIX. Titulum Codicis ecclesiæ universæ impugnari quidem a
 Francisco Florente in Dissertatione de origine & auctoritate Juris
 Canonici, eo potissimum, quod canones Sardicenses in hoc codi-
 ce non inveniuntur; excusari tamen & defendi a Quesnellio in
 tr. de discipl. eccles. p. 31: hunc ipsum codicem ecclesiæ univer-
 salis ne utiquam confundendum esse, uti quidem Cardinalis Pec-
 ronius in responf. ad Reg. M. Brit. fecisse dicitur, cum *Codice ec-*
clesiæ orientalis, quem Joh. Tilius edidit: denique Constantium
 in præfatione novæ suæ editionis Epistolarum Pontificum proba-
 re, jam ante Concilium Chalcedonense codicem canonum col-
 lectum fuisse. Ecclesia Romana nullum alium codicem habuisse
 videtur usque ad Concilium Nicænum, quam traditionem regu-
 larum apostolicarum; nec postea ullos admisisse canones usque
 ad Pontificem Innocentium I, quam qui Niceæ sunt decreti: &
 quod Constantius affirmat, nulli canones vim Romæ habuisse
 dicuntur apte codicem Dionysii Exigui. Primam & antiquissi-
 mam collectionem Latinam sexto, uti creditur, sæculo scriptam,
 in bibliotheca monasterii Corbiensis haberi, Autor nosser perhi-
 bet: alteram vero esse eam, quam Quesnellius ex MSC. Oxoni-
 ensi edidit, ejusque defectus ex aliis, quæ in pluribus aliis biblio-
 thecis adhuc habentur, manuscriptis facile suppleri posse: ter-
 tiam

tiam collectionem latere in bibliotheca Colbertina: quartam vero esse Dionysii Exigui, qui Abbas fuit monasterii cujusdam Romæ; ubi Autor ostendit, in quo collectio Dionysii a codice ecclesie Romanæ, nec non a codice ecclesie universalis differat. Describit porro Codicem ecclesie Gallicanæ, Codicem Hadriani Pontificis Rom. Carolo M. datum, Collectionem S. Isidori, Codicem ecclesie Hispanicæ ante ipsum Isidorum compilatum, Collectionem denique Martini Braccarenfis; & quanquam difficile sit determinare, cujus in ecclesie usum hæc vel illa collectio facta sit, ostendit tamen, canones ecclesie Gallicanæ non solum in Gallia, sed & in Hispania legis vim obtinuisse, nec non in Anglia, in qua quinto demum sæculo primum, quod S. Patritii dicitur, & septimo alterum habitum fuit concilium Herefordiæ. In hoc concilio cum Theodorus, quem Autor noster Episcopum hujus urbis, puta Herefordiæ, dicit, alii vero Archiepiscopum Cantuariensem fuisse affirmant, codicem canonum protulerit, quos Angli quoque observare decreverunt, & ex illis decem capitula pro statu ecclesie Anglicanæ præsentis potissimum commendaverit, quæritur, utrum Theodorus auctor illius codicis fuerit, nec ne? Justello affirmante, & Beda tacente, Nostro probabile videtur, codicem Theodori a codice ecclesie Romanæ non diversum fuisse; eundem tamen Theodorum codicem canonum, & codicem pœnitentialem composuisse, non dissitetur. In Germaniam, serius ad fidem Christianam conversam, circa tempus Riculfi, Episcopi Moguntini, compilationem falsi Isidori delatam esse perhibet. In Africana vero ecclesia quatuor diversos Codices canonum a primordio ejus usque ad octavum sæculum usurpatos fuisse inonet, quos Noster ordine describit: qua occasione triplicem Baronii errorem notat, primum quod collectioni Ferrandi CCC capita tribuat, cum tantum CCXXXII habeat; deinde quod Ferrandi & Crisconii Collectiones confundat, ac si Crisconius suæ collectioni tantum Ferrandi opus adjunxerit; & denique quod de illis loquatur, tanquam coætaneis. Hæc vero duas Collectiones Noster inter se confert, & de utroque codice erudite disserit. Ad ecclesiam Græcam dum iterum se convertit Autor, in illa Canones Apostolicos, Synodicos,

p. 151.

154.

155.

156.

157.

159.

161.

162.

164.

- p. 168. originum rerumque Constantinopolitanarum manipulum, editum a Combesio, collectionem Johannis Antiocheni, Photii, opusculum Johannis Pselli, quem Caveus, Sagittarius, Pinius & alii minus recte dicunt Michaelē, collectionem Harmenopuli, epitomen canonum Alexii Aristeni, collectionem Simeonis, qui Magister & Logotheta dictus, Arsenii, & Nili, collectiones etiam particulares in usu fuisse docet, de singulis lectu non injucunda proferens, & ex codice canonum MSCto, qui in Bibliotheca Sorbonica asservatur, accurate descripto, annotationem inserit de decretalibus Apostolorum, nondum impressam, a Papa Silvestro usque ad Gregorium II. Observat etiam, collectionem canonum Anselmi Lucensis servari in bibliotheca Barberina: Ivonem Carnuetensem duas fecisse collectiones: Cardinalem *Deus dedit* duo reliquisse opera in MSto, quæ Pinius male confudit: collectionem Cardinalis Gregorii inscribi *Polycarpum*: in decreto Gratiani, de quo prolixius agit, ex Antonii Augustini, Archiepiscopi Tarraconensis, Dialogis plurima emendari debere: plures alios adhuc passim inveniri codices canonum manuscriptos, quos commemorat, & vel juxta seriem rerum, vel ordine chronologico dispositos esse, testatur. Nec prætermittit versionem canonum Arabicam & Syriacam, collectionem Arabicam Melchitarum, & Jacobitarum, collectionem canonum ecclesie Nestorianæ, quorum codices manuscriptos admodum raros esse dicit, & canones ab Abyssinis receptos; & tandem concludit, omnes diversas collectiones ad duas commode referri posse classes, cum alix literas Pontificum integras vel decretis Conciliorum intermixtas, vel etiam separatas, alix vero excerpta tantum ex literis Pontificum vel ex Conciliorum canonibus exhibeant; multas autem collectiones ex commemoratis nondum impressas esse, monet.
- 173.
- 178.
- 179.
- 180.
- 187.

Ad recentiores ergo & jam impressas Conciliorum Collectiones describendas Autor progreditur: *Capite secundo* atque in articulo *primo* collectiones universales, *secundo*, particulares, & *tertio* summas atque compendia Conciliorum magno cum studio recenset. Collectionum quidem Conciliorum generalium notitiam B. Ittigius jam in Actis nostris A. 1684 p. 348 dedit, & Cel. Fabricius

eius in bibliotheca Gr. Tom. XI p. 113 variis observationibus ac supplementis auctam exhibuit; operæ tamen pretium esse ducimus eandem ex Autore quoque nostro augere, & missis illis, quæ II. cc. jam notata sunt, quædam singularia tantum decerpere, vel minimum sententiam ejus candide exponere. Videlicet tredecim Autor noster numerat Collectiones generales, quarum *prima* est Jacobi Merlini, qui Parochi primum, postea Canonici munere functus, A. 1525 ad magni Pœnitentiarii ecclesiæ Parisiensis dignitatem evelsus est. Hic ad lites tum temporis circa religionem motas, facilius, uti quidem sperabat, componendas, Conciliorum adornavit collectionem, cujus tres exstant editiones; primâ prodiit duobus Tomis in fol. Lutetiæ 1525, altera totidem Tomis in 8 Coloniz 1530 (quam quidem Fabricius æque ac Parisiensem in fol. in manibus suis esse testatur) & tertia iterum Parisiis 1535 non in fol. uti Labbeus dicit, sed in 8 typis Francisci Regnault. Forsan in Labbeana præfatione, ex qua Noster editionis secundæ mentionem facit, typographi vel calami vitio voces *in 8*, ad alteram editionem positæ, cum verbis *in fol.* tertiæ adscriptis, sunt commutatæ, cum Noster tertiam hanc, veluti a semetipso visam, describat, & epistolæ dedicatoriæ primæ editionis tantum partem aliquam in hac expressam, bullam vero auream Caroli IV, &, quicquid de electione Regis Romani secundæ editioni adjectum, in hac tertia quoque reperiri, testetur, nulla mentione facta bullæ Pii V, de non appellando ad futurum Concilium, quæ in tertia hac editione Parisiensi procul dubio prætermissa. Merlinum autem non Anglum fuisse, sed Gallum e vico S. Victuruni Lemovicensis diœcesis, contra Miræum & alium quendam Autorem confirmat. *Altera* collectio est Petri Crabbii, Monachi

p. 197.

199.

201.

- tam collectoribus quam epitomatoribus accensendus videatur, Sirmondus & Baluzius in collectorum numerum non retulerunt.
- P. 203. *Quartum* locum tenet Laurentius Surius, qui A. 1567 Coloniz Collectionem Conciliorum edidit quatuor Tomis, ita quidem, ut nonnulla omiserit, quæ in altera editione Crabbiana jam impressa fuerunt; præcedentibus vero Collectionibus octo libros Constitutionum Apostolicarum, codicem encyclium & quintam Concilium generale addiderit.
204. *Quinta* Collectio, quæ Venetiis A. 1585 quinque Tomis divulgata fuit, a Labbeo & Cossartio perperam tribuitur anonymo, cum typographus, Dominicus Nicolinus, nomen suum aperte profiteatur, seque eruditorum opera, præsertim Domini Bollandi, usum esse testetur. Hanc totam in gratiam Romani Pontificis compositam, nec ullum fere alium in scopum annotationes margini & contextui adjectas esse, ingenue fatetur
205. Autor noster, quam ut autoritas Papalis extollatur. *Sexto* loco ponitur prima Collectio Bini, quæ notis ex Baronio desumptis illustrata & historica methodo disposita, Coloniz prodit A. 1606, Paulo V inscripta. Et huic collectioni perficiendæ non solum inserta sunt Concilia Hispanica a Garfia Loaisa & Valerio Sereno Lovanista collecta; sed etiam quæ Ducus, Bellarminus, Antonius Possevinus & Serarius suppeditarunt. Collectio Romana,
206. quæ *septima* est, A. 1608 in quatuor Tomos in fol. est distributa, quorum duo posteriores A. 1612 prodierunt. In hac Concilia generalia prima vice Græce edita sunt, & cuius Concilio historia ejus est præmissa. Observat vero Autor noster, lectiones, a Surio in margine positas, in hac collectione textui insertas, plurima loca ex ingenio correctâ, ordinem fere totum inversum, & Concilium Basileense; Bellarmino instigante, tanquam falsum rejectam, & quicquid supremo Pontifici non placuerit, omissum; discursum vero præliminarem in Concilia generalia, teste Labbeo, a Sirmondo esse conscriptum. Secunda Collectio Biniana, quæ A. 1618, & tertia, quæ A. 1636, non 1638, quod Labbeus affirmat,
207. prodit, *octavo* & *nono* numerantur loco. Binium ab Usserio contaminatorem conciliorum dici, Noster non dissimulat, qui tamen utriusque posterioris editionis incrementa & elegantiam collaudat. *Decima* hinc sequitur Collectio, quæ est Regia
209. Pari.

Parisiensis A. 1644, XXXVII splendidis voluminibus exhibita, in qua Bini & Sirmondi Collectiones conjunctim, sed iisdem cum erroribus & sphalmatibus impressæ sunt, ita ut editores ne errata quidem, in Sirmondi collectione notata, consuluerint: quare vero non omnes constitutiones Imperatorum & alia huc pertinentia monumenta huic collectioni inseruerint, se ignorare ait. Undecima Collectio est Patrum Labbei & Cossartii, quam Autor non solum pleniorum dicit præcedentibus omnibus, ipsa quoque Regia; sed etiam collectioni Harduini præferre nullus dubitat. Hæc prodit A. 1672 XVII voluminibus, quorum VIII priora Labbeus ad finem perduxit, operi A. 1667 immortuus; Cossartius vero nonum & decimum a Labbeo inceptum perfecit, & reliqua adornavit, atque sic toti operi ultimam manum imposuit. Potiora momenta, quæ huic collectioni accesserunt, sunt 1 annotationes Sirmondi ad Concilia Gallicana postumæ, quippe qui in altera eorum editione ornanda multum operæ jam posuerat, morte autem præpeditus fuerat, quo minus eam consummare potuerit; 2 amplissimus conciliorum numerus, nunquam antea impressorum; 3 concilia Annalibus Rainaldi, Spicilegio Lucæ Acherii, operibus Maræ, Baluzii, & aliorum inserta, atque sic in diversis libris dispersa; 4 emendationes conciliorum jam editorum ex codicibus MSCTis, variis ex bibliothecis conquisitis (ita primum & secundum Concilium Carthaginense, antea imperfecta, ex antiquo MSCTo Vaticano hic restituta videre licet; & ex MSCTo bibliothecæ Cardinalis Barberini plurima monumenta adjecta sunt ad Concilium Constantiense pertinentia, quæ antea desiderabantur) 5 Textus Græcus nonnullorum Conciliorum, quæ antea tantum Latine legebantur; 6 plures vitæ & epistolæ Papatum; 7 haud exiguus numerus orationum & epistolarum aliorumque monumentorum ad Concilium Tridentinum spectantium; 8 annotationes variorum Autorum in Concilia antea seorsim editæ, ex gr. Albaspinæ, Mendozæ &c. & denique 9 ipsius Labbei atque Cossartii notæ in plurima loca difficiliora. Labbeanam hanc collectionem nova excepit Stephani Baluzii, quæ duodecima est, & cujus Tomus primus tantum prodit Parisi A. 1683, in Actis nostris A. 1684 M. Aug. p. 348 prolixè & accurate descripta.

p. 210.

213.

p. 216.

descriptus. Nempe Baluzius acta conciliorum & emendare & augere voluit, hocque consilio multa congescit monumenta, vel antea prorsus incognita, vel nondum impressa, vel minimum Collectionibus Conciliorum nondum inserta, ejusque operam in illustranda collatione inter Catholicos & Donatistas Carthagine habita, in corrigendo codice encyclo, in rebus gestis vel confirmandis vel refutandis, Autor noster maximopere extollit, notatque, Baluzium, Imperatricem Pulcheriam Concilio Chalcedonensi interfuisse, negare; e contrario adversus alios probare, Julium Episcopum Puteolanum, tanquam Legatum Pontificis Leonis I, cum Hilario, Archidiacono ecclesie Romanæ, in Concilio Ephesino præsentem fuisse, Renato, Presbytero ejusdem ecclesie, in itinere mortuo. *Ultima* tandem Collectio est Harduini, quæ sub titulo *Collectionis maxime* XII Voluminibus Parisiis A. 1715 typis regiis impressa fuit, & cujus conspectum in Actis nostris ejusdem anni dedimus p. 377. Hæc quidem hætenus prohibita, & propterea paucis visa fuit; nuperrime vero cognovimus, Regia autoritate & venditionem hujus Collectionis esse permissam, & accuratorem revisionem injunctam. In præsentem, cum Autor noster sententiam suam de hac collectione libere exponat, & quid in ea laudandum, quid desiderandum sit, luculenter enarret, Lectorem quoque nostrum de eo certiores facere non pigramur. Primum Noster vel ex ipso titulo, in quo *Decretalium* expressa mentio sit, apparere judicat, quodnam Harduini institutum fuerit. Quamquam enim in margine ipse annotaverit, eruditos Pontificum Decretales pro supposititiis habere; in indice tamen suo nonnulla minus certa collocat, ex Decretalibus & aliis ejusdem generis documentis desumpta, quæ tanquam genuina extollit. Et ex his eum principia deducere libertati Gallicanæ adversa; notas quoque ejus præjudiciiis Transmontanorum esse conformes, in indice rerum nimia cum propensione indicatas, judicat. Nec sibi persuaderi patitur, Clerum Gallicanum, A. 1685 congregatum, provinciam adornandi hanc Collectionem illi commississe; & quando le Long affirmat, Harduinum ex Conciliis Gallicanis a Labbeo & Pommerajo editis nullum omisisse, & viginti tria Concilia Gallicana nunc primâ vice

in

in hac collectione edidisse: utrumque falsum esse confirmat; & non solum Concilia omissa enumeret, sed etiam quibus in operibus Concilia, quæ nunc prima vicè edita dicantur, reperiantur, ostendit. Tum vero accurate recenset, quæ monumenta in secundo, sexto, septimo & nono volumine nunc prima vice exhibeantur, in præcedentibus collectionibus non obvia, vel non tam plene perfecteque expressa. Sed cum de hac Collectione plura alia in sequentibus notanda veniant, Autorem jam sequamur, in articulo hujus capituli secundo particulares Conciliorum, in hac vel illa regione habitorum, Collectiones enarrantem. Concilia *Romana* primo loco notantur, a Luca Holstenio Rom. A. 1662 in 8 edita, tum *Africana*, quæ Garnerius A. 1673 in diss. de Synodis, in causa Pelagianorum habitis, operibus Marii Mercatoris annexa, & Schelfstrate in tractatu de ecclesia Africana Antverpiæ A. 1679 in 4to collegerunt. *Gallicana* Concilia in generalia distribuuntur & particularia seu provincialia. Illorum collectionem dederunt Sirmondus, cujus controversia cum Petro Aurelio hac occasione percensetur; Petrus de la Lande, qui supplementa Conciliorum edidit Parisiis 1666 in fol. ex quibus Labbens XIX monumenta jure Collectioni suæ inferere debuisset, ab Autore nostro relata; Ludovicus Odespun de la Meschinieres, cujus Collectio Colonia 1646 impressa; quibus subjunguntur Collectio capitularium Regum Galliarum & Edmundi Martene & Ursini Durand Collectio sub titulo Thesauri novi anecdotorum quinque Tomis Parisiis 1717 fol. edita. Provincialia, quæ in Normannia habita sunt, Godinus collegit & Pommerajus edidit 1677 in 4; quæ in provincia Turonensi, Johannes Maan A. 1667 in fol. quæ in provincia Narbonensi habita, Petrus de Marca, Archiepiscopus Tolosanus, collegit; & Baluzius post mortem ejus edidit Parisiis 1668 in 8. Conciliorum *Hispania* Collectionem dederunt Gaspar Loaisa, Cardinalis Josephus Saenz de Aguirre, & Franciscus Haroldus: *Anglia*, præter Guil. de Lindwood, Henricus Spelman, cujus Conciliorum, 1639 Lond. in 4to. editorum (quod obiter monemus) exemplum egregium exstat hic in Bibl. Menckiana, in quo manâ docta, forte ipsius Spelmani, infinita fere loca e

p. 227.

234.

249.

257.

Ood.

p. 261.

Cod. Regio aliisque emendantur, multa suppleantur, & novæ versiones e lingua Saxonica adduntur, ut novam editionem paranti magno possit esse præsidio. *Germanorum* Concilia commemoraturus, ad Ottonum usque ætatem, capitulares tantum in usu fuisse, monet, & canonibus veteris ecclesiæ Germanicæ ex Goldasto commemoratis, Leibnitii verba citat, dudum miratos esse doctos, neminem hæcenus aggressum edere Concilia Germanicæ, quod jam moliri V. C. Christoph. Matth. Pfaffium e nostris, ex Fabricii bibliotheca Gr. Tom. XI p. 129, e Pontificiis vero Jo. Frid. Schannat, aliunde constat. Nicolai Serarii vero, qui in historia Moguntina A. 1604 edita, & A. 1722 a Clar. Ge. Christiano Joannis denuo divulgata, aucta & illustrata (vid. Act. nostr. A. 1723 p. 434) viginti tria numerat Concilia, dum Noster meminit, institutum quoque Polycarpi Lyseri, statuta provincialia Moguntina anni 1310 in lucem proferendi, & dissertationem sub præsidio S. R. Abbatis, J. A. Schmidii, habitam commemorat,

263.

in qua plura citantur Concilia, Serario & Labbeo incognita, & genuina a supposititiis distinguuntur. Quando autem Noster S. R. Schmidio peculiarem de iisdem tribuit dissertationem, ex una jam citata duas facit; quem quidem errorem ipse cognovisse & emendasse videtur, dum in catalogo Scriptorum Lyseri tantum adducit dissertationem. Tandem in articulo tertio *Epitomatores* Conciliorum in quatuor dispersit ordines, & in primo quidem eos collocat, qui omnium Conciliorum summas dederunt, nempe Carranzam, Contarinum, Jo. Sagittarium, Franciscum Longum a Coriolano, Angelocratorem, Ludovicum Bailium, Johannem Prideaux, Simonem Strarovolscium, Labbeum, Cabassutium, Marcum Battaglini, tabulas Conciliorum Pinii, historiam Conciliorum Hermantii, & Richerii, tractatum historicum Jcti, Van-Espen, de codicibus & collectionibus, delectum Actorum ecclesiæ universalis Poissonii, II Tomis in fol. 1706 editum, & analyfin, seu ideam generalem Conciliorum œcumenicorum & particularium Bruxellis editam 1706 duobus Tomis in 8, & de singulis erudite differit, præsertim de duobus recentioribus, in citata analyfi nullam adhibitam esse monstrans

264.

æxi.

ἀναβιβασθῆναι, sive in excerpendis, sive in transferendis canoni-
 bus. In altero exhibet Scriptores, qui aliquot Concilia generalia
 in compendio exhibuerunt, Augustinum Patritium, Conradum
 Rittershusium, Abrah. Scultetum, Joach. Camerarium, Gon-
 zales d' Avila & Esprit Andre; in tertio vero Epitomatores, qui
 Concilia generalia & nonnulla particularia in epitomen redege-
 runt, Franciscum Jo. le Maire, Gesnerum, Christianum Lu-
 pum, & anonymum quendam, qui historiam Conciliorum a
 tempore Apostolorum usque ad Concilium Tridentinum duobus
 Tomis edidit 1699 in 12 (vid. Acta nostra Supplem. Tom. III pag.
 342) & his subjungit Indices Conciliorum Prateoli, Padillæ, Fre-
 heri, & Antonii Augustini: in quarto denique ponuntur Epito-
 matores Conciliorum particularium hujus vel illius provinciæ;
 Aguirrias, qui Hispaniæ; Scholanus, qui Concilia Valentina;
 Corius, qui Mediolanensia; Hermantius, qui clavem ecclesia-
 sticæ disciplinæ; Laurentius Bouchel, qui decreta ecclesiæ Gal-
 licanæ; & Laurentius Brancati, qui epitomen canonum, in Con-
 ciliis generalibus ac provincialibus, in decreto Gratiani, in de-
 cretalibus epistolis, & constitutionibus Pontificum contentorum,
 vel potius Dictionarium Juris Canonici edidit Romæ 1659 in fol.
 De his quidem omnibus varia notari possent, lectu non injucun-
 da; sed ne recensio nostra modum excedat, ad Caput tertium
 nobis deproperandum est, in quo rationem præscribit, perfe-
 ctorem Conciliorum Collectionem comparandi, docetque, in
 tali Collectione & materiam considerari debere & formam.
 Materiam, per quam acta intelligit & monumenta ecclesiastica,
 ex quibus Collectio Conciliorum componitur, in articulo primo
 respiciens, eum, qui in Conciliis colligendis rite ac cum fructu
 versari velit, primum codices manuscriptos consulere jubet, cum
 modo textus corruptus sit, modo versio minus accurata: qua oc-
 casione de Codicibus MSctis Conciliorum generalium prolixè
 disserit, & quibus Merlinus, Crabbius, Surius, & reliqui col-
 lectores, supra jam memorati, usi sunt, refert. Inter alia obser-
 vat, Baronium versione Latina verborum Athanasii ἡ τὰ τῶν
 πατρῶν, supersunt acta Patrum, seductum, acta Concilii Nicæni

p. 281.

282.

290.

294.

300.

302.

- feriptis mandata esse, affirmare, cum verba Græca potius vertenda sint: *superfunt Patrum scripta*. Acta Concilii Basileensis vel tribus tantum verbis refert in variis bibliothecis, in Regia Parisiensi, Colbertina, Sorbonica, & Basileensi reperiri, quæ Hardtinum, celeberrimum Actorum Concilii Constantiensis Editorem, (quem non in ipso tantum opere, sed etiam in indice Vonderhardt scribit) ad prelum parata habere, in Actis nostris A. 1718 p. 417 lectores nostros certiores fecimus. Porro collectorem jubet Codices manuscriptos inter se conferre, & ex variantibus lectionibus optimam ligere: quo nomine ex antiquis Rusticum, Diaconum ecclesiæ Romanæ, qui sexto Sæculo floruit, & plures Codices Græcos & Latinos MSCtos contulit & emendavit, & ex recentioribus Nicolinum & Baluzium commendat. Tertio Concilia etiam diversis locis & temporibus jam impressa conferenda, & ea omnia attendenda esse censet, quæ in lucem publicam emittuntur, ut ex omnibus operibus conquiratur, quicquid Conciliis illustrandis infervire possit. Tum quarto selectum docet instituire in edendis Conciliis, & supposititia distinguere a veris, & monumenta, quæ desiderantur in præcedentibus Collectionibus, supplere, vel etiam in editis monumentis sententias & voces corruptas restituere, lacunas, si quæ occurrunt, explere atque hac ratione partes critici suscipere (ubi voces *Concilium*, *Ἐκλή*, & id genus alias explicat) & supposititiis Conciliis etiam illud annumerat, in quo Sfondratus conceptionem Mariæ immaculatam definitam esse affirmat. Quinto in materiarum selectu recte instituendo de sequentibus disputat quæstionibus: utrum Conciliorum Collectioni inferenda sint Apostolorum Concilia, quæ Antænius Augustinus omisit: an Concilium Africanum, in quo error Cypriani de rebaptizandis hæreticis valuit: an constitutiones apostolicæ: an literæ decretales Pontificum: an eorundem vitæ & decreta: an tractatus speciales, cujusmodi a variis pro lubitu Conciliorum Collectionibus additi sunt: an constitutiones particulares Episcoporum: an collectorum observationes. In quæstione de literis decretalibus Pontificum excutienda, Tomum primum collectionis Epistolarum Pontificum, a Constant A. 1721 in

fol. editum, dedita opera recenset, de qua cum in Actis nostris nulla hætenus mentio facta sit, operæ pretium fuerit, nonnulla hic ex Autore commemorare. Præfatio generalis ei præmissa de auctoritate papali, diversisque Epistolarum Pontificum Collectionibus, præsertim de illa, quæ Romæ antehac prodiit, & de *Av-
Serræ* literarum in nova hac Collectione editarum agit. Deinde tempore, quo quisque Pontifex sedem Romanam occupaverit, paucis notato, dissertationes varii argumenti præmittuntur, quarum pctiores & prolixiores sunt de primis Successoribus Petri, de hæreticis tempore Papæ Hygini Romam venientibus, de Aniceti modo procedendi cum Polycarpo, de controversia de Festo Paschali mota, de zelo Zephyrini contra hæresin eorum, qui Jesum tanquam nudum hominem respiciebant, de condemnatione Origenis, de pœnitentiâ Clericorum tribus prioribus sæculis usitata, de idololatria Marcellini, de Schismate tempore Bonifacii I &c. Ipsæ vero Epistolæ Pontificum, vel in lingua originali exhibentur, cum antiquis non nullis versionibus, vel illa deficiente, in Latinam linguam accurate translata: quasdam etiam versiones ipse confecit Coustant, & cuius epistolæ argumentum præmisit, quo tempore & a quo scripta sit, indicans, atque epistolis ordine Chronologico dispositis, incertique temporis ad calcem reliquarum conjunctis, notas subjunxit criticas, in quibus *Av-
Serræ* epistolarum confirmatur; ex quo MSCto epistolæ desumptæ sint, quo tempore MSCtum exaratum, & quomodo ad nostram usque ætatem conservatum sit, indicatur; variæ lectiones conferuntur; & quamplurima argumenta, ad historiam ecclesiasticam pertinentia, ex gr. errores hæreticorum, & antiqui ritus ecclesiastici, illustrantur. Literis vero Paparum, quæ in hoc Tomo habentur ab anno Christi 67 ad annum 440, illæ quoque adjunctæ sunt epistolæ, quæ ad Pontifices datæ sunt, & ad quas hi responderunt, ut sese mutuo illustrent. Appendicis loco annectuntur epistolæ suppositivæ, quæve ex ignorantia, vel malitia vel propter similitudinem styli, Pontificibus falso sunt attributæ, additis in notis rationibus, quare sint rejectæ. Catalogum quoque epistolarum rejectarum Noster exhibet, & ex eo, quod literæ hæ compositiæ sint tempo-

- re Symmachi, vel paulo post ipsius ætatem, colligi posse monet, quo tempore, quave occasione certæ nonnullæ opiniones de auctoritate papali primum sint divulgatæ. Hanc Collectionem Constantii quoque cum Collectione Labbeana confert, & observat, in priore plures reperiri epistolas, in nulla Conciliorum Collectione, vel aliis operibus, impressas, ordinem quoque esse longe alium, quam Labbeus ad Concilia epistolas Pontificum retulerit & ordinaverit. Constantio autem operi immortuo, Simonem Monipotium Collectionem hanc ad Innocentium III continuaturum, nos certiores facit. Pari ratione Ciampini dissertatio de libro pontificali Anastasii bibliothecarii, in Supplementorum nostrorum Tomo primo pag. 271 descripta, prolixè recensetur. In forma vero Collectionis Conciliorum describenda Autor primo methodum generalem, qua Collectores Conciliorum hætenus usi sint, examinat, docetque, Merlinum tantum ea protulisse, quæ ad acta Conciliorum & Pontificum ab Isidoro collecta pertinent: Crabbium vero non solum numerum decretorum & Conciliorum auxisse, sed & versiones, notas, & varias lectiones adjunxisse: Joverium Concilia generalia ac decreta Pontificum in tres classes distinxisse: Surium secundam editionem Crabbianam opinionesque vulgo receptas, & in historia ecclesiastica Nicephorum secutum esse: nec ab ea methodo discessisse Nicolinum, qui in Chronologia Onuphrium secutus sit: Binium & editores Romanæ ac Regiæ Collectionum illas ad usum eruditorum commodius aptasse: & Labbeanam Collectionem esse omnium commodissimam. Secundo observat, Collectores non eundem in actis & decretis retinere ordinem; præsertim decreta Papæ Cornelii ejusque literas, nec non epistolas Cypriani & Cleri Romani ad illum alio ordine a diversis Collectoribus collocari: imprimis, ut tertio differentias collectionum editarum ostendat, qua ratione Concilia generalia in quavis Collectione exposita sint, pluribus describit. Capite *quarto* difficultates, quibus perfecta & accurata Conciliorum Collectio sit circumseptæ, exponit, & admodum difficile esse judicat, acta & monumenta conquerere, cum plurima MSCta Græca & Latina Conciliorum vel perdita sint, vel depravata & corrupta; difficile, mutila & corrupta MSCta inte-
- p. 366.
- 382.
- 387.
- 389.
- 419.

gritati suæ restituere; in locis dubiis veram lectionem determinare; ex diversis interpretationibus veram sententiam eruere, cum, nisi summa adhibeatur circumspectio, versionum errores facile adoptentur; difficile, certam ætatem vel epocham cuiusvis monumenti perferuari; difficile, sedes episcopales accurate distinguere, ubi errores Geographici, quos Garnerius commisit, & Hofstenius, notantur, & le Quien novum opus sub titulo *Ori-
entis Christiani* moliri perhibetur (qua occasione Noster ea recenset opera, quæ ad Geographiam sacram & ecclesiasticam recte cognoscendam introductionem suppeditant) difficile denique, justum constituere ordinem, & Conciliorum, & monumentorum ad quodvis Concilium pertinentium. Capite *quinto* qualitates necessarias, quibus Collector Conciliorum præditus esse debeat, enumerat, & in illo requirit exactam profundamque linguarum, Græcæ & Latinæ præsertim, cognitionem; notitiam verborum mediæ Græcitatæ & vocum ecclesiasticarum, judicium criticum, & notitiam rituum ac consuetudinum populorum; notitiam Paganismi, rerum Judaicarum & Romanarum, religionis Ægyptiorum, ceterarumque nationum; necnon notitiam mythologiæ, autorum sacrorum & profanorum; notitiam Chronologiæ, Geographiæ, historiæ ecclesiasticæ, jurisprudentiæ antiquæ & modernæ; lectionem Patrum, quæ cum lectione Conciliorum jungenda, ut altera alteram & jucundiorum reddat & utiliorem; denique animum partium studio non abreptum, ubi non solum historiæ, sed etiam dogmatum terminos sibi figere suadet. Ex variis, quas Autor cumulat, observationibus tantum notamus, explicationibus eruditorum non semper calculum adjici posse. Sirmondus enim verba *arma pro-
jicere in pace*, quod qui faciunt, abstinere jubentur a communione, explicat per *alterum ferire*, cum tamen nihil aliud significant, quam in pace arma sive militiam deferere. Sic verba in MSCis ita posita: *Dorotheum VS. comitem* Surius legit *Dorotheum vestrum comitem*: sed editores Romani & Labbeus cum pronomen *Vestrum* non quadrare viderint, omisso illo, simpliciter posuerunt *Dorotheum comitem*: quod si textum Græcum consulissent, facile cognovissent, legendum esse *Virum spectabilem*. Sic

p. 439.
441.

462.

465.

469.

471.

sic literæ *unde* vel *undus* in antiquis codicibus significant *virum devotum*. Hinc ubi Labbeus legit T. IV col. 937 *per Branemundum Magistrianum*, legendum est *per Baranem virum devotum Magistrianum*. Capite sexto Autor ea omnia, quæ hæcenus prolixè disputavit, ad tredecim illas Collectiones supra commemoratas applicat, & quid in singulis desiderari possit, totidem articulis describit. Nos, missis reliquis, ea tantum recensebimus, quæ in Labbei & Harduini Collectionibus desiderantur. Labbeum Autor notat Binium & Editorem Collectionis Regiæ nimis secure secutum esse, atque adeo eorum errores simul descripsisse; eas quoque notas Binii retinuisse, quæ ad monumenta, ab ipso ommissa, pertinent: sæpenumero etiã, de hoc vel illo argumento in notis amplioribus sese dicturum esse, promississe, quas tamen nunquam protulit: inferere omnino illum debuisse, præter alia, juramentum Julii II ante electionem Cardinalibus præstitum, cum perjurium, cujus postea insimulatus fuit, ex illo sit dijudicandum; itemque protestationem Episcoporum Hispanorum in Concilio Tridentino, propter quam continuatio hujus Concilii per biennium suspensa fuit: in syllabo etiã monumentorum, singulis voluminibus præmissis, plurima frustra quæri monumenta, quæ tamen in ipso opere reperiuntur; e. g. in Syllabo Tomi Sexti nulla mentio facta est juramenti Roberti Ducis Apuliæ, Calabriae & Siciliæ, Gregorio VII præstiti; & inter varia vitia typographica notandum esse illud, quod Harduinus in sua quoque Collectione retinuit, scil. in comment. Gelasii in acta Concilii Nicæni L. I. c. II, ubi agitur de victoria Constantini a Licinio deportata, verba Græca, καὶ ἀνῆκεθὲν ὁ τῆ Χριστοῦ καὶ τῆ αὐτῆ Σεράπιοτος τυραννός ita translata esse: *atque ita Christi servi ejus opera sublatus ille tyrannus est*; ubi sublata particula *et* inter voces Christi & servi, impium ineptumque hunc sensum gigni, ac si Licinius providentia Christi Servi sui perierit: sic in titulo sermonis Patrum ad Imperatorem Justinianum apud Labbeum legi ἐν τῷ τρέλλῳ βασιλικῷ παλατίῳ, pro ἐν τῷ τρέλλῳ τῆ βασιλικῆ παλατίῃ, vertiquè *in Trullo palatio imperatorio*, cum verti debuisset, *in Trullo*, sive ex observatione Lambecii, in parte *palatii imperatorii*, cujus fastigium tectum & ornatum fuit trullo, sive fornice

fornice hemicyclo, qui vulgo Italice dicitur *cupola*: Labbeum quoque confundere capitulare Compendiense Caroli Calvi anni 867 cum alio in Concilio Sueffionensi A. 853 composito: nonnulla etiam monumenta non eo, quo quidem poni debuissent ordine. Epistolas item Innocentii IV minus accurate disponere, dum ea, quæ quarto loco habetur, primum tenere debuisset. Et talia quidem plura non in Labbei solum, sed & in Cossartii monumentis observat. Præterea Labbeum partium studio additum fuisse, haud obscure innuit, dum Basileensi Concilio titulum *æcumenici* negavit, eundem vero Concilio Florentino & Lateranensi, sub Julio II & Leone X celebratis, tribuit: nec excusandum putat, quod Robertum Windringtonum, presbyterum Anglicanum, ob perseverantiam in fide Catholica laudandum, hæreticis annumeraverit. Non minorem curam atque industriam Autor adhibuit in Collectione Harduini examinenda, de qua distinctis quatuor articulis agit; & primum ostendit, quid eadem novi præ ceteris habeat, scilicet, quod plurima monumenta Harduinus reviderit, & ex novis MScis emendaverit; quod monumenta quædam meliori ordine disposuerit; quod in temporibus nonnullorum signandis majorem adhibuerit *æpiscopat*; ubi ea, quæ Harduino correctionem postulasse visa sunt monumenta, enumerat. Tum vero emendationes non tacet, quas Harduinus in Collectione sua utique notare, atque adeo nonnulla immutare debuisset, notatque, eruditissimum Pagium epochas variorum Conciliorum restituisse, & plurimorum suppositionem demonstrasse, ex gr. quod ad ordinem Conciliorum, sub Symmacho Pontifice habitorum, in Collectionibus valde perturbatum, attinet, Sirmondum quidem recte observasse, Synodum Palmarum esse quartam; errare vero, quando eam ad annum 501 referat, rectius ad annum 503 referendam: ejusmodi observationes Pagium dedisse plurimas, publico applausu A. 1695 susceptas: Baluzium quoque egregiam in emendandis temporibus præstitisse operam: nec non Monachos ordinis Benedictini in operibus Patrum magno numero editis monumenta nonnulla ad Collectionem Conciliorum pertinentia lectionibus variantibus & notis illustrasse, & in ordinem concinniorem redegisse:

p. 517.

horum omnium observationes Harduinum in usum suum convertere debuisse, vel, iis neglectis, indicare lectoribus rationem, quare illas amplecti noluisse. Porro eum quamplurimam omisisse monet, cumque ejus institutum fuerit, unam Isidorianam Collectionem repræsentare, atque hac prætexta causa se excuset, quod literas Cornelii Pontificis ad Fabium Antiochenum, ad Cyprianum, & alios, rejecerit; non solum in titulo eum Collectionis Isidori mentionem facere, sed etiam epistolam, Papæ Melchiadæ falso attributam, cujus Isidorus, teste Labbeo, Autor est, non omittere, nec in epistolis Leonis M. Collectionem Isidorianam, quæ, ipso fatente, plerasque Leonis M. epistolas complectitur, deferere debuisse, non nisi octo ex Collectione Dionysii Exigui editis: eundem plura alia monumenta & Concilia prætermisisse in Collectione sua, quorum tamen mentionem faciat in indice, cuius Tomo præmisso: plurima quoque ne in indice quidem illo commemorasse, quæ ab Autore enumerantur: omisisse itidem capitula primi Concilii Lugdunensis & Concilium Regiense anni 1429, quæ tamen habentur in Collectione Labbeana: alia Concilia eum implicite allegare, ex. gr. *Africana quedam Concilia: Concilia quedam contra Monothelitas, epistolas Synodicas quatuor &c.* nulla speciali cujusvis, vel Concilii, vel epistolæ mentione facta, uti quidem in tali Collectione fieri debuisset: alia quoque Concilia exhiberi sub titulo Constitutionum Papalium, ex. gr. Concilio Romano A. 761 titulum præponi *Pauli Papæ constitutum*: ex Conciliis porro, quæ ab antiquis autoribus distincta fuerunt, eum facere unum, vel unius Concilii decreta alterius Concilii monumentis inferere: omisisse quoque epistolam Zosimi ad Africanos, in qua Pelagium sibi videri Catholicum scribit, procul dubio nulla alia de causa, quam ne Papam errasse, ex illa evidenter nimis constaret; itemque decretum Zosimi, quod Labbeus ex Gratiano repetit, in quo, sedis Romanæ autoritatem aliquid contra statuta Patrum condere posse, negat, quod pariter Harduini studium placendi Pontifici Romano prodit, cum aliis in decretis colligendis sit solertissimus. Hinc longo catalogo enarrantur, quæ in Collectione Harduini frustra quæsieris: inter quæ etiam sunt multæ Epistolæ Gregorii

M. qua-

M. quarum argumentum Autor exponit, nec non Epistola Regis Sigeberti ad Desiderium, in qua hæc verba leguntur: *sine nostra licentia Synodale Concilium in regno nostro non agitur*: & plurima Concilia Gallicana, quæ Collectio in Gallia facta omnino complecti debuisset. Non solum vero integra monumenta omisit Harduinus, sed etiam in illis, quæ impressa sunt; verba nonnulla vel omisit vel mutavit: ubi Autor errorem notat in omnibus fere Collectionibus obvium, in capite 8 sessionis Concilii Basileensis XXI, ubi omnes Collectores legerunt: *Abusum aliquarum ecclesiarum, in quibus - - - Missa etiam privata sine ministro aut per secretas orationes ita submissa voce dicitur, quod a circumstantibus audiri non potest*, ex manuscriptis authenticis & antiquis editionibus legendum monet *preter secretas orationes*. In indice Geographico plurimum posuisse videtur operæ Harduinus, ut Collectioni suæ insigne conciliarè ornamentum: & vel ex solo hoc indice omnes solvi posse gloriatur difficultates, quæ ex nominibus urbium Episcopaliū proficiscuntur. Verum Noster pluribus confirmat exemplis, Harduinum uno eodemque tempore duos posuisse Episcopos in una eademque sede; urbes quoque Episcopales ejusdem quidem nominis, a se invicem vero omnino distinguendas, confudisse; contra Episcopatus, qui pro iisdem habiti sint, perperam distinxisse; certis provinciis attribuisse urbes, quæ ab aliis Geographis aliis in regionibus collocantur; sub titulo certorum Episcopatum posuisse Prælatos, qui nunquam illis subordinati fuerint; titulum Metropoleos eum omnibus dedisse urbibus, quæ eodem notatæ fuerunt in hoc vel illo monumento, eas vero eodem titulo privasse, quibus Concilia ipsa illum assignarunt; plurimorum quoque Episcoporum nomina omisisse, qui vel Conciliis, vel aliis monumentis, in Collectione sua contentis, subscripserunt; ex uno Episcopo quandoque fecisse duos; nomina denique & urbium Episcopaliū & Episcoporum, nulla addita ratione, immutasse. Ut ex allatis exemplis pauca attingamus, inter Episcopos Portuenses in patrimonio D. Petri ponit Limpum Baltharem, qui Concilio Tridentino interfuit, & Episcopus Portuensis fuit in Lusitania: Coloniam Armeniæ confundit eum Colonia Cappadociæ: arissam aliam ponit in

p. 537.

Macedonia, aliam in Syria; quæ tamen pro una habita fuit: Episcopatum Vabrensem à Johanne XXII A. 1317 demum erectum esse constat; nihilo tamen minus Harduinus A. 1059 sub titulo Vabrensis collocat Dominicum Vabensem pro Vabrensem, qui Episcopus Valvensis fuit: Segovia urbs Hispaniæ in Castella ponitur sub Archiepiscopo Tolosano, cum Toletanum scribi oportuisset &c. Ex quibus omnibus ignotum esse potest nemini; dignam Bibliothecario domus Sorbonicæ operam præstitisse eruditissimum Autorem; quique Cel. Fabricii nostri bibliothecæ Græcæ Tomum XI cum hoc tractatu contulerit, alterum ex altero egregie illustrè posse & ab utroque ea fere exhausta esse omnia, deprehendet, quæ de Conciliorum notitia proferri possunt.

p. 548. Quod superest, *tertiam* hujus operis partem ne prorsus intactam prætermittamus, in qua methodum studii, Conciliis impendendi, præscribit, quemlibet in genere memorem esse jubet
549. finis atque scopi, sibi in studiis præfixi; tum vero in capite *primo* diversas rationes Concilia legendi & tractandi indicat, & etiam ipsa præferenda excerptis sive compendiis statuens, antiqua lecturo Justellum commendat; & alios quidem contentos esse posse, ait, Conciliis quinque vel sex priorum sæculorum perlectis: alios vero Concilia prius generalia, tum particularia, præsertim patriæ suæ, & tum deinceps decreta Pontificum evolvere jubet. In capite *secundo* generales tradit observationes de nomine Concilii, & variis Conciliorum generibus; de numero & qualitatibus eorum, qui illis interesse debeant; de occasione ordinariis & extraordinariis, itemque de ratione congregandi Concilia, de ordine Episcoporum, de mitra Episcoporum & Abbatum; de loco unicuique in Conciliis assignando; de modo agendi in Conciliis, ferendi suffragia, & decidendi; de nonnullorum Conciliorum clausulis particularibus; de confirmatione Conciliorum; de potestate Principum Concilia & convocandi & confirmandi; de ratione Concilium finiendi; de subscriptionibus, & denique de Hispanorum ratione congregandi & habendi Concilium. In capite *tertio* Concilia lecturum generalia quædam probe ponderare jubet momenta: fieri enim haud raro confirmat, ut hoc vel illud monumentum alteri falso adscribatur: ut
551. diversa

diversa nomina tribuantur uni Concilio: dari etiam Concilia, quorum codices MSCti vel non amplius inveniuntur, vel minimum incogniti sint: ex uno etiam codice MSCto non omnes cognosci posse circumstantias, sed ad unum Concilium recte perspicendum pluribus opus esse codicibus MSCtis: nec ordinem codicis MSCti semper respiciendum esse &c. Tandem in capite *quarto* regulas particulares præscribit Conciliorum Collectiones cum fructu legendi, & ex hoc studio debitos capiendi profectus, ubi imprimis, Concilia in spiritu Conciliorum legenda esse, monet. Sed solum abrumpimus, & hoc unum tantum annotamus, in annexo catalogo Scriptores ad hoc argumentum pertinentes sub undecim enumerari titulis, quorum primus Collectiones antiquas; secundus Collectiones generales omnium Conciliorum; tertius Collectiones Conciliorum particularium; quartus Epitomatōres; quintus Autores, qui commentarios vel scholia dederunt in canones & Concilia; sextus, qui historiam omnium vel nonnullorum Conciliorum; septimus, qui notas in Concilia; octavus, qui dissertationes divulgavit; nonus, qui ad materiam de Conciliis referri possunt; decimus editiones speciales nonnullorum Conciliorum, & undecimus canones penitentiales complectitur. Atque in hoc catalogo, quem cujusvis industria & supplere, & facile augere potest, & libri rariores & vulgariū librorum editiones optimæ asterisco a reliquis distinguuntur.

p. 587.

Ceterum cum opus tantæ utilitatis & raro & incredibili pretio apud nos veniat, bene se consulturum Eruditis existimavit Nostratum aliquis, si id non minus quidem accurate, & chartæ scriptoriæ, quam vocamus, optimæ impressum, sed in forma octava, quæ Lectorum commodo magis inservit, & paucis exemplis, quæ tamen Historiæ Ecclesiasticæ in Germania cupidis suffecerint, recudat, intra duos menses prelo absolvendum, quo fiet, ut pretium ad quartam vel quintam partem illius, quo nunc liber venit, reducat.

MARCI ANNÆI LUCANI PHARSALIA,
sive de Bello Civili Libri X, eidemque adscriptum Carmen
ad Pisonem. GOTTLIEB CORTIUS recensuit

& plurimis locis emendavit.

Lipsiæ, adud Jo. Gottlieb Gleditschium, 1726, 8.

Alph. 1 plag. 1.

Qua de causa Cl. Cortius nosser minorem hanc Lucani editionem adornaverit, alio loco in his Actis indicavimus. Quam egregie munere suo functus sit, nostrum non est dicere: ne, quidquid dixerimus, veluti domesticum testimonium, suspectum sit. Hoc saltem tuto proferre possumus, subsidiis eum prorsus eximiis instructum ad emendationem Lucani accessisse. Nam, ut de veteri Scholiaste manu exarato, & doctissimorum Virorum observationibus ineditis nihil dicamus, usus est sexaginta amplius codicibus MSptis, iisque majorem partem vetustissimis, nec non editionibus prius & vetustioribus tantum non omnibus. Adde, quod ante & post Grotii, Viri maximi, operam, nemo fere Criticorum fuerit, qui Lucano medicas manus singulari studio admoverit: ipse etiam Grotius negligentius paullo hanc spartam ornaverit; quo pacto plurima vitia non potuere non irrepere in cultissimum Poetam. Et quemadmodum hi, qui a multis magnis ingeniis jam tractatos scriptores emendandos sibi sumunt, vacua haud raro sese jactant in aula; etiamsi fateamur, nullos prope modum esse, a quibus omnia vitia ita profligata sint, ut non gloriae novæ locus sit relictus; ita contra in autoribus ab aliis aut neglectis, aut laxiore cura emendatis, largior laudis materia suppeditatur. Dicta subsidia Cl. Cortius, qua decet, religione, non tamen superstitione adhibuit. Quod si eorum sequi morem voluisset, qui omnia monachorum commenta adorant, profecto ex suis codicibus multo auctiorem Lucanum edere potuisset. Ita, exempli gratia, in notulis ad Libr. VI vers. 442 memorat, quatuor MSptos inter vers. 442 & 443 inserere hos quinque;

Gens invisæ Deis maculandi callida cæli,

Numinibus magicis arcana conscia lingue,

Quam genuit natura parens, ut sedera mundi,

Jura.

*Juraque fixarum tentaret vertere rerum,
Legibus adstricto ne quid non posset in orbe.*

qui quidem in nullis editionibus, neque in reliquis membranis comparent. Item ad ejusdem Libri vers. 479 citat ex tribus MSS. hos quatuor antea non vulgatos:

*Nec secus obseptor, quam si spiramina clausa
Ventorum rabiem vastum tremefacta per orbem
Oceanum tenuere fugam, solitasque reliquit
Unda vices, vento terris adfixa relapsus.*

Nec non ad Libr. VII vers. 303 ex uno codice hos protulit, qui eleganter ad rem faciunt:

*Ne vos Hispani mitti victoria Martis
Securos habeat, dedimus quod rura, quod urbes,
Et quidquid nobis post Gallica bella negatum.*

Neque tamen ullum eorum, aut reliquorum, quos primus in lucem protulit, recepit intra contextum: cum satis apertum sit, quibus autoribus debeantur. Quin potius ita in Annæo suo versatus est, ut Celeberrimus Nic. Heinsius in Ovidio suo, quem magno numero Glossematum liberavit. Et sicuti jam dudum Illustris Grotius Libr. IX post versum 499 hujusmodi male adfuturum pannulum autoritate veterum librorum sustulit: quod quidem argumento esse poterat, alibi etiam eundem autorem sciolorum ingenio & liberalitati fuisse obnoxium: ita Noster non modo Libr. I vers. 436-440 condemnavit, quos jam alii, cum in nullis MSS. reperiantur, damnandos esse viderant; sed & Lib. IV vers. 251

Et scelerum turba: rapiantur colla parentum,

qui non modo omnem elegantiam, sed & sensum corrumpit, volentibus quatuordecim MSS. & edit. vetustissima, ejecit, etsi adhuc nemini fuerit suspectus. Item Libr. VI, vers. 554 ita vulgo legunt:

*Nec cessant a cade manus, si sanguine vivo
Est opus, erumpat jugulo qui primus aperto
Ne refugit cades, vivum si sacra cruorem
Estaque funerea poscunt trepidantia mensa.*

ubi manifesta Battologia occurrit. Sed Noster duos priores versus

fus spurios declaravit, atque id in perveteri MS. adnotatum fuisse dicit. Sic Lib. VII vers. 200

Solis in obscuro pugnam pallore notavit,

ut Glossam præcedentis versus, ubi vulgo legebatur: *Prospexit lumen in athere mæstum*, ejecit, Rursus Lib. VI vers. 207 ita olim legebant:

Par pelagi monstris. Libycæ sic bellua terræ,

Getulus densis elephas oppressus ab armis.

quæ lectio cum summam ineptiam, tum & tautologiam habet conjunctam. Ipse vero priorem versum expungit (atque adferuntur cum edit. Lovaniensi tredecim MSS.) posteriorem autem ex MSS. & aliis edd. ita restituit:

Sic Libycus densis &c.

Et hujusmodi quidem ineptias locis permultis castigavit; versus tamen ipsos retinuit, sed aliis litteris exprimi, & præterea uncinis includi curavit: ne scilicet receptus versus numerus turbaretur. Proderit hoc factum ad delicatolorum quorundam opinionem refutandam, qui nescio quam luxuriam in Lucano deprehendisse volunt. Discent nimirum cautius in posterum vitia librorum ipsis auctoribus imputare. De reliquis emendationibus si cum cura dicere vellemus, aliquot earum ordines constituendi essent. Pars enim earum solam distinctionem, qua in vulgatis libris Poeta vehementer laborat, concernit: exempla habes Libro statim primo satis multa, ut vers. 8, 100, 284 aliis. Aliæ aut modum scribendi, aut minoris momenti varietates corrigunt; e. g. ubi *ac, tum, at, neque, bonor, rursus, priore, puppi, nihil, ni,* pro *nisi, nil, puppe, priori, rursus, bonor, nec, sed, tunc,* & substituantur. Quales emendationes etsi non adeo enitescant, ut omnium oculos præstringant; dudum tamen ad ἀκριβέστερον Criticam relata sunt. Aliæ porro positum vocabulorum mutant, eumque magis Poeticum reddunt: e. g. ubi *Clauso sed fidere vallo*, pro *Sed clauso fidere vallo*; *Toti qui sanguine manent*, pro *Qui toti sanguine manent*; *Quem dederat Perses, victi quem prada Phippi*, pro *quem victi*; *Totis, en! viribus orbis*, pro *En! totis*; item *fesso gelidus de corpore sudor*, pro *gelidus fesso de corpore sudor*; *Quoque minus siccos possent tolerare vapores*, pro *possent siccos*;

MENSIS FEBRUARII A. MDCCXXVI. 8

ficcus; tenebris Egypton populis, genitor, superisque fugatis; pro genitor, populis superisque, aliaque perimulta ad eundem idem emendantur. Esse enim Poetarum, positum naturalem vocabulorum immutare, jam dudum ex Horatii præceptis cognitum, sed nostra maxime ætate in emendatione Poetarum a viris doctis observatum est. Aliæ denique aut Terminationem, Inflectionem & Constructionem Vocabulorum concernunt, aut plane Vocabula quædam mutant, atque iisdem alia substituunt. Sic statim Lib. I vers. 101 levi mutatione elegans sensus effectus est, ubi Noster de Crasso, Cæsaris & Pompeji bellum, dum in vivis esset, impediendo, ita scribit:

- - - *Qualiter undas*
Qui secat & geminum gracilis male separat Isthmos
Nec patitur conferre fretum.

Ubi omnes editiones habent *mare separat*, turpissima Tautologia, in *undas, mare, fretum*; cum contra in emendata hac lectione eleganter Isthmos *geminum fretum male separare* i. e. vix atque difficulter dividere dicatur, quo ipso brevitatis Isthmi indicatur. Sic eod. Libro de iudicio Miloniano:

- - *gladii cum trisle micantes*
Judicium insolita trepidum cinxere corona,

ubi vulgo: *trisle minantes*, minus apposite. Item Libr. II vers. 126 de Scævola in templo Vestæ a factione Mariana cæso:

Te quoque, neglectu violatæ, Scævola, Vestæ,
Ante ipsum penetratæ Deæ semperque calentes
Mæclavere focos.

ubi vulgo, nullo prorsus sensu, propinant: *neglectum violatæ Scævola dextræ*. Libro III vers. 235 Cortius noster exhibet:

Qua feriens rapidum diviso gurgite pontum
Vastus Indus aquis mixtum non sentit Hydaspem,

ex perpetuo more Lucani, sed & aliorum Græcorum Latinorumque scriptorum, qui amnes ab influxu suo in mare describere solent. Vulgo legunt: *Quaque ferens rapidum diviso gurgite fontem*, quæ lectio est contra rei veritatem, etiamsi *fontem* pro aquæ fluvii sumseris. Eodem Libro vers. 711 de funditore:

- - *calido frogit cava tempora plumbo,*

nunc Lucanus dixit, prout ipse alibi *liquefactum pondus glandis* agnoscit, & ex Virgilio aliisque scriptoribus res ipsa nota est. Vulgares editiones frigidæ nimis præferunt: *solido fregit cava tempora plumbo*. Sed desinimus exempla adnotare, cum permulta afferri possent, & ea cuivis lectori statim in oculos incurrent, si ipsam hanc editionem in manus sumserit. Locis difficilioribus passim Conjecturas suas adjecit Cl. Editor. E. g. Lib. IV vers. 446 in descriptione diluculi ex MSS. restituit auctori:

quo tempore primas

Impedit ad noctem jam lux extrema tenebras,

cum adhuc vulgatum fuerit: *Impulit ad noctem*. Ait tamen in notis, faciliorem intellectum esse, si scribas: *pronas Impedit ad noctem*. Sic Lib. II vers. 441 legendum censet:

quod non terat bove vacantes

Hesperia sine viduosque irrumpat in agros,

cum omnes edd. habeant *vacuosque i. i. agros*, quod duriuscule tam exiguo intervallo excipit *τὸ vacantes*. In præfatione Cl. Editor lectores rogat, ne nimis proclives sint ad damnandam emendationes, si non statim captui eorum respondeant: promittitque, se in majore Lucani editione, quam vel hoc anno communicabit, omnia clarius multisque exemplis demonstraturum. Interim & nos affirmare possumus, majorem illam Lucani editionem non modo Veteri Scholiaste multorumque Virorum doctorum integris, magnam partem adhuc ineditis, observationibus instructam apparituram esse; sed & Cl. Cortium in locis difficilioribus, adstrictius tamen, quam in Sallustio factum est, interpretis officio satisfacturum; ne Criticum tantummodo agendo quibusdam lectoribus labor ejus minus utilis sit.

THESAURUS MONUMENTORUM ECCLESIASTICORUM & Historicorum, seu HENRICI CANISII

Lectiones Antiquæ, quibus Præfationes Historicas &c. adjecit **JACOBUS**

BASNAGE.

Tom. III. Pars I & II.

Ant-

Antverpiæ, apud Rudolph. & Gerhard. Wetstenios, 1725, f.

Alphab. 12. plag. 3.

Q Uæ in tertio hujus Theſauri Monumentorum Eccleſiaſtico- rum Volumine, olim ab Henrico Caniſio e tenebris in lucem protracta, a Cl. autem Baſnagio ſuo quæque Scriptori aſſerta le- guntur nonnullorum, qui X, XI, XII a Chriſti nativitate ſeculis vixerunt, doctorum ſcripta, ea ſequentia ſunt. Præter <i>Vitam S.</i> <i>Burchardi</i> , Herbipolenſis Epilcopi, autore anonymo, prima hujus Voluminis Parte dux habentur Synodi, <i>Engilenbemenſis</i> al- tera, altera <i>Auguſtana</i> ; poſt <i>S. Willibaldi</i> , Epilcopi Aichſtadia- ni, <i>Vita</i> , ſcripta ab Autore anonymo; <i>Hippolyti Thebani Chroni-</i> <i>con</i> ; <i>S. Adalberti</i> , Pragenſis Epilcopi, Pruſſorum, Boemorum, Polonorum & Hungarorum Apoſtoli, tandem Martyris, <i>Vita</i> , cui acceſſerunt alia ex variis Codicibus de <i>Vita Adalberti Fra-</i> <i>gmenta</i> ; & de <i>Adalbalde</i> , Ottonis I Imperatoris conjuge, ma- tre Ottonis II, <i>Libri duo</i> , Odilone Cluniaceni, ut videtur, Au- tore. Sequuntur, qui ſeculo XI ſcriptis inclauſerunt, e quibus gemini producti de <i>Emmerammo</i> Scriptorum, <i>Meginſredus</i> &, qui ipſi coævus fuit, <i>Arnolſus</i> , quorum ille Libro uno, hic duobus vitam & miracula Emmerammi deſcripſit. Deinde <i>Panegyricus</i> <i>Wiponit</i> , carmine ſcriptus ad Heinricum III Imperatorem; <i>Kili-</i> <i>ani</i> , <i>Kolomanni</i> & <i>Gotmani</i> , Martyrum & Sanctorum, <i>Vita</i> , cum <i>Vita S. Guntheri</i> , Eremitæ. <i>Hermannii Contracti Chronicon</i> ab illis, quæ antea vulgata fuerant, diverſiſſimum & locupletius, ex Codice MS. hic editum. Siſtuntur porro <i>Humberti contra Græ-</i> <i>corum calumnias</i> liber, cum <i>Nicetæ</i> cujuſdam, quem <i>Pectoratum</i> ſuiſſe, affirmat Baſnagius, <i>contra Latinorum</i> libello, cui adjecta eſt ejuſdem <i>Humberti ad Nicetam Reſponſio</i> ; <i>Vita Henrici a Zwifal-</i> <i>tach</i> , & de <i>S. Bonifacii</i> , Germanorum Apoſtoli & Martyris, <i>Vita</i> , Libri duo, Autore <i>Othlono</i> , Monacho & Fuldenſi Presbytero; <i>S.</i> <i>Anselmi</i> , Lucenſis Epilcopi, <i>contra Guibertum</i> , Anti-Papam, pro <i>Deſenſione Gregorii Septimi</i> , Libri duo, ejusdemque <i>Collecta-</i> <i>nea</i> ; tandem <i>Statuta Canonum de Clericorum Officio</i> , & <i>Meno-</i> <i>logium Græcorum</i> , a Cardinale Sirleto Latine redditum, cum Indice Sanctorum, quorum memoria in hoc Menologio celebra- tur a Græca Eccleſia. Poſteriori hujus Voluminis Parte, quæ non-	p. 5. 9. 11. 16. 34. 45. 59. 73. 88. 105. 164. 174. 185. 194. 283. 308. 314. 331. 337. 372. 389. 397. 412. 501.
---	--

6. nullos ex Seculo XII Scriptoribus exhibet, post *Udalscalci de controversiis inter Hermannum & Eginonem*, Abbatem S. Udalrici, Narrationem, Carmenque de Eginonis itinere & obitu, Vita & res gesta leguntur S. Henrici, Imperatoris hoc nomine primi, Autore incerto, quem tamen nonnulli *Adelboldum* fuisse, dicunt; deinde libri tres de Vita S. Ottonis, Episcopi & Confessoris Apostoli Pomeranorum; Vita & Passio S. Tyemonis sive Theodamari, Archi-Episcopi & Martyris; Metelli Quirinaria, in laudem S. Quirini, Martyris; præter hæc Fragmentum aliquod ex Libro contra Folmarum; Officium de S. Carolo M; brevis Relatio, de Fundatione Monasterii Winabergensis, & Chronicon incerti Autoris a N. C. usque ad annum 1167. Exhibet porro illud Volumen *Monumenta Salisburgensia* novem potissimum partibus, quarum 1 Urbis & Monasterii Salisburgensis Descriptionem completitur, ex *Mabillonii Analæctorum* Tomo IV; 2 Vitas Episcoporum Salisburgensium; 3 Historiam S. Ludberti, Salisburgensis Episcopi; 4 S. Vitalis, 5 S. Virgilitis Vitas; 6 Catalogum Episcoporum Salisburgensium; 7 Arnonis, ejusdem Ecclesie Episcopi, Annotationem seu Indicem eorum, quæ Ecclesie Salisburgensi tradita sunt; 8 factas Ecclesie Salisburgensi Donationes; 9 Chronica Salisburgensia. Hæc inde excipiunt Friderici I Imperatoris, cognomento Barbarossæ, Expeditio Asiatica ad Sepulchrum Domini; S. Virginis Mechtildis & B. Notkeri, cognomento Balbuli, Vita; tandem Historia de Guelfis Principibus cum Chronico Weingartensi a Christo nato usque ad annum 1197, quod ad calcem hujus Voluminis adjectum est. Singulares operis hujus virtutes laudavimus alibi; quem autem laborem expoliendis duobus prioribus Voluminibus impendit, eundem vel in præfenti desiderari, passus non est, qui illustrandæ antiquitati sedulam, dum vivebat, operam navavit, novissimus Editor, Cl. Basnagius. Etenim præter illud, quod, quæ in hoc Volumine continentur Veterum scripta, suo disposita ordine, Seculorum probe servata serie, compareant, unicuique Autorum Præfationes Historicas, Animadversiones Criticas & Notas adjecit, quibus dubias sæpe Doctorum de Autore sententias excutiendas sibi sumisit, suam proposuit, rationibus firmavit, ubique tamen, quæ ejus modestia est, relin-

relinquendis Lectorum judicio. Lectu dignissima sunt, quæ in *Hippolytum Thebanum* ejusque *Chronicon* commentatus est Vir doctissimus; & eadem doctrina referta esse, videbis, quibus reliqua hujus Voluminis scripta illustravit. Magnæ & diuturnæ fuerunt, quæ inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam de Azy-
mis, de Jejuniiis, de Clericorum cœlibatu, ut reliqua taceamus hujus Græcorum a Latinis dissensus capita, magna animorum acerbitate exortæ fuerunt contentiones, utriusque Ecclesiæ Do-
ctoribus lites moventibus, easque diu reciprocantibus. Et sane multum illustrabunt motuum illorum Historias, quæ in *Humber-
ti contra Græcorum calumnias & Nictæ Pectorati adversus Latinos* Libros observata Viro Cl. quo etiam referas, quæ *Menologio Græ-
corum*, pretiosæ antiquitatis parti, ab eodem præmissa leguntur, ut adeo vel præ'enti hujus Thesauri Volumine Autorem doctissi-
mum, votis eruditorum obsequentem, expectationi eorum satisfecisse, cur dubitemus, causam habeamus plane nullam.

JOAN. FRID. SCHANNAT Sammlung zc.

h. e.

SYLLOGE VETERUM MONUMENTORUM
historicorum; Autore JO. FRID. SCHANNAT. Pars
prima. Accedit vetus Jus Germaniæ.

Fuldæ, sumptibus Autoris, 1725, 4.

Alph. r. pl. 20.

Clarissimus Autor, cujus jam alibi mentionem fecimus hono-
rificam, magno haud dubie sibi devinciet beneficio cultores
& historix & linguæ Germanicæ, si, quod hic ingressus est cur-
riculum, strenue decurrerit. Producit scilicet hic e tabulariis,
maxime Fuldenfi, diplomata nondum edita, ad illustrandam
medii xvi historiam Imperii. Quæ nunc quidem exhibentur,
Franconiæ & in ea maxime Hennebergicorum Comitum illu-
strant historiam. Sunt diplomata quadraginta octo, quorum
primo Carolus IV Imp. Salseldam facit feudum Bohemicum, eo
consilio (quæ Editoris est suspicio haud injusta) ut hoc simili-
busque factis successorum suorum in Regno Bohemiæ potentiam

in Germania quam maxime amplifcet. Quæ *num. II, V, VIII, XXI, XXVII & XXXVIII* exhibentur diplomata, pertinent ad jura & privilegia Ordinis Teutonici, in iisque aliquot adhuc ignoti Magistri Ordinis commemorantur. Cumque turbulenta admodum fuerit illo ævo Germania, hic haud pauca reperiuntur pacta, quibus Principes quidam & Comites Germaniæ inter se pacifcuntur de omittendis invasionibus hostilibus, deque controversiis, si quæ exortæ sunt vel exorientur, placide componendis. Pertinent huc *num. IV, XV, XVII, XVIII, XIX, XXIV, XXVI & XXXIV*. Diplomate *XI & XII* Wenceslaus Imp. confirmat pacem & securitatem publicam (*den Land-Friede*) proposita violatoribus pœna gravissima. Idem *num. XX* facit Rupertus Imp. diplomate longiori lectuque dignissimo. Ejusdem Imperatoris duæ literæ *num. XXII & XXIII* occurrunt ad Comites Hennebergiæ de senatu populoque Rotenburgenfi ad Tubarim aqua & igne interdicto. *Num. XXX* & tribus subsequentiis docemur, Hermannum, Comitem Hennebergiæ, ab Alberto, Episcopo Bambergensi, electum fuisse Coadjutorem, confirmatumque ab Imp. Sigismundo. *Num. XXXVI* idem Sigismundus A. 1414 Comites Hennebergiæ interesse jubet Comitibus Norimbergensibus, addens, ibi deliberatum iri de rebus in proxime futuro Concilio Constantiæ tractandis. Ejusdem Sigismundi literæ sunt *num. XXXVIII* A. 1415 Constantiæ datæ, quibus meminit, exauctoratum esse Papam Joannem XXIII, seque profitetur nihil non facere ad reddendam Ecclesiæ tranquillitatem. *Num. XXXIII* exstat exemplum pœnitentiæ, civi cuidam impositæ, qui alterum interfecerat. Scilicet coactus is fuit, primo quadraginta quinque libras ceræ solenniter deferre ad sepulcrum occisi, ibique relinquere ad pios usus, deinde eundem ei fuit ad loca sacrata, bis quidem Aquisgranum, semel in urbem Roman; tandem suntuus forenses refundere jussus est, & hoc facto plenissime liberatus. *Num. XLI* deprehendimus trium Electorum Ecclesiasticorum cum Electore Palatino pactum de progressibus hæreseos Hussitiæ suffraginandis. Hi mutuo spondent, se non solum ejus generis hæreticos suis in regionibus non esse toleraturos, verum etiam omnes & urbium & pagorum incolas jurejurando adstricturos esse ad non

fovea.

fovendos, sed prodendos, si qui irreperint, Hussiticæ sectæ hæreticos. Cetera diplomata, pacta illustrium personarum dotalia, privilegia Nobilibus viris data, foundationesque religiosas exhibentia, prætermittentes, ad egregium veteris Germaniæ monumentum properamus, quod Cl. Editor ex MS. Ingolstadiensi repræsentat p. 163 usque ad p. 322 adeoque ad finem usque hujus Sylloges. Est hoc Jus Germaniæ publicum pariter ac civile, *das Land-Recht* nominatum, quod confectum fuisse sæculo decimo tertio, ineunte magno illo interregno, suspicatur Cl. Editor, simul docens, in multis id convenire cum *Speculo Suevico*, quod vocant, ordinis vero & orthographiæ ratione diversum & illi præferendum esse. Permittimus id intentius contemplandum veteris Germaniæ juris consultis. Nobis in gratiam eorum, qui patriæ linguæ se præbent studiosiores, nonnulla hinc decerpere libet. Scilicet *Cap. XVI* dicitur Germanicum nomen Principis, *Fürst*, deductum esse a *vordist* sive *vorderst*: id quod confirmat illorum etymologorum sententiam, quibus eadem in mentem venit derivatio, eoque visa est probabilior, quod Romanorum quoque lingua *princeps* proprie *primum* significat. *Cap. 183* pro eo, quod in legibus Imperii vocatur *in die Acht erklæren*, dicitur *verachten*. Unde facile fuerit suspicari, hoc idem esse, ac *einem seine Achtung benehmen*, sive declarare aliquem infamem. Addimus ex superioribus diplomatibus nomen Germanicum *Zwölfbote*, hoc est, *Apostolus*. Hoc in singulari numero occurrit p. 69, 136, 149 & 154, e. g. *Bartholomæus der heilige Zwölfbote*. Unde discimus, in Germanico *Te Deum laudamus* vulgo perperam scribi *der heiligen zwölf Boten Zahl*, cum scribendum sit uno vocabulo *der heiligen Zwölfboten Zahl*. Verum definimus & cupide expectamus Cl. Editoris continuationem.

NUOVA PROPOSIZIONE INTORNO ALLA
Caruncula dell' Uretra, detta Carnosità.

id est,

PROPOSITIO NOVA DE CARUNCULA URE-
thrae, Carnosità dicta, explicata ab ANTONIO BE-
NEVOLO, Chirurgo Florentino.

Flo:

- Cap. 1.** **T**Ractatu hoc octo circumscripto Capitulis de obstaculo illo agitur, quod urethram obturat & urinæ liberum effluxum moratur. Communiter hoc Caruncula seu Carnositas vocatur, & pro excrescentia carnis fungosæ, a continuitate urethræ a quacunque causa soluta, potissimum tamen ab excoriatione in gonorrhœa facta, ortum ducente, habetur. Male carnositatis nomen imponi huic carunculæ, putat Autor, siquidem frequentius tale obstaculum invenit absque ullo excrescentiæ carnez vestigio; nec tenuis ac nervosa ductus urinarii membrana apta est, quæ possit a quavis excoriatione in carnem fungosam excrescere, cum a transfluente urina parietes ipsius sæpius abstergantur. Ejusmodi effectus potius ab extractione calculi, sæpe satis magni, fuisset metuendus, qui tamen nunquam fuit observatus. Et vagina uterina, quæ in sexu sequiore gonorrhœæ sedes est, & continuo a virulentis humoribus conspurcatur, texturæ suæ ratione citius talibus sarcomatibus esset obnoxia, cujus rei tamen nulla prostat experientia. Præterea ea est cujusvis excrescentiæ carnez natura, ut vel brevi indurescat, & callum contrahat, nec nisi per fortissima caustica tolli se patiatur, vel in immensam magnitudinem excrescat, quæ tamen phænomena in carunculam urethræ non cadunt. Ad hæc plures sunt Autores, qui in cadaveribus aliquam excrescentiam offendisse se negant, nullus vero est, qui eam vidisse testetur. Quamquam autem Noster non eat inficias, dari casus extraordinarios, ubi per carneam excrescentiam vel recentem vel induratum obex lotio ponitur; constanter tamen negat, carunculam in urethra veneream pro tali excrescentia debere haberi. Postquam enim tria cadavera cultro Anatomico subjicere ei concessum fuit, nihil carnis fungosæ ibidem invenit, sed observavit, quod protuberantia illa urethræ, quæ ab illo granum hordeaceum, a Cowpero bulbus, ab aliis Medicis caput gallinaginis vocatur, vel cicatrice obsessa, vel purulenta materia fuerit repleta. Unde pro certo habet, carunculam illam nihil aliud esse, quam ulcus dictæ protuberantiæ. Virus enim venereum quemadmodum per reliquas, quæ in urethra disseminatæ sunt,
- Cap. 2.**
- Cap. 3.**
- Cap. 4.**

sunt, glandulas promte se dispergit, ita etiam hoc glandulosum corpus ingreditur; imo humor proflatarum corruptus, hanc glandulam trajiciens, hujus serum simul inficiendo excoriationi & exulcerationi ansam præbet. Stante hac hypothese clare patet, unde derivanda sit viscida illa materia, quæ urinæ se admiscet, tumor perinæi, & partium vicinarum. Ad hæc nec tam cito curari possent durities vel excrementa carnea, si quæ adesset, nec olei contactum perferret, nec recidivam pateretur; cum tamen per immersionem cereæ oleo imbutæ sæpe funditus tollatur caruncula. Quanquam igitur sint, qui multos Autores allegare norunt, carunculam urethræ in excrementa quærentes; parum tamen referre putat, si quis nulla autoritate suffultus sententiam suam roborare possit, modo illa rationi & observationibus certissimis innitatur. Et licet Brunnerus in sectionibus binis, & Regnerus de Graaff ac Blancardus nullam mentionem fecerint capitis gallinaginis male affecti, sufficit tamen, eos fateri, quod cicatrices in urethra, vel ulcera offenderint. Imo & læsio in hac protuberantia cum tempore obliterari potest. An vero quidam Carunculæ extirpationem per corrosiva tentarint, & absque noxâ peregerint, vehementer dubitat Noster, imprimis quod reliqua remedia, quæ Autores contra hunc morbum commendarunt; ut semen althææ & malvæ, cerotum de mucilagibus cum pulvere sabine, oleum succini cum vitello ovi mixtum; sabina & portulaca; mixtura ex aloe, myrrha, aristolochia, tutia & storace liquida; vel ex ossibus sepiæ, tutia, cornu cervi ustis, aristolochia, alumine ustis, lithargyrio & oleo; cum nihil corrosivitas in se contineant, satis testantur, quod nullis opus sit corrosivis pro excrementa tollenda. Signa diagnostica hujus morbi sunt filamenta saniosa urinæ, stimulus frequentior & difficultas lotium reddendi cum æstus sensu, quandoque ischuria, urina in diversa, dum mingitur, fila ducta, obstaculum, in quod impingit candela vel syringa, quando in urethram immittitur, quo perforato effluit sanies; quandoque conjunctæ sunt cicatrices instrumentis totidem obices ponentes; subinde etiam in parastatis vel vesica urinaria læsiones quædam adsunt, & tum in urina multa viscida, fetens, sæpeque sanguinea conspicitur materia; febris

Cap. 5.

Cap. 6.

Cap. 7.

M

fre.

Cap. 8.

frequentè accedit cum magno rigore, quem æstus excipit, cum sudore abundante. Quod si igitur simplex fuerit Caruncula, per immisam ceream materia saniosa evacuatur, & liber urinæ transitus redditur. Sin combinatæ fuerint cicatrices, difficilius quidem cura procedit, hæc tamen, quia non adeo induratæ nec profundæ sunt, aliqualem admittunt dilatationem. Ad vesicæ vero vel prostaticarum læsiones delendas nulla cereæ conceditur applicatio, quin præstat, nihil agere. Denique curam quod attinet, post ordinatam congruam dietam, eamque temperantem, prohibendumque vini aromatatumque usum, si caruncula fuerit inflammata, nullam invenit locum candela cerea, sed partes decoctis emollientibus & anodynis fovendæ sunt, & materia conclusa resolvenda & ad exitum disponenda est. Illa vero cessante candela cerea vel stylus plumbeus ter vel quater de die immitti debet per 15 vel 20 dies, partim ut omnis materia contenta exprimatur & evacuetur, partim ut fibræ per repetitam ejusmodi pressionem magis magisque constriquantur, ad naturalem magnitudinem redeant, nec novam cumulandi materiam occasionem habeant. Potesetiam candela vel stylus oleo amygdalarum dulcium inungi, utpote quod carunculam ad ejiciendam saniem disponit. Nec male agunt, qui ultimis diebus instrumenti cuspidem cerato diapalmæ obvolvunt, ut majorem nactum diametrum eo efficacius operetur. Non debet tamen cerea medicata usque ad vesicæ cavitatem intrudi, ne medicamenti portio in ea relicta calculo generando ansam præbeat. Injections interim fieri possunt abstergentes & exsiccantes.

De cetero monendus est L. B. quod huic libro adjecta sit Epistola ab Autore ad Clariss. D. Antonium Mariam Valsalvam 1722 data, de duabus observationibus circa cataractas glaucomatosas a se institutis, & a nobis A. 1723 Mense Januario pag. 43 commendata.

AMOENITATES LITTERARIÆ, QUIBUS

varie observationes, scripta item quedam anecdota

Ærariora Opuscula exhibentur.

Tom. III & IV.

Fran-

DUas simul amœnitatum suarum Partes tradidit nobis Cl. Schelhornius, quæ utilitate & jucunditate prioribus haud cœdunt. Quidquid autem decoris & utilitatis in illis apparet, id omne deberi Viro Perillustri *Raymundo Krafft de Dellmensingen*, Reip. Ulmenis Consuli, & ex ejus bibliotheca instructissima depromptum esse, grata mente fatetur. Ipsa etiam tractatio incipit cum *Memorabilibus Bibliotheca Viri illius perillustri* (ex qua aliquando integrum Volumen epistolarum adhuc ineditarum se protractarum in lucem, promittit Cl. Autor) eamque & generatim & singulatim, memoratis rarioribus quibusdam libris, describit. In singulari hac descriptione memorat *primo loco Codices Bibliocos manuscriptos* variarum linguarum, in quibus unus & alter antiquissimus, maxime inter Latinos. *Secundo ex impressis codicibus Bibliocis* rariiores ac præstantiores indicat. *Tertio* inde a pag. 37 ex reliquis codicibus MSS. *membranaceos* aliquot enumerat *formæ*, quam vocant *in folio*, & *Quarto* ejusdem formæ *chartaceos*, in quibus Libellus de *progenie Soldanorum Egypti* & *præsertim de filiis Salahadini*, quem adhuc ineditum esse putat; nec non *Sermones in Concilio Constantiensi A. 1445 & 1446 habiti*, ex quibus Excerpta quædam inseruit, faciem Ecclesiæ ejus ævi delineantia. *Quinto* sequuntur pag. 76 *codices MSS. membranacei formæ quadruplici*, in quibus *Martyrologium Ecclesiæ Germanicæ vetustissimum*, illud ipsum exemplum, ex quo sæculo superiore publica editio a V. C. Matth. Frid. Beckio suscepta est. Hos *Sexto* loco excipiunt *Chartacei* ejusdem formæ, in quo ordine Anonymi *Judæi Glossarium Chaldeæ-Ebræo-Teutonicum*, ab eodem Beckio olim editioni paratum: item *Nicephori Gregoræ Oratio in laudem Constantini*, quæ non comparet in edit. Parisiensi, digna tamen est, quæ Supplemento Corporis Historiæ Byzantiæ inferatur. Conclusionem Orationis speciminis loco exhibet Cl. Schelhornius, cum sua Versione; p. 89. *Septimo* enarrantur quidam MSS. *membranacei, formæ octuplici*. *Octavo* MSS. *Arabici, Persici, Turcici*. *Nono* separatim nominantur duo rariiores libri, qui nec MSptis; nec impressis accesseri poterant. Nempe *Liber Chinensis*

eleganti typo libro arboris tenerrimo impressus, quinquaginta novem constans foliis, quæ duplicata & ita compacta sunt, ut totus liber unum sit continuum, & ad septuaginta pedes in longitudinem explicari queat. Pagina quælibet novem distinguitur lineolis, deorsum ductis, totidemque continet litterarum series, quarum pars major & crassior, pars vero tenuior, ita ut hæc explicationis vel glossematis, sicut illa textus rationem habere videatur. Titulus peculiaris operi præfixus non est, sed singula folia singulares habent inscriptiones: summam omnia spirant antiquitatem. Tum *Cantiones Malabarica, palme foliis stylo insculpta*; quibus denique adnectitur indicium Epistolarum virorum doctorum, quarum autographa, numero circiter 1500, in eadem bibliotheca continentur. Decimo apparent *Libri charta pergamena impressi: Undecimo illi, qui sub artis typographica primordiis & paullo post a Joanne Fisto & Petro Schaffero vel ab hoc solo excusi; Duodecimo libri, ab aliis ad annum usque 1500 typis exscripti*, in quo numero plurimi laudantur, quorum Cl. Maittaire in Annalib. Typogr. haud meminit. Decimo tertio libri alii rariore ex multis pauci recensentur. Tandem concluduntur Memorabilia illa indicio generali ornamentorum aliorum, quibus bibliotheca Kraffiana superbit. Sequuntur pag. 172 ex iisdem loculis depromti *Catalogi Librorum Arabicorum, Persicorum, Turcicorum, & Hebraicorum Astronomicorum, Medicorum, Historicorum & Philosophicorum in bibliotheca Palatina Magni Ducis Etruria, manu Antonii Megliabechii Italico idiomate scripti, nunc primum ex Autographo integri editi*, eosque operi suo singularem splendorem conciliare, non abs re sibi persuasit diligentissimus Schelhornius. III inferitur *Leonardi Aretini in Carolum de Malatestis, propter derogationem statue in memoriam Maronis factæ, Invenitiva*, quam itidem manu exaratam adhuc servavit Kraffiana, neque nominavit Julius Niger, Ferrariensis, in Historia Scriptorum Florentinorum, ubi cetera Aretini scripta edita & inedita omnia diligenter recensuit; unde non vana suspicio est Cl. Editoris, eam nunquam antea typis esse descriptam. Finem *Tertiæ huic parti imponit Dodecas Epistolarum ineditorum, Tezelii, Rama, Velferi, Augusti Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis,*

genfis, Schotti, Peirefcii, Jo. Val. Andreæ, qui litteris fuis Dif-
ficha duodecim adjecit de fymbolo fuo SUFFICIT, Ben.
Dav. Carpzovii & Mattsbergeri, omni eruditionis genere refer-
tarum: ex quibus defiderium integrum illud Epiftolarum viden-
di Lectori egregie accendetur.

*Tomo Quarto I affertur Notitia rariffimi cujusdam primige-
niae typographiae monumenti, cujus primam paginam delineari
lignoque incidi curavit Cl. Schelhornius. Liber ipfe conftat foliis
triginta novem, haud opifthographis, ut decoris tamen gratia
duæ paginæ femper glutine commiffæ cohærefcant, caractere
Gothico majufculo, rudi & impolito expreffus, variis figuris tex-
tui immixtis fcædens. Sed ex eo forte aliquis fufpicetur, fcultpu-
ræ potius, quam typographiæ monumentum dici poffe: etfi nos
cum Cl. Schelhornio facere malimus. II agitur de artis typogra-
phicæ Originibus, fed paucis: eo, quod admonitus eft Autor, Cl.
Kœlerum, Altorfinæ Academiæ Profefforem, propediem monu-
menta præfiantiffima atque antiquiffima, Moguntia accepta,
publicaturum & Guttenbergium primum artis inventorem effe,
clariffime demonftraturum. Inferuit itaque tantummodo Car-
men in primorum typographorum laudem ex editione Decretali-
um Schoifferiana defcriptum, quod incipit:*

Scama tabernaculi Moifes, Salomon quoque templi

Haud præter ingenuos perficiunt Dedalos, &c. &c.

Sequitur III Commentatio de vita, fati, meriti, ac fcriptis
Francifci Lamberti, Avenionenfis, Theologiae in Academia Mar-
burgenfis Profeforis olim primarii, cujus vitam Autores Relatio-
num novantiquarum de rebus Theologicis & Autor hiftoriæ lit-
terariæ Hafforum breviter perfrinxerunt. Schelhornius vero im-
ta: plenius & dilucidius tum ex editis Lamberti libris, tum præci-
pue e monumentis Anecdotis, quæ bibliotheca Krafftiana fuppe-
ditavit, expofuit. IV Excerpta quadam e Diario Georgii Spalatinæ
MSæ, quod eadem bibliotheca fervat. Cumque Spalatinus gra-
viffimis fui temporis negotiis interfuerit, ampliffimis functus
officiis, & commercio epiftolarum cum fummis viris ufus fit, faci-
le augurari licet, haud pauca memoratu digniffima dicto Diario
ipfius magni Viti manu exarato & ab A. 1515 ad A. 1526 producto

contineri. V *Historia editionis Bibliorum versionis Vulgatæ, Sixti V auspiciis Romæ curatæ A. 1590, cum adnotationibus, quibus indicis genuina illa editio dignosci queat*, lingua Gallica per Prosperum Marchand, Librarium, conscripta. VI *Ad illustrissimum Principem Ludovicum Sforciam, Vice-Comitem, Barri Ducem, Jalonis de Mayno I. V. Doctoris Præfatæ uncula*, cui addita ejusdem *Orazio habita in funere Excellentissimi J. C. Hieronymi Torti, tenentis primam Cathedram in felici Gymnasio Ticinensi*, habita Papiæ in Ecclesiæ fratrum minorum tertio Idus Augusti Anno a natali Christi 1484. Excipiunt ista VII & VIII duo rariora opuscula, olim jam impressa, nempe *Regiæ Maj. Angliæ Mandatorum Epitome, ex præscripto, ad subditos suos, tam Clericos quam Laicos, ex Anglico sermone in Latinum conversa*; & *Epistola Pii Papæ IV ad Daniælem Archiepiscopum Moguntinum Electorem*, qua facultatem huic concedit eligendi & deputandi Catholicos Sacerdotes, qui in provincia Germaniæ utramque speciem Catholicis ministrare possint, certis tamen observatis conditionibus, impressa A. 1564; cui IX adhæret *Epistola Joannis Philippi, Archiepiscopi & Electoris Moguntini, ad summum Pontificem, de Communione calicis concedenda uni Principi, Comiti, Civitati, Domino immediato, reditum ad Ecclesiam Catholicam meditati*, cum certo & evidenti fructu, quæque ad alios non transibit, nisi cum pari fructu; addita consideratione Theologi cujusdam, status præsentis Germaniæ gaari. X Conspiciuntur *Epistolæ quedam ineditæ*, ex eodem, unde omnia horum Tomorum, thesauro desumptæ, nempe Danielis Heinsii, C. Dornavii, Joannis Kirchmanni, Jani Gruteri ad Mich. Piccartum, Jo. Fr. Gronovii ad Jo. Heinsium, Gisb. Cuperi ad Jo. Christoph. Wagenfeilium, & Jo. Henr. Bœcleri ad Imn. Schorerum. Concludunt opusculum *Additamenta quedam & notamina* ad quatuor partes Amœnitatum, & *Index* in Partes duas posteriores. Notas passim ab Cl. Editore additas esse, super vacuum est admonere, cum & hoc, tamquam perpetuum institutum, & quod nostrum de erudito isto labore sit judicium, alibi pluribus indicaverimus. Hic saltem publico nomine Viro Perillustri, *Raymundo Krafft de Dellmensingen* gratias agimus, quod thesaurum suum aperuerit Cl. Schelhornio, qui tam egregie illo est usus, ut non modo omnes rei litterariæ amatores sibi de.

devinerit, sed & eruditos omnes ad plura indies ab solida istius atque docta industria sperandum, erexerit.

JO. GODOFREDI PILARIK MEDITATIONES Poeticæ in libros Biblicos.

Francofurti & Lipsiæ, apud Ge. Marcum Knochium, 1726, 8. Pl. 16.

Philologiæ & disciplinæ sanctioris studium cum artis poeticæ exercitio haud infeliciter se conjunxisse, Cl. Autor harum meditationum poeticarum primo hoc conatu orbi eruditorum facile probavit. Voces enim & sententias Biblicas paucis versiculis, ad modum Epigrammatum compositis, modo explicat illustratque, modo ad erroneas nonnullorum sententias refellendas, vel etiam ad pias in animis lectorum cogitationes excitandas applicat: tum vero in notis, quas versibus plerisque subjungit, ex Theologorum ac Philologorum apparatu controversias quasdam & quæstiones vexatas commemorat, & quos duces sequatur, ingenue profitetur. Atque hac ratione in præsentibus Epigrammata in Genesim exhibet CCXXXIV, & plura in reliquos libros Biblicos pium lectorem expectare jubet. Speciminis loco ut unam alteramve meditationem poeticam adducamus, principium cognitionis theologicæ solam Scripturam Sacram esse, indicaturus Autor, num. 2 ita canit:

Impia sint procul hinc oracula, Mischna, Sibyllæ,

Orcoreddat opus perditæ Meccæ suum!

Internum lumen, stygius quod provocat ignis

Lurida cum visis ad stygis antra volet!

Traditio sileat, Ratio gerat ora repressa:

Solus regna DEI monstrat adire DEUS.

ubi in notis, quæ prolixitate omnes reliquas superant, paucis delibantur, quæ de Oraculis & Sibyllis, de Mischna seu Judæorum Talmude & Mahammedanorum Alcorano, de lumine interno & visionibus, de traditione & ratione in scholis Theologorum disputantur. Num. 8 ex voce אלהים Gen. I, 1 Socinum ita refutat:

Jam, Socine, ruis, sanctam vix missus in arcem?

Hoc erit interitus causa, sceleris, tui.

in nota vero adjecta eos omnes a Calovio refutatos esse observat, qui mysterium Trinitatis hac voce insinuari negant: porro Gailardum notat אלהים h. l. subintelligentem, & verba Mosis ita inter-

interpretantem: *DEus Deorum creavit: & denique fanaticos de mysterio Trinitatis perperam sentire, ex Colbergio refert.*

Num. 13 aquas, quas vocant supracœlestes, ita tuetur:

p. 29.

Non cœlum, nec turba DEI, nec denique nubes,

Sed vera vera voce notantur aquæ.

Miraris sedem? nec aquarum percipis usum?

Omnia si nescis, rem tamen esse, scias.

allatisque verbis Cel. Buddei ex hist. eccl. V. T. p. 71: *Scholasticorum, aut, si mavis, Patrum quorundam figmento de aquis supracœlestibus hodie in tanta philosophiæ luce vix quisquam amplius locum relinquet: & argumentis, quæ pro stabiliendis illis aquis adduci solent, repetitis, tenebras piæ ignorantix luci philosophicæ se præferre testatur.* Num. 19 hominem erecta forma conditum contemplatur, & sequentem profert meditationem moralem:

43.

Conditur erectus, primum meditetur ut ortum,

Candorique studens summa requirat, homo.

Num. 73 ad Gen. IV, 16 de signo Caini ita commentatur:

Rabbini cornu præfixum fingere tentant,

Dum statuunt alii, fabula vera! canem.

Non tremor esse potest, communis nota senectæ

Littera nec fronti scripta, levamen erat.

Num tremuit stanti tellus? ne finge stupenda;

Non lepra prodigium, nec coma longa fuit.

Res incerta manet; metuenti namque Caino

Non aliis voluit ponere signa DEus.

Et hanc sententiam in addita nota uberius confirmat. Quamquam vero ex aliis, quos citat, Scriptoribus, Calovio, Pfeiffero, Clafio, Deylingio & reliquis ea, quæ in notis afferuntur, & Clerico, Hardtio aliisque passim opponuntur, abunde satis consent: laudamus tamen merito & ingenii promptitudinem, & sacras literas sobrie solerterque tractandi studium, & operam hanc, quæ suo non carebit usu, ut persequatur strenue, selectasque meditationes luculentis exornet observationibus, publice monemus.

No. III
**ACTA
ERUDITORUM,**

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXXVI.

SACRÆ ANTIQUITATIS MONUMENTA
*Historica, Dogmatica, Diplomatica, notis illustrata a R.
P. ac Domino CAROLO LUDOVICO HUGO,
Abbate Sivagii, & Fontis-Andree Doctore Theologo,
sue Celsitudini Regiæ à Consiliis & Historiis, Tra-
ctus Sivagiensis Præfato Ordi-
nario &c.*

Tomus I.

Sivagii, literis Jo. Martini Heller, 1725, f.

Alph. 7 pl. 12.

Primum nascentis in Lotharingia typographiæ specimen, quod vocat ipse S. R. Autor, producimus, nec inelegans & luce dignum: quod locum utique in Actis nostris meretur, etsi in tanta librorum, præsertim historicorum, qui quotidie provolvant, copia angustiore forte, quam decebat. Continentur vero hic primo *Gervasi*, Abbatis Præmonstrati & Episcopi Sagiensis in Gallia, sed gente Angli, *Epistole CXXXV*, e Steinfeldensium prope Coloniam Præmonstratensium Codice descriptæ, quippe qui locupletior Viconiensi, e quo septuaginta tantum Epistolas Norbertus Cailleu A. 1663 typis Valencenianis vulgaverat. Optime vero de his meritus est Noster, tum quod in præfatione Gervasii res gestas, usus imprimis Vita MS. Viconiensi, satis dilucide explicavit, tum quod illis subinde, æquæ ac ceteris scriptis hic contentis, subjecit notas eruditas, ad intelligendas epistolas admodum accommodatas. Illud tantum notamus, plura hic occurrere, quæ ad illustrandam Friderici II Imp. & Pontificum Cælestini III,

N

Inno.

Innocentii III & Honorii III, quibus sæpe a consiliis fuit, historiam apprime pertinent. Succedunt his *II Antiquitates sacre* Archi-Prioratus *Hircevallensis*, vulgo *Herival*, intra Vosagi montium fauces siti, cum Statutis; & *III Joannis Herculani*, Pleinifini, *Historia de Antiquitatibus Vallis Galilee*, quam, Decano & Canonicis Sancti Deodati A. 1541 dedicatam, fabulisque quodammodo scatentem, in lucem & simul ad criticum examen, subjeclis animadversionibus, fatis prolixis, revocavit Cl. *Hugo*, quæ vel solæ de singulari ejus in his studiis eruditione testari abunde possunt. *IV Diarium & medulla votorum Patrum Concilii Tridentini*, autore *Nicolao Psalmeo*, Abbate S. Pauli Ordin. Præmonstr. & Episcopo Viridunensi, ejusdem Concilii Secretario & Canonum Redactore, a Mense Majo 1551 ad 28 Apr. 1552, tum & *Elucidationes* nonnullorum locorum S. Concilii Trident. a S. R. E. Cardinalibus, dicti Concilii interpretibus, factæ. Quanta vero Psalmæi tum in Concilio hoc, tum passim in Gallia atque Lotharingia fuerit autoritas, dilucide Noster tradit in Præfatione, universam ejus vitæ seriem inde ab A. 1538, quo Abbas primum factus, usque ad annum ejus emortualem 1575 prolixè exponens. Hic inter alia observat; eum, *os & mentem Concilii* dictam, cum graviter contra Commendas nuper invecas in Ecclesiam disputaret, & nonnemo subsannando exclamaret: *Audite, quomodo Gallus istè cantat*, protinus regeisse: *Outinam ad Galli cantum Petrus respiceret!* Memorat & alios ejus libros, ut *Exposition de la Messe*, 1554, *Preservatif contre le Changement de Religion*, 1563, & *Portrait de l'Eglise*, 1574, Viriduni editos, qui singularem Viri pro religione zelum produnt. Ceterum in Actis his dignæ lectu sunt tum literæ salvi conductus a Concilio Protestantibus in Sessione habita 25 Jan. 1552 datæ, tum Orationes Legatorum non minus Mauritii, Electoris Saxonie, quam Christophori Ducis Wurtembergensis, nec non Argentinenisum, in Concilio eodem anno publice recitatæ; nec non ea, quæ inter Legatos Hispanum & Gallum de præcedentia illic agitata sunt. His Noster subjecit *V Beati Emonis & Menconis*, Abbatum Werumensium in Frisia, *Chronica* ab A. 1204 ad A. 1272, eorumque Continuatoris Anonymi *Chronicon Floridi Horti*, ab A. 1276 ad 1279, quæ quidem omnia

p. 311.

313.

318.

320.

389. 395 ff.

omnia ab Antonio Matthæo, JC. Belga (quem Noster minus apte Dominum *Matthieu* vocat, ne opere quidem ejus aut Tomo citato) in *Analectis Veteris Ævi*, Opere hodie parum obvio, T. III publicata, Noster cum Codicibus contulit, emendavit, supplevit & notis suis instruxit.

CODEX ITALIÆ DIPLOMATICUS: COL-
legit ac Elencho Indiceque reali instruxit JO.
CHRISTIANUS LUNIG.

Francof. & Lipsiæ, impensis Hæredum Lanckif. 1725, f.
 Alph. 14 pl. 6.

Singularis est Italiæ literatæ hoc Seculo felicitas, quò præter *Novum Italiæ Theatrum* splendidissimum, IV Tomis editum, (v. Acta Er. A. 1725 p. 336) quibus nuperime Tomos II, *Theatra* nempe *Pedemontii & Sabaudie*, additos, hac occasione nuntiamus, duplex *Scriptorum rerum Italicarum collectio* Clarissimorum Virorum, *Muratorii & Burmanni*, opera, tot voluminibus, tam exquisito apparatu, vulgata (de quibus sæpe diximus) imò & integra *Historia Literaria Italia*, autore *Hyacinto Gimma* (v. Acta Anni cit. p. 56) in lucem prodire. Sed ne quid ad Historiam & Jura publica Italiæ deesset, opportune jam Cl. *Lunigius* noster, qui & studio indefesso & felicitate colligendi omnis generis monumenta antiqua, ea maxime, quæ Germaniæ res & jura concernunt, nec nunc habet, nec forte habiturus unquam est parè, novi Codicis amplissimi diplomatum Italiæ, quo, ut plenior titulus habet, *non modo multifariæ Investiturarum literæ, ab Augustissimis Romanorum Imperatoribus Italia Principibus & Proceribus concessæ etque traditæ; verum etiam alia insignia varii Generis diplomata, tam edita, quam multa anecdotæ, ipsos concernentia, continentur*, Tomum I concinno ordine prodidit, alterum hox etiam additurus. Continentur hoc Tomo diplomata & monumenta DCXLI, duabus classibus divisa, quarum prima ea complectitur, quæ ad generalia Jura S. Cæs. Maj. & Imperii in Italia, altera vero ea, quæ speciatim ad Procerum Italiæ cum Imperio nexum clientelarem spectant. Itaque *Sectione I*, facta a Carolo M. initio, Imperatorum Germ. cum Pontificibus Rom. de jure Im-

perii tractata & cōventa, usque ad Imperatorem hodie felicissime imperantem Carolum VI, traduntur, in quibus maxime lectu digna sunt, quæ & hunc & Fratrem ejus Josephum, Patremque Leopoldum spectant; quo etiam refertur Tractatus Pacis & Commercii, qui inter modestum Imperatorem & Philippum V Hisp. Regem superiori anno Viennæ feliciter conclusus est. *Sectio I*, tribus Classibus subdivisa, in *prima* Ducum Mediolanensium, Sabaudix, Magnæ Etruriæ, Mantuæ & Montisferrati, Mutinæ & Rhegii, in *secunda* Vicorum Mirandulæ, Guastallæ, Gonzagæ, Sablonettæ & Bozuli, ab Auriâ vulgò Doria, in *tertia* denique, quæ Tomo II latius continuabitur, Comitum & Marchionum ab Auriâ, Com. Borromæorum, Domin. Cacheranorum, Principum Carpineorum, March. Savonæ & familia Carrettana, Domin. Cazulinorum, Princ. & March. Centurionis, Conradorum ab Austria, Costorum, March. Eisenium, Fliscorum, vulgò *Fieschi*, tum & Tergesti civitatis sive Principatus in Histria documenta plurima, nexum cum Imperio testantia, ex. gr. Ducum Sabaudix CXXI & M. Etruriæ Ducum LXXIV, exhibet. Horum usum si docere plenius liberet, liber nobis scribendus foret; quare brevitatis memores nihil addimus, nisi quod monemus, Cl. Autorem; quod ipse testatur in Præfatione, prætermisisse in hac Collectione ea monumenta, quæ *Archivo Imperii*, XXIV spissis Voluminibus in fol. absoluto, jam inseruerat, digito tamen, quo loco illic reperiantur, indicasse.

THESAURUS JURIS derer Grafen und Herrn des
Heil. Röm. Reichs etc.

i. e.

THESAURUS JURIS COMITUM ET DOMINORUM S. ROM. IMPERII, in quo de eorum origine, incrementis, prerogativis & juribus agitur, & multa documentis optime fidei, nondum hætenus editis, probantur,

editus cura JO. CHRISTIANI

LUNIGII.

Francof. & Lips. apud Hæredes Frid. Lanckfii, 1725, f.

Alph. 12.

Novus

NOVUS prodit Cl. *Lünigii* nostri opera Theſaurus, in quo quidem non diffitetur, principem adiutorem ſe habuiſſe *Georgium Tobiam Piſtorium*, J. V. Lic. Illuſtriſſ. Comitibus Hohenloha-Weickersheimenſibus à Conſilijs & Cancellariæ directione. Poſtquam enim Vir Cl. D. Johannes Stéphanus Burgermeiſter cum in *Theſauro*, tum in *Bibliotheca Juris Equeſtris*, magno legentium commodo congeſſit, quæ de Nobilibus Imperii immediatis paſſim exſtabant, operæ pretium exiſtimatum eſt, ſi idem fieret de Comitibus Imperii Rom. Germ. Habes itaque hic Scripta CC-LXII, quæ vel integra vel excerpta hic exhibentur, tribus Partibus digeſta. His præmittitur Introductio in Theſaurum hunc Juris, nec brevis, & oppido erudita ac lectu digna, quam Cl. *Piſtorio* deberi, minime dubitamus. Agitur vero hic de origine Comitum & per ſingula fere ſæcula oſtenditur, quanta eorum fuerit dignitas & autoritas: qua in re ita verſatur Autor, ut non modo Scriptores idoneos afferat, ſed præcipue ad diplomata, quæ paſſim in *Archivo Imperii Lünigiano*, modo laudato, exſtant, provocet, ut eo magis de operis hujus immortalis utilitate conſtaret. Continentur vero prima operis Parte Excerpta è præſtantiſſimis Gloſſatoribus, Hiſtoricis & Juris Publ. Doctoribus, & Parte II integræ Diſſertationes Hiſtorico-Juridicæ de origine, incrementis, prærogativis & Juribus Comitum Imperii R. G. Parte vero tertia, qua præter Diſſertationes, Conſilia imprimis & Acta publica continentur, paulo diſtinctius procedit, & *Capite I* ea ſcripta exhibet, quæ ad originem & priſtinam Comitum dignitatem pertinent, *Cap. II* inſcribit de prærogativis & juribus, *Cap. III* de jure præcedentiæ, *Cap. IV* de his, quæ ſtylum curiæ & ceremonias concernunt, *Cap. V* de Miniſterialibus, ubi affert Joach. Ge. de Plœnnies Diſſertationem, in Actis A. 1725 p. 258 memoratam, cujus & ſententiam ſuam facit Autor Introductionis, *Cap. VI* de rebus matrimonialibus, *Cap. VII* de rebus ad tutelam ſpectantibus, *Cap. VIII* de teſtamentis, *Cap. IX* de jure primogenituræ, ſtatutis familiæ, venia ætatis &c. *Cap. X* de rebus feudalibus & quæ ſucceſſiones evolvunt; *Cap. XI* de ſuperioritate territoriali & Jurisdictione, *Cap. XII* de Regalibus, *Cap. XIII* de Jure collectandi, *Cap. XIV* de Jure vectigalium & de privilegijs de non evocando

& de non appellando, *Cap. XV* de Austregis, *Cap. XVI* de Jure adlegandi & deputandi, *Cap. XVII* de insignibus & sigillis, *Cap. XVIII* de Juribus; quæ Comitibus competunt ad obtinendum munus Præsidis in Camera Imperiali, *Cap. XIX* de Collegiis Comitum in Comitibus & quatuor eorum Votis; quod prolixissimum scripta continet quinquaginta, *Cap. XX* de gravaminibus Comitum & Imperatoris decisionibus, & *Cap. XXI* de variis statum Comitum Imp. concernentibus. Miscetur vero hic scripta Latina cum vernaculis, edita cum ineditis, quæ singula hic referre institutum nostrum non patitur. Ceterum operæ pretium utique fecere Clarissimi Editores, quod tot palantes chartas in unum corpus redegere. Etsi enim generatim tantum de Juribus Comitum Imperii egisse videantur, multa tamen passim occurrunt, quæ familias Comitum diversas sigillatim illustrant, quæ ut commodius suo loco evolvi possent, accessit ultimo loco Index rerum utilissimus.

Geschichte der Preussischen Lande, Königl. Pohlaischen Antheils.

i e.

HISTORIA RERUM IN PRUSSIA POLONICA ab obitu Sigismundi Augusti usque ad Stephani Regis mortem seu A. 1586 gestarum; cuncta ex MSCris collegit

& documentis illustravit **GOTHOFREDUS**

LENGNICH, D.

Dantisci, apud Jo. Daniel Stollii Viduam, 1724, fol.

Alph. 7 pl. 7.

EXhibemus jam tertiam Partem Operis consummatissimi, cujus Anno 1724 M. Jun. mentionem fecimus, in qua concinnanda Cl. Autor iisdem fontibus, quos in priori Tomo ejusque Præfatione jam indicaverat, usus; si descriptionem Interregnum excipias, quam ex MSCta Historia hausit, cujus Autor adhuc latet. Equidem in exemplo, quo usus fuit Noster, a recentiori quodam adscriptum reperit, *Karnikovium & Cromerum haberi Auctores*; quod & ex illius Epistola *Dlugosso edit. Lips. p. 1521* sub-

jecta

jecta pateſcat. Sed ibi Karnkovius ſolum meminerat Fasciculorum quos vacante Regno uſque ad Henrici electionem congeſtos, in ordinem redigendos ad Cromerum miſerat, quem laborem Cromeris ſenio conſectus, labente jam memoria viribusque debilitatis, merito defugiebat, v. *Epist. in Dlugoffo p. 1704.* Verum illud opus, quod Noſter in uſus ſuos vertit, (cujus etiam exemplum exſtat in Bibl. Menckeniana) a morte Sigifmundi Auguſti ad inaugurationem uſque Stephani continuatum ac libris VI diuiſum, non ex laciniis conſarcinatum, ſed juſta ferie, ſtilo terſo, candore ſummo, a Viro ſoletiſſimo, qui rebus ipſis interſuiſſe videtur, conſcriptum; occaſionem præbuit, ut plura ab aliis neglecta, vel erronee tradita Noſter ſuppleret, vel emendaret. Præmiſit huic Tomo breuem commemorationem ſcripta *Stanislao Karnkoviſo* compoſiti *de jure provinciali Terrarum, majorumque civitatum Pruſſiæ.* Karnkovius enim Epicoſopus Cujaviæ, ut Henrico Vaſeſio Statum Polonici Regiminis notum faceret, Libellum *de ſeu Polonia & Gente Polona* hanc in rem conſcribi curaverat, cui ipſemet in vicem ſupplementi de Boruſſia quædam adjecerat, quæ 1574 in 4 in publicum ſunt emiſſa. Cum vero Karnkovius illud præcipue animo agitaverit, ut, ſuppreſſis ſcriptis publicis, quorum memoriam hic Autor repetit, Boruſſorum jura libertatemque convelleret, Noſter, annexa hanc in rem *Epistola Caſp. Schütziſ,* ipſemet quoque lubricas Præſulis iſtius rationes ſolide conſutat. Ut vero ad rem præpius accedamus, mortuo Sigismundo Auguſto, & libera electione univerſo Regno reſtituta, Boruſſi exiſtimabant, optimam ſibi occaſionem eſſe oblatam, ut pacta cum Caſimiro A. 1454 inſita & conſuetudines patriæ vetuſtas a Rege futuro ante ſuſceptum Regimen expreſſa ſanctione confirmari, & jura, ſub antecelloribus fere deperdita, hoc modo reſtaurari poſſent, quamvis haud immerito ſuſpicarentur, Ordines Regni Polonici jura, quæ ipſis eripere huc uſque non fuerant veriti, in poſterum quoque acerrime ſibi derogaturos. Hinc Civitates majores ſub initium Interregni proſtrebantur, ſemet intra limites conjunctionis cum Caſimiro ſtatutos eſſe remanſuras, quos tranſiſſiſſe Polonos, plerique ex Conſiliariis, Nobilitas inferior & Civitates minores, quarum res hæcenus ad incitas fuerant

p. 99 ſq.

2.

28.

redactæ

- p. 39. redactæ, injustum pronunciabant. Omnes ergo eo collimabant, libertatem integram esse restituendam, & ne denuo ista violaretur, obices undique ponendos. Verum dum de sanis remediis inter superiores & inferiores ordines Borussicos disceptatur, Henricum Valesium & electum & coronatum, cernunt, antequam de rebus ad salutem communem pertinentibus amice potuissent convenire. Interea Konopatii, aliique Nobiles, bona sibi quondam injuste, ut putabant, erepta, durante interregno, armis vindicaverant, unde graves querelæ in Polonia excitatæ. In Comitibus electioni destinatis Ernesto Archi-Duci Austriæ favebant Borussi, a quo ita abhorrebant Poloni, ut jam copias ad externam vim propulsandam cogèrent. Verum Legatus Gallorum, Religionis & privilegiorum securitatem pollicitus, ad Henrici Valesii partes Dantiscanos primum, mox & reliquos Borussos pertraxit. Sed, omnibus paullo post in adventum novi Regis dilatis, dum Borussi ad inaugurationis solennia accedunt, Henricum per Senatores Polonicos plane a se alienatum sentiunt, quippe is postulata ipsorum vix ullo responso dignabatur, & Nobiles secundum verba juramenti Polonici, in quo expressa mentio Borussicæ, utpote separati Territorii, non facta, fidem addicere jubebantur. Mœsli inde domum redeuntes, comperta Regis fuga, dum Poloni de novo Rege creando consultarent, ipsi tamen fidem juratam constantissime servarunt, donec bella Gallorum civilia omnem reditus spem præscinderent. Tunc demum animum in Domum Austriacam pronum denuo produnt, ac Legatis præcipiunt, ut suis votis Archi-Ducem Ernestum Regem nuncupent. Verum in Comitibus ad eligendum Regem congregatis, præcipui ex Polonis & Lithuanis Maximilianum Austriacum, quibus & Borussorum Legati, mandatis quodammodo satisfacturi, accesserunt, reliqui Annam, ex stirpe Regia oriundam, & maritum ipsi destinatum, Stephanum Bathorem, Transylvaniæ Principem, Reges proclamaverunt. Hæc discordia Borussiam brevi pervasit, & Cæsari quidem addicti, ut illi in cœpto perstarent, sedulo hortabantur. Verum, Maximiliano cunctante, Stephanus in Poloniam properè accedit, Lithuanos aliosque hæcenus sibi adversos minis partim, partim blanditiis ad suas partes trahit, eoque, cum versus Borus-

Borussia tenderet, hi quoque coacti, ut animo plane mutato, p. 200.
 exceptis Dantiscanis, Stephanó in finibus obviám facti, eumque 206.
 devote Regem venerantes, Thorunium comitarentur. Inde Or-
 dines Borussici omni conatu allaborabant, ut, quod sub Henrico Doc. N. 24
 frustra tentaverant, a Stephano tandem obtinerent. Sed quæ 25. p. 212.
 Henricum distinuerat, eadem quoque remora Stephano injecta,
 siquidem Senatores Regni ægre permittebant, ut Rex vigore ju- p. 217.
 ramenti Polonis præstiti, Borullis polliceretur, se in proximis
 Comitibus querelis eorum medelam allaturum. Interea Dantiscani 220.
 suas sibi res habere cœperant, quod nec patriæ communi, nec ci-
 vilitatis libertati prospectum satis fuisse existimarent, præsertim
 cum provida cura opus esset ad cohibendos illorum conatus, qui
 paucos ante annos novam Regiminis formam ipsis obtrudere im-
 periose tentaverant. Et in vili ipsis erant *Commissarii, Karnkovi-* 222.
ni vulgo nuncupati, ab inimicis regnante Sigismundo Augusto
 constituti, qui fundamentis Reipublicæ conquassatis extrema fere
 minabantur. Ad tanta ergo mala averruncanda, & statum pristi-
 num restaurandum, necessarium censebant Dantiscani, cogni-
 tionem ante omnia Judicibus delegatis & Decretis eorum omnem
 auctoritatem abrogari, atque antequam hoc factum esset Stepha-
 no Regi fidem jurare, recusabant; unde malevoli, ipsos ad defe-
 ctionem spectare, criminabantur. Amica quidem transactione 221.
 sedare tempestatem imminentem tentabant nonnulli, sed his ad-
 versabantur plures, qui, neglecta communis salutis cura, propria
 commoda ex dissidiis publicis captabant. Eadem res in Comitibus
 Thoruniensibus denuo agitata, quorsum ablegandi aliquos ex suis
 civitati libertas data. Verum cum missi a Dantiscanis, in urbem vix 224.
 ingressi, carceri manciparentur, & Aulici graviora quotidie postu-
 larent, nec Brombergæ postea Tractatus feliciter succederet, pa-
 cis consilia exulare penitus visa sunt. Hinc ablegati Dantiscani in
 arcem Leasiciensem detrudebantur; civitas ob atrociora crimina,
 eidem imputata, proscripita, ac metces pecuniæque ipsorum
 in universo Regno repertæ in fiscum redactæ. Immo urbs ipsa 238.
 gravi obsidione cincta: sed Dantiscanis pertinacissime sua defen-
 dentibus, eoque fortissimi Regis consiliis penitus everfis, pax
 tandem optata conciliantibus exterorum Principum Le- 240.
 gatis,

- p. 254. gatis, felicissime coit. Civitas in gratiam Regis recepta, privilegia illius summa autoritate roborata, & querelis per *Tractatur*
- 428 sq. *Portorii* satisfactum. Reddita vix Regno quiete, Stephanus eo intendit animum, ut Livoniam, in quam Polonis sub Sigismundo Augusto jura erant legitime quaesita, Russorum dominio armis subtraheret. Ad id perficiendum opus erat nervo rerum gerendarum, unde Poloni, quantum cuique pendendum esset, constituerunt, simulque allaborarunt, ut Borussi oneribus Regni publicis subjicerentur. At isti ex antiqua consuetudine de pecuniis conferendis in Comitibus Provincialibus potius consultabant, ac licet hac in re a vetusta constantia recedentes Nobiles, ut civitatibus ægre facerent, a Polonis statuta acceptarent, civitates tamen, ne ista inveterato usui fraudi essent, protestatae sunt.
- 276, 339. Nihilominus pati cogebantur Borussi, ut vectigalia, de quibus 286, 3-8 in Comitibus Regni decretum fuerat, in terris ipsorum, imprimis prope Montem Album, per aliquot annos exigerentur. Hinc ut 337, 391 arctius in Poloniae societatem venirent Borussi, ad omnia Regni 404. Comitibus eos evocarunt Poloni & Nobiles Territorii inter Consiliarios in Senatu, a Nobilitate vero Delegatos inter Nuncios Terrestris sedes occupare jusserunt, quod vigore Decreti Lublensis, a Stephano Rege demum autoritate legitima donati, jure factum fuisse perhibebant. Deinde sensim id efficere conabantur, 332 sq. 340 ut juri dicundo Comitibus Borussorum Provincialia tantum vacarent, & Ordines ipsorum de rebus majoris momenti, quoties 349. Regi placeret, in communi conventu consulerent. Mox omne discrimen inter utramque gentem tolli cupiebant Poloni, & 341, 345. quamvis Borussi, ut animos Polonorum sibi conciliarent, pro Doc. 37. indigena admitti paterentur, qui per annos aliquot praedia in Borussia possedisset, nullam tamen legem admittere, sed pleno jure uti Poloni volebant, unde factum, ut illis summa officia in 309, 396. Borussia fuerint collata, quod patuit primum in Cromero ad Praesulatum Varmiensis evecto, cui & Andreas Batoreus Princeps 312, 326. Coadjutor adjunctus. Neque minus secularia judicia insignem 410, 433. mutationem tunc passa sunt, cum, regnante Stephano, Tribunaalia Doc. N. 43- 52, 66. Polonorum primum constituerentur, unde, quibus Poloni etiam 268, 271. Borussos subjicere tentabant, donec hi, gravissimis momentis Regi

Regi propositis, exemptionem impetrarent. Præterea cum appellationes ad Regem justitiæ procrastinandæ ansam præberent, Borussia devote petierunt, ut Polonorum more ipsis quoque singulare Tribunal erigere liceret. Sed oblitit iterum Rex, ipsisque id tantum indulgit, ut vel ad Regem ipsum provocarent, vel a Tribunali Petricoviæ decisionem causarum peterent. Hinc aliquandiu, ut olim moris, ad Regem appellatum, usque dum Nobiles, a Civitatibus discordes, Petricovienses sub certis conditionibus Judices agnoscerent. Gravissimum sane videbatur, causas ex Legum patriarum tenore ab extraneo judicio dijudicari, donec Culmensia jura in ordinem fuissent redacta, cui rei perficiendæ jam Sigismundo I imperante fuerat infudatum. Nec defuere conventus ad utilissimum negotium peragendum destinati sub Stephano; sed in alia omnia ordines discesserunt, cum nonnulli animadvertereat, Nobiles, neglectis legibus Culmensibus, peculiari juri condendo intentos, cujus voti etiam sub Regimine proxime sequenti compotes sunt facti. Ceterum octoginta fere *Documenta publica* subnectuntur, quæ veritati lucem insignem accendant.

p. 261

448, 451

452 Doc.
N. 77 sq.

292, 461.

Doc. N. 61.

365 sq. 373.

414, 425.

464 467 sq.

*THESAURUS JURIS ROMANI, CONTI-
nens rariora meliorum Interpretum Opuscula, in quibus
Jus Romanum emendatur, explicatur, illustratur, itemque
classicis aliisque Autoribus haud raro lumen accenditur,*

cum Prefatione EVERARDI OTTONIS,

JCi & Antecessoris.

Tomus I.

Lugduni Batavorum, ap. Jo. van der Linden, juniorem, 1725, f.
Alphab. 5 plag. 19.

Quod Belgio, quod Orbi Erudito, quod seculo nostro impense gratulamur, prodiit jam anno superiore in publicam utilitatem atque elegantiam prima & conspicua pars illius, omnium nationum votis prius exoptati, ac, postquam spes ejus publice facta, anxie a nobis expectati rariorum opusculorum Theauri. Meritoque prodiit sub tutela Amplissimi supremæ Curie Præsidis

Cornelii van Bynkersbek, quem veræ juris civilis sapientiæ apud Belgas Statorem, hujus vero instituti Autorem primarium ipsa hæc splendida collectio Patronum sibi advocandum postulavit; quippe cui illa suam debet fortunam & pleraque accepta fert ornamenta. Laudabunt Eruditi fidem atque industriam solertissimi Bibliopolæ, qui characterum elegantia chartæque nitore, plane, ut promiserat, cimelia Jureconsultorum principum convellivit; quod vero longe pluris faciendum, doctissimorum hominum auspiciis atque ductu omnia instruxit; deinde propria cura operaque providit, ut ad commodiores legentium usus summaque cum accuratione singula, quæ hic extant, opuscula comparerent, & communi omnium plausu exciperentur. Ipse hac fini operas typographicas rexit, ipseque, Latini sermonis peritia satis imbutus, errata, quæcunque animadverti potneret, & secus edita removit; legum capitibus, more veteri per verba initialia tantum laudatis, adjecit numerum; Historicorum & Poetarum testimonia, adscriptis libris, capitibus, versibus, certiora fecit, atque indices singulis opusculis, eorumque paginis aptavit. Hæc solertia impendenda erat, quo dignum tanta expectatione opus exiret, quodque a dotibus externis pariter atque internis summo opere placeret. Omnis enim cautio fuit adhibita, ut ne aliis in hoc clarorum virorum teatro daretur locus, quam, quos & brevitatis, & raritatis, & utilitatis commendaret. Majora opera mole sua nimium gravatura fuissent hunc Thesaurum, sed & talia non tam difficilia paratu esse consueverunt. Raritas nullos libros in hunc censum admisit, nisi simul multo elegantia & eruditionis sale essent perspersi. Propterea enim nonnulli superiorum seculorum tractatus rarissimi, quod nihil bonæ frugis continent; sique suo merito intercidunt. Juvabit ergo in hac collectione comprehensos accepisse libros *plus quadraginta*, non nisi exquisitos, & qui antehac separatim magno cum sumtu vix ac ne vix quidem comparari potuerunt; libros, inquam, multiplici utilitati & oblectationi variaz inservituros. Habebunt hic Jcti, quo post salebrosas juris quæstiones, aut post fori rixantis murmuratum animam reficiant: habebunt critici, quo *πολυμάθεων* large instruant: habebunt humaniorum literarum studiosi, quæ ipsis, tan-

tanquam peregrinis in hortis nata, gratiora videri poterunt, multa ad proprietatem vocum, ad ritus, formulas, mores & Antiquitates Romanorum pertinentia. Hoc pacto tituli præfixi mensuram implebit præfens opus, immensas doctrinarum atque eruditionis variaz gazas complectens. Tanto inferiores jam apparebunt collectiones opusculorum juris olim peractæ, sive illa *Francisci Ziletti* jussu *Gregorii XIII Pontificis* quinque & viginti voluminibus sub titulo, *Tractatus universi Juris*, Venetiis A. MDLXXXIV edita, sive altera a *Pompejo Limpio* octo Voluminibus sub titulo, *Repetitiones Juris Civilis*, Venetiis A. MDCVIII publicata. Pauci enim in vastis istis corporibus Scriptores artibus & literis paulum cultiores reperiuntur; neque discreta satis Divinæ atque humanæ legis, diversorumque jurium, aut solida, & quæ demtis Doctorum plaustris consistere videretur, doctrina in plerisque sese prodit. Enimvero melior jam vivitur ætas, nec beata *Accursii* familia in foro, multo minus in Arte juris, regnum adhuc tenet. At, bone Deus! quanto intervallo priorum syntagmaticum Auctores ab hujus Theauri vel Conditoribus, vel adiutoribus distant. Summus humanioris & ingenuæ juris prudentiæ fautor atque arbiter *Ik. van Bynkersbæk* consilium & rationem deligendi in meliores juris Auctores dedit, imo vero ipse instructissimæ etiam Bibliothecæ suæ thesauros liberaliter, & generosa de bono publico merendi voluntate, reclusit, non invisurus omnibus, quod antehac omnino cum paucis commune possederat. Nec nisi felicissime librorum hoc fasce complectendorum dilectus cedere potuit, cum & alii præcipui apud Belgas Antecessores atque Civilis juris cultiorisque literaturæ peritissimi Viri, sæpius repetita deliberatione, re atque judicio suo opus promoverint, imprimis Viri Clarissimi *Alexander Cuninghamus* & *Henricus Brenckmannus*. Graviter ac venuste pro dignitate rei diligentissimus Antecessor *Everardus Otto* singula ista perorat disertissima præfatione, ipse auxiliis producendo huic thesauro præstitit clarus ad posteros futurus, eo majori quidem merito, quo majori modestia procerum & adscripti in titulo nominis invidiam excusat. Pari moderatione de singulis Auctoribus hic exhibitis sententiam dicere, aut, quæ a posterioribus melius tradita esse videntur, e multiplicis

ac variæ suæ eruditionis lectionisque penam hic congerere noluit, multo vero magis a censorio supercilio temperavit, in quo adhibendo: que in perstringendis aliorum laboribus illi fere proniores esse solent, qui proprio judicio sobrie diffidere nondum noverunt. Enimvero satis erit Eruditis præstantiorum Jctorum opuscula, quæ desiderabant, ut olim edita fuere, jam bona fide recusa legere. Quæ enim a recentioribus rectius animadversa, ea in illis non requiruntur: noverunt meliores literati, *in omnibus posteriora concludere, & sequentia antecedentibus prevalere*, quod ait Tertullianus, nec tamen ideo prius dicta contemnit habent, aut insectantur. Sed de de opusculis Tomi I dicendum.

Primum locum jure tenet *Anton. Augustinus*, initio Allifanus, dein Herdenfis Episcopus, postremo Archiepiscopus Tarracoenfis, *de Nominibus propriis τῆ Πανδέκτῃ Florentini*, a Viro Ampl. *Adolpho Fiffcher*, Jcto, in publica commoda oblatus. Præter enim dignitatem tanti nominis ipsa temporis ratio atque insignis raritas operis postularunt, ut statim in aditu conspiceretur liber, qui antehac unus longe pluris fuit emendus, quam universus hic thesaurus in posterum constabit. Primus ille juris utriusque Antistes maximus *Leges, Scta, Gentes, Familias, Numismata & Inscriptiones Romanorum* examinavit diligentius & cum juris civilis scientia omnem veteris eruditionis apparatus felicissime conjunxit. Sed primus idem præsidia ex *Pandecte Florentino* capienda Jctis indicavit, idque eo majori ausu, quo facilius Præceptoris, *Alciati* sui, *Politianum, Bologninum & Taurellum* ob industriam exemplari Florentino addictam publice privatimque ridentis, judicio averti ab hoc studio potuisset. Enimvero, decurso studiorum curriculo, Florentiæ una cum *Jo. Matalio Metello, Sequano, Digestorum* libros cum *Norica Haloandrina* editione ad Codicem illum venerandum contulit: suntque aurei *Emendationum & Opinionum* libri ex istius collationis observationibus enati, quos primum edidit Venetiis annos natus quinque & viginti, non undeviginti, ut male tradit *Schottus Lib. V observat. human. cap. 33*, qui ob civilia bella patria profugus, in domesticam familiaritatem ab Augustino receptus, nunquam ab ejus latere discessit, eaque propter accuratiora & plura, quam ceteri omnes,
de ipso

de ipso commemorare poterat. Sed hic de propriis Nominibus Pandectarum liber A. MDLXXIX Tarracone, typis *Philippi Mey* descriptus, exiit, tanquam pars prior ingentis operis, *de Verbis Digestorum*, quod Augustinus jam sexagenarius molitus fuit, quodque *omnium paruarum factem habere*, Scaliger iudicabat. Eius utilitatem soli intelligunt meliores Jurisprudentes, quique percipiunt, Jurisconsultorum, Consulium, Prætorum, Imperatorum, Præfectorum Urbi, Prætorio &c. aliaque ad historiam singularum legum pertinentia nomina quantum ad explicationem Digestorum & Codicis sint necessaria, quantum quoque ad detergendas quamplurimis veterum locis maculas, nominaque in iisdem restituenda, Pandectæ conducant. Nec alia mente magnus Cujacius *lib. XII Observat cap. 18*, nominum restituendorum inanem forsitan laborem esse, dixit, quam, ut rei difficultatem innueret, plusquam Cimmeriis tenebris involutæ, nec nisi per suspiciones & conjecturas extricandæ, quam & ipsi veteres, dum per festinationem hand raro cespitarunt, ac diversos nominum similitudine confuderunt, quam & mutata diversis temporibus nominum observatio, quamque demum librariorum oscitantia, magnæ obscuritatis causæ, difficillimam prorsus effecere. Sed has quantascunque obscuritates insigni conatu inter primos removit Antonius, quodque jam in *libro singulari de Familiis Romanorum*, & in *lib. III Emendationum Cap. 8* aggressus erat, in hoc opere perfecit, de cuius meditatione jam ab adolescente suscepta videndum *Emendat. lib. I Cap. 7*. Ipse vero primus omnino legum inscriptiones, ab aliis, Græcis & Latinis, omittas, plene ad *librum* usque *quingagesimum Pandectarum* descripsit: nam *Haloander* ultra *quartum & vigesimum Librum* eas, quippe a *Pelutiano & Bolognino* hucusque tantum notatas, non produxerat. Et ipse primus divino ingenio præstantes usus ex conjunctione fragmentorum percipiendos animadvertit: in quos postea, editis a *Tau-*
rellis ex Pandectæ Florentino capitam inscriptionibus, cum altius penetrasset *Cujacius*, atque legum inscriptiones & rubricas titulorum, *velut claves arcanis hujus sapientia referendis*, magnopere ac sedulo discipulis commendare plane consueisset; hinc factum, ut multi cum fructu in eadem palæstra sese exercerent,

Jaco.

Jacobus Labittus vero egregiam inprimis ac diligentem operam in *Indice* suo conficiendo navaret, autore & sualore *Cujacio*, ut ipse circa finem *Indicis* profiteretur. Sed hic idem *Labitti* pulcherrimus labor ab *Augustino* conspectus permovit, ut partem majoris operis seriniis suis elabi pateret, multo diligentius, ut in *Præfatione* scribit, quam ab eo, qui magna cum laude id cepit; quid singuli *JCti* scripserint, quibusvis in locis eorum mentio in *Digestis* fiat, exhibiturus. Idque summa cum gravitate præ se tulit. Cum enim *Labittus* ordinem *Indicis* manci, qui *Pandectis* *Florentinis* præpositus est, in serie *JCtorum* secutus fuerit; *Augustinus* temporis habuit rationem, quo singuli *JCti* floruerunt, quos, multis eorum capitibus & libris suppletis, aut emendatis, optimo ordine distributos stitit. Deinde ille tantum addidit loca ex *Codice Justiniano*, & *Institutionum* libris, *Novellis*que *Constitutionibus*, quæ ad nomina *JCtorum* pertinent; hic autem cetera quoque in rem suam vocavit *Jurisprudentiæ ante-Justinianæ* & *Historiæ Romanæ* monumenta, quæ *JCtorum* meminere, Græcosque adhibuit, qui vel *Justiniano* æquales, vel post eum *Constantinopoli* vixere, ac libris *Justiniani* nondum depravatis usi sunt. Adjecit demum, quod extra *Labitti* institutum erat, nomina propria *Regum*, *Consulum*, *Imperatorum*, *Legum*, *Virorum*, *Feminarum*, *Urbium* & *Provinciarum*, in *Pandectis* conscripta; eaque omnia notis eruditis illustravit. Sciendum autem, in hac *Augustini* editione notas, quæ olim ad calcem libri rejectæ erant, nunc justis locis ad finem paginarum extare, & quæ *JCtorum* meminere, utriusque *Codici*, *Institutionum* & *Basilicorum* capita, ex eadem appendice, uncinulis inclusa, singulis nunc subjecta, ceterum nihil mutatum esse, sive in orthographia *Pandectarum* veteri, sive in paragraphorum numeris, ex corpore *glossato* & *Charondæ* editione defunctis. Hæc hæcenus ex doctissima *Ottonis* enarratione excerpanda duximus. Pergit vero *Celeberrimus* hic *Antecessor*, & ad singula capita observat, quæ ab *Augustino* in notis minus accurate posita ostendit. Optime factum! ne tanti viri auctoritas, ut multis accidit, pluribus in futurum imponat, & quod solet, crescat observatio ex uno quondam male erepta, deinde secutis tradita temporibus, serisque nepo-

nepotibus aucta. Et hujus industriæ nonnulla delibabimus. In primo capite Augustinus nomina JCtorum, tam ex quorum scriptis constant Pandectæ, quam, qui in iisdem laudantur, recensuit; utrosque rursus in quatuor classes distinxit, ac typum successio- nis sectarum, *Sabinianorum & Proculianorum*, ex Pomponio dedit. At in scholis his discordibus describendis, *Emandus Merillius*, in vitis JCtorum *Rutilius*, *Bertrandus & Guil. Grotius*, *Menagius*, *Rupertus & Bynkershoekius* per multa luculentiora dixerunt, variaque docuerunt, ex quibus hoc opus emendari posset. Quando pag. 17 Augustinus notat, *Alfenus & Alphenus* in Pandectæ Florenti- no, sed sæpius per *F.* scribi: refellitur commentum *Torrentii*, ad *Horatii lib. I Sat. 3* arbitantis, *Alfenum patrio nomine primum dictum*, postea, cum clarior evasisset, *Alfinium appellatum esse*. Laudat hic *Celeb. Otto* conjecturas *Cl. Wachleri* nostri, in his *Actis A. 1711* propositas, easque libro singulari plenius se firmaturum spondet. Quando pag. 56 *Salvii Juliani* scripta enumerantur, quaestio succurrit, utrum a *Salvio* hoc interdium *Salvianum* no- men acceperit? idque cum Augustinus inferius pag. 331 affirmet, ipsi aliis consentientibus, negantibus aliis: ea res plane incerta videtur, quia gens *Salvia* plures Prætores & JCtos produxit: nam *Hadrianus Salvio Caro* rescripsit in *l. 14 ff. ad SC. Turpil. & Salvi- us Aristo Julianum* consuluit in *l. 6 ff. de legat. prest.* Cum pag. 67 ex libro *LXXXIV Digestorum Juliani* laudatur *l. 32 de legibus*, cu- jus inscriptionem ita ediderant *Taurellii*: id a mala manu est; nam in manuscripto Florentino *Julianus lib. LXXXIV* legi, idque se bene vidisse scribit *Cl. Laur. Tb. Gronovius*. Ita non opus est libro incerto, qui nonaginta *Digestorum* libris adjiciatur. Pag. 84 *Volusii Mæiani* prænomen ex *Capitolino* addendum *Lucius*. *Lam- pridio* metachtonismi crimen in *vita Alexandri cap. ult.* frustra impingitur: veteres membranæ *Mæiani* nomen ibi non agno- scunt. Pag. 104 miretur quis professionem ignorantæ, *Cajum* cur *Justinianus* nostrum appellaverit, nisi fortasse, quia is *Chri- stianus* fuerit, aut ejusdem nationis cum *Justiniano*. Videatur *lib. I Emendat. c. 5*, ubi recte docetur, *Cajum non multum post Sal- vium Juliani ætatem vixisse, qua & Sextus Pomponius fuit. Suum* Justiniano dictum, quod *Tribonianus* ejus operibus in conscri- bendis Institutionibus familiariter esset usus, verissima videtur ratio:

ratio: nam pari causa *Strabo & Seneca Zenona suum* vocarunt. *Pag. 139 Tertullianum* Ictum non alium esse a Patre & Scriptore Ecclesiastico, traditur. Sed contrarium apparet ex collatione vel *nnius l. 33 ff. de Testam. milit.* cum stilo tumente & pingui Presbyteri illius Carthaginensis. *Pag. 191 Hermogenianus* perperam inter *Alexandri* consiliarios & numerum discipulorum *Papiniani* refertur. Fons erroris interpolatus *Lampridii* locus. *Pag. 196 Q. Claudius Venulejus Saturninus* idem cum *Venulejo* videtur *Augustino*, qui duo rectius separantur in inscriptione *l. 15 & l. 16 ff. de pen. Claudius* sub *Pio & Divis* fratribus, *Venulejus* sub *Caracalla & Alexandro* florere. *Pag. 204 Tarruntenus Paternus* quo tempore vixerit, incertum dicitur. Sed is *Commodo* imperante fuit praefectus praetorio, estque propter malum consilium interemptus, *Lamprid. Commod. cap. 4. Pag. 214 Augustinus* historiam de *Servio Sulpicio*, ad studium juris Civilis converso per *Mucii* objurgationem, *Pomponio* dubiam reddit, a *Guil. Grotio* ea causa reprehensus. Duobus nititur argumentis: primo, quod & *Tullii & Servii* adolecentia non permittat credere, eos vivo *Scavola* primum in causis orandis locum obtinuisse: altero, quod *Servius* demum, postquam Rhodo reversus, ad Jurisprudentiam accesserit, atque in ea primus esse maluerit, quam in eloquentia secundus, *Cic. in Bruto, cap. 41.* Satis liquere videtur, nisi apud *Pomponium* per *obtineret* intelligas *obtineret potuisset*, quod *Grotius* legi jubet, narrationem ejus consistere non posse. Et vel hoc admisso inorsusior æquo est objurgatio *Scavole*, nec in ætatem *Servii*, ad summum viginti quinque annis tum consistentem, quadrare videtur. Sed quod *Augustinus* ab hoc *Servio* Icto nomen *Serviana Actionis* desumptum putat, secus videtur, propter *Ciceronis* locum *Orat. pro Muræna cap. 20.* qui docet, *Servii* sortem in Prætura non fuisse juris dicendi, quam omnes necessarii ei optarant, sed peculatus. *Pag. 244* quod *Cujacius* de *Fufidio* a se in lucem protracto dubitantes scripserat, forsitan hunc esse eundem, quem *Cicero* in aliquo patronorum numero fuisse ait, id *Augustinus* suum fecit. At utrumque in ætate *Fufidii* errasse, eumque toto seculo juniorem sub *Vespasiano* floruisse, *Grotius* ex *l. 5 ff. de auro arg. leg.* probavit. *Caput II Regum & Consulum nomina* complectitur, quibus *Romani annos suos ad annum usque Chri-*

Christi 54 designarunt. Et hic quoque e Fastorum commentariis varia aliter constitui possent. Ita *Pighius* monstravit, *SCtum*, cujus pag. 258 mentio fit ex *l. i ff. de Off. Quæst.* quod factum est *Decimo Druso & Porcina CSS.* referendum esse ad *D. Brutum & Æmiliam CSS.* Et sequens ibidem consulatus *Sulle & Trionis* ex *l. 12 pr. ff. de Accusat.* ad *Tiberii ævum* pertinet, *Memmiique Regulo Sulle Fulcinius Trio* collega assignandus, observante *Cujacio lib. VI c. 30. Capite III nomina Imperatorum, a Julio Cesare ad Alexandrum in Digestis perscripta,* proponuntur: in quibus latus processit *Freymonius*, atque in *Symphonia juris* ex Codice quoque Principum nomina adjecit. Brevis etiam hic & parvus *Augustinus* in notis. *Caput IV* exhibet nomina *Legum, SCtorum, Edictorum, Interdictorum, Decretorum & Actionum,* quæ à propriis nominibus deducuntur, aut aliam habent insignem appellationem. Facile apparet, magnam accessionem, emendationem atque illustrationem variam huic capiti afferri posse, tum ex libris singularibus doctissimorum Virorum, quibus singulas Leges, Plebiscita, *SCta* explicarunt, tum ex iis, quæ Critici atque *JCti* inter aliud agendum ad istas species juris Romani notarunt. *Capite V* sistuntur *Nomina propria certarum personarum,* partim *Scriptorum Veterum Græcorum & Latinorum;* partim *Deorum atque Herorum;* partim *Romanorum, atque Provincialium, sive aliorum;* ex quibus *servi a liberis, viri a mulieribus* distinguuntur. *Capite VI* sequuntur *ficta Nomina tam Romanorum civium, quam servorum ab JCtis usurpata,* quorum pars ad viros, pars ad feminas pertinet. *Caput VII* complectitur nomina *Provinciarum, Urbium, Montium, Fluminum, Oppidorum, Gentium, Familiarum, prædiorum & aliarum rerum;* *Capite VIII* aliorum nominum est *Silva,* eorum, quæ ad superiora commode referri nequiverit. Multum post *Petri Fabri* curas *Ægidio Menagio & Ampliff. Bykersbakio* debemus, qui singuli complura Magistratum aliorumque civium Romanorum nomina magis familiaria cognitaque nobis fecere, per multa quoque restituerunt. *Augustino* subjungitur *II Carolus Selvaghius,* Theologus, in studio olim Neapolitano publicus legum Professor, deinde in Romana cathedra *Mureti* successor. Ejus Autoris solæcismis & barbarismis repleti, sacco verò & sanguine destituti, *de origine, etymo, & præstan-*

ia Pandectarum, in l. 1 & 3 de Justitia & Jurisdictione, recitationes solennes non inferendæ videbantur huic egregiorum scriptorum corpori, nisi id dandum fuisset multorum desideriis. Et possumus ei tanto æquiori animo locum assignatum non invidere, cum vix octo folia occupaverit, Augustino vero solum ob argumenti propinquitatem successor sit datus. Quamvis enim is ordo librorum minime sit observatus, qui perpetua serie easdem materias quovis tomo silleret, cum singuli per se subsistant; ii tamen ut jungerentur, quos inter cognatio quædam est, ipsa res poposcit. Jam per jucunda vicissitudine sese offerunt III elegantissimi Jcti Genevensis, Jacobi Leclii de vita & scriptis Emili Papiniani, seu de officio Prudentum oratio; de vita & scriptis Domitii Ulpiani orationes duæ; ad Emilium Macrum de publicis Judiciis, liber unus; ad Modestinum de penis, liber unus. IV Sequitur acerrimum illud, quod Juris Conditoribus superiori seculo extitit, par defensorum, Jo. Chiffetius, Jctus Vefontinus, cujus Apologetica dissertatio de Juris utriusque Architectis, Justiniano, Triboniano, Gratiano & S. Raymundo, Antverpiæ 1657 lucem adspexerat; & Gabriel Trivorijs, J. C. Historiographus Regius, cujus Observatio apologetica ad Inscriptionem orationis ad Antecessores Digestis Justiniani præposita, adversus quosdam Jctos & Procopii Anecdota, Parisiis 1631 primum exierat. V Petri Burgii Electorum liber, quo varios juris locos illustrandi, conciliandi, sanandi ratio tentatur. Fructus hi sunt institutionis Cujacianæ, ut ipse profitetur. Huic vero editioni librum a mendis repurgando aptavit opera Joannis Balk, J. U. D. & Curix Frisix Advocati, qui idem & Perrenonii Animadversionibus præstitit. VI Christophari Coleri, Antecessoris Altorfini, Parergorum, ad varios Pandectarum & Institutionum Juris locos, liber singularis, in quo obiter etiam varii Scriptores aut emendantur, aut novè explicantur, satis notus atque commendatus humanitatis cultoribus. VII Gabrielis Vallii, Pictaviensis J. C. & in suprema Regni curia Advocati, libri singulares, ad L. Gallus, 29 ff. de liberis & postb. ad l. un. C. de sentent. qua pro eo, quod int. profer. ad l. in quartam, 91 ff. ad L. Falcid. & ad l. filium quem, 24 C. famil. hercis. VIII Petri Aveliani, Valesii, Jcti, aliquot loci bonorum Autorum restituti, vel aliter, quam vulgo intelligantur, explicati. Pluribus quidem scriptorum

ptorum Romanorum locis, quam juris nostri capitibus lux accenditur in his restitutionibus, aut medela affertur. IX *Nicolai Catharini*, Jcti Bituricensis, *observationum & conjecturarum liber*. Ad quinquaginta diversos Digestorum & utriusque Codicis textus conjecturas exhibet, quas in naturales & industriales fructus ingeniosè dividit. Illos vocat, quicquid ipsi sub manu scribentis enatum est; hos, quicquid observationum nactus est ope librorum Mstorum, vel autoritate Græcorum. Rarior hic libellus munus est Cl. *Abrahami Gronovii*. X *Joannis Stekii*, Jcti, Commissarii generalis Reip. Bernensis, *Observationes Anticriticae juris: seu, vindicationes legum a corruptelis Criticorum & neotericorum Interpretum*. Magno ausu hic Anticriticus in divinationes, correctiones *Revardi*, *Fabrorum*, *Cujacii*, *Gotbolfredi*, *Pacii*, *Hotomanni* aliorumque inquirat, ac plerumque lectionem consuetam defendit. XI *Detlevi Langebeckii*, Hamburgensis Jcti, *in leges aliquot perdifficiles & nondum satis intellectas, nova Annotationes*. Recensuit *Joachimus Cluten*. Fere cum solo *Accurso* ejusque scholares agitur huic observatori. XII *Petri Perrenonii Antimadverstonum & variarum lectionum Juris Civilis Libri duo*, Auctorum rituumque veterum ad illustrandas leges translatione & variis in historia Juris correctionibus insignes. XIII *Georgii Conradi Crusii*, Antecessoris Lugdunensis apud Batavos, *ex variis observationibus, quæ ad Jus Civile pertinent, Diatribæ, ex Juliani libro XXX Digestorum, de scriptura & sententia cap. si paterfamilias, 40 ff. de heredib. instit. accedit Dissertatio ex Ulpiani libro IV ad Edictum, de Pactis & conventionibus*. XIV *Ludovici Charonda*, Jcti & in supremo Francorum Senatu Advocati, *Περὶ τῶν, seu verisimilium, Libri tres*. In quibus multa Juris civilis loca doctè explicantur; atque nonnullorum, quæ invicem dissidere videbantur, erudita traditur conciliatio. *Ejusdem ad tit. de Verborum obligatione s. bolia, & de Jurisdictione & Imperio libellus*. XV *Murquardi Freberi*, Jcti, Palatinatus VII viralis olim Consiliarii, ac Dicasterii Aulici Propræsidis, *Περὶ τῶν, seu verisimilium Libri duo*. In quibus varia Juris civilis loca nove explicantur, emendantur, illustrantur. Est hoc opus, quod vivo Frehero sub uno *Περὶ τῶν* nomine exierat, dein vero posthu-

mun ac ob insignes accessiones ex schediasinatis Autoris adjectas pene novum editum opera *Joannis Boscb*, J. C. Norimbergensis, A. 1622. Tomum alterum futuris nundinis vernalibus præstolamur; eoque expeditius universum corpus poterit ad umbilicum perducì, cum jam in recensito Tomo rariora præ ceteris opuscula, & quæ diu necquicquam requisiverat Bibliopola, exceptis *Const. Landii Enarrationibus & Prætermiſſis*, sint inserta, cumque Eruditi de promovendo ornandoque opere profus inter se contendant.

ECLAIRCISSEMENS SUR L'ANALYSE

des infiniment petits.

hoc est,

DILUCIDATIONES ANALYSEOS INFINITE
parvorum; Autore VARIGNONIO, Membro Academiarum
Regiarum Scientiarum, Parisinæ, Londinensis & Be-
rolinensis, ac Professore Regio.

Parisiis, apud Rollinum, 1725, 4.

Plag. 16 Tabb. æn. 6.

CEL. *Varignonius*, Geometra primi ordinis, qui multum temporis in calculo differentiali consumsit, cum Analysin infinite parvam *Hospitalianum*, de qua alibi diximus in Actis nostris accurata & succelliva industria perlustraret, in calanum conjecit, quicquid ad eam ulterius perficiendam facere videbatur, novæ editioni, quam meditabatur, notas adjecturus. Has igitur notas sub Dilucidationum titulo solas in publicum profert editor, cum *Analysin Hospitaliana* iteratis jam vicibus lucem adspexerit. Plurimum autem eadem differunt a Commentario *Croſæ* in eandem Analysin, cujus in his Actis Suppl. Tom. VIII Sect. 6 p. 262 mentionem fecimus. Neque enim solum cum *Croſa* id agit, ut tyronibus calculum magis expeditum reddat; sed plurima addit Geometra tanti nominis digna. Præter explicationes locorum difficiliorum Analyseos ibidem reperies propositiones novas, problemata ab *Hospitalianis* diversa, regulas, constructiones & methodos differentes a *Varignonio* detectas. Inprimis ea demonstrat, quæ ab Autore Analyseos sine demonstratione sumuntur, & quo-

rum

rum demonstrationem supplere non est cujusvis. Addit quoque passim de argumentis, quæ Autor Analyseos pertractat, ab aliis summis Geometris, *Leibnitio* præsertim atque *Bernoulliis*, reperia, quorum pars ex his Actis desumpta & uberius illustrata. Presso pede sequitur Autorem Analyseos, ut adeo de argumento operis distinctius quædam recenseri, minime sit opus. Coronidis loco adjicitur dissertatio de calculo exponentiali Latino idiomate conscripta, in qua ea ad faciliorem intelligentiam proponuntur, quæ *Leibnitius* atque *Joannes Bernoulli* de hoc calculo dedere in his Actis, & dubia solvuntur, quæ *Bernhardus Nieuwentijt* contra eundem moverat. Adjicitur præterea scholion idiomate Gallico, quod, quæ *Bernoullius* in his Actis A. 1697 p. 125 & seqq. de hoc calculo dedit, jam ante proprio Marte affecutus fuerit & in Diarium suum retulerit A. 1695, occasione eorum, quæ *Leibnitius* in his Actis A. 1695 *Nieuwentijt* respondit. Methodus tangentium curvarum exponentialium, qua calculus illustratur, idiomate Gallico conscriptus; cui jungitur methodus altera investigandi exponentes potentiarum incognitos, reducendo nempe æquationes ad Logarithmicas, v. gr. $c^x = ab^{x-1}$ ad alteram $xlc = (x-1)(a+lb)$; quod nihil difficultatis habet.

RECREATIONS MATHEMATIQUES

& Physiques &c.

hoc est,

RECREATIONES MATHEMATICÆ ET

Physicæ; Autore OZANAMO, Academia Regiæ Scientiarum Membro & Mathematicos Professore.

Tomi IV.

Parisii, apud Claudium Jombertum, 1725, 8 maj.

Alph. 5 pl. 6 Tabb. æn. 132.

Recreationes Mathematicæ & Physicæ *Ozanami*, Cursu & Lexico Mathematico atque Tractatu de lineis primi generis, locis Geometricis & constructione æquationum editis clari, problemata Mathematica & Physica continent, quæ oblectant, qua-

Ea

lia in opere Germanico ejusdem rubri olim apud nos dedit *Sven-
terus*, Matheseos Professor *Altorsinus*, & ejus continuator *Harr-
darfferus*. Editio nova, quam hic sistimus, non modo quarto
volumine integro aucta, verum & in Tomis tribus prioribus ali-
quot accessionibus locupletata. Tomo primo continentur pro-
blemata arithmetica, geometrica, musica & optica. In problema-
tibus arithmetice exponitur modus additionis mercatoribus in
designando mercium pretio usitatus, compendiosa multiplicatio
& divisio, sed quæ non accedit ad perfectionem *Ludolfina* a *Wolffo*
in Elementis Matheseos explicatæ; inventio numerorum perfe-
ctorum; & omnium divisorum numeri dati; determinatio tri-
anguli rectanguli in numeris rationalibus integris; usus progres-
sionis geometricæ & arithmeticæ in solvendis variis problemati-
bus particularibus; formatio quadratorum magicorum; usus tri-
anguli arithmetici in combinationibus, permutationibus & in lu-
dis; divinatio numerorum, quos alter mente concepit; ut alia
problemata particularia complura silentio prætereamus. Proble-
mata geometrica ad Geometriam practicam in charta exercen-
dam spectant. Eminent inter ea, quæ sunt de circuloꝝ conta-
ctu. Pauca quædam geodætica adjiciuntur, eaque vulgarja. Pro-
blemata musica perpauca sunt eaque fundamentalia. Optica alia
pertinent ad Opticam directam, alia ad Catoptricam, alia deni-
que ad Dioptricam. In illis continentur paralipomena nonnulla
ad Tractatum de Perspectiva, quem Cursui Mathematico infe-
ruit: quoniam vero ex eodem exulant Catoptrica & Dioptrica,
ideo phænomena speculorum planorum, cylindricorum, sphæ-
ricorum, itemque vitrorum convexorum, concavorum & me-
niscorum hic explicat Autor & machinas quasdam curiosas cato-
ptrico-dioptricas una cum camera obscura, laterna magica, tele-
scopiis & microscopiis describit. Omittit & demonstrationem
& passim lectorem ad *Wolffii* Elementa Matheseos universæ able-
gat. Colophonem imponit Tomo primo Perspectiva curiosa, in
qua anamorphoses imaginum ope speculorum perficiendæ de-
scribuntur. Tomus secundus continet problemata gnomonica,
cosmographica & mechanica. Inter gnomonica eminent descri-
ptio horologii regularis nonnisi duabus circuli aperturis, immo
nonnisi

nonnisi unica absolvenda constructio quadrantis gnomonici portatilis; descriptio horologiorum horizontalium universalium ellipticorum, hyperbolicorum, parabolicorum; constructio horologii lunaris & machinæ ope Lunæ splendentis horam nocturnam determinandi, horologiorum item catoptricorum & dioptricorum, cylindricorum & sphericorum, imprimis autem horologii universalis, a quo hora quæcunque diurna atque nocturna indicatur, quod *Eustachius Pecours* invenit. Demonstrat etiam analemma rectilineum universale *Milliet de Chales*, quod horas & altitudines Solis indicat ejusque usum explanat. Problemata cosmographica vel astronomica sunt, vel geographica, vel chronologica. Explicatur modus inveniendi locorum longitudinem; clima, in quo locus datæ longitudinis situs; quantitatem gradus in parallelo dato; peripheriam, diametrum, superficiem & soliditatem terræ, juxta recentissima Gallorum inventa; distantiam locorum datæ longitudinis & latitudinis una cum modo describendi loxodromiam. Explicantur problemata ad Calendariographiam spectantia, veluti de discernendis annis bissextilibus a communibus; de inveniendis numero aureo atque epactis, ætate Lunæ, plenilunii & novilunii eclipsicis (ubi quoque describitur constructio instrumenti, quod in hunc usum invenit *Philippus de la Hire*) Cyclo Solis & litera dominicali; de distinguendis feriis hebdomadis, determinando paschate cum festis mobilibus in anno dato, & feria prima cujusvis mensis, investigandis indicatione Romana & numero periodi Julianæ pro anno dato, itemque periodi Dionysianæ pro eodem anno, loco etiam Solis atque Lunæ, una cum tempore, quo Luna per noctem splendet. Docetur etiam usus calendarii Romani & modus determinandi tempus fluxus & refluxus maris in dato portu. Solvuntur adhuc alia problemata geographica de illuminatione telluris, quæ ex cursu Mathematico R. P. *de Chales* huc transferuntur. Annotantur nonnulla, quæ de stellis & utroque luminari observata sunt, ubi planetarum magnitudines, distantia & periodi definiuntur. Ultimo loco agitur de themate cœlesti erigendo. Problemata mechanica vel sunt statica, vel aerometrica, vel hydrostatica, vel hydraulica. Quoniam mechanicæ disciplinæ multam in vita utilita-

tem habent, utile miscetur dulci. Docetur inter alia constructio libræ portatilis in Germania inventæ ope elateris tensi pondus determinantis: cui gemina jungitur alterius structuræ ab Architecto militari Gallo *Chapototio* inventa, una cum libra *Cassintana* structuræ admodum simplicis, quæ non modo quantitatem, sed & pretium mercis determinat. Describitur structura & usus barometrorum, tam simplicium, quam compositorum, atque thermometri *Florentini*; siphon communis & diabetes; modus navigium submersum extrahendi, gravitatem unius pedis cubici aquæ determinandi, currum sine equis promovendi, gravitatem specificam aquarum examinandi, vires vectis ad calculum revocandi, pondus metalli absque libra investigandi, altitudinem aquæ corpore solido immerso ascendenti inveniendi, machinam construendi, quæ plagam venti in conclavi monstrat, fontes item intermittentes, fontem *Heronis* & salientes ceteros, qui in elementis Hydraulicæ explicari solent. Describitur quoque horologium valde simplex, unico tympano in cellulas intra divisum & motu aquæ vel alterius liquidi intus conclusi perpendiculariter, sed lente admodum descendente constans. Transferuntur denique huc alia curiosa ex Tractatu de viribus motricibus. In Tomo tertio primo loco comparent problemata pyrotechnica de ignibus artificialibus cum festivis, tum nocivis. Sequuntur problemata physica miscellanea Mathesi partim agnata, partim nihil cum ea affine habentia. Nullas Autor addit rationes; sed eas Physicis investigandas relinquit. Agit inter alia de telescopiis & observationibus telescopicis planetarum, de tuba stentoreophonica, de congelatione artificiali, de vitro caustico *Tschirnhusiano*, cujus diameter pedum trium Rhenanorum, pondus 160 librarum, de *Æolipila*, de lachrymis vitreis, de metalli lamina tenui aquis innatante, de aqua forti & regia atque oleo vitrioli & oleo Tartari per deliquium, de pulvere & auro fulminante, pulvere & unguento sympathetico, de origine fontium & rivulorum, de fontibus, metallis & gazis sub terra delitescens detegendis, de hygrometris, de phosphoris, de atramentis sympatheticis, de magnete, de transpiratione insensibili corporis humani, de terræ motu artificiali, de generatione plantarum earumque directione ac mo-

tu. Describit etiam novum antliæ genus, quæ continuo aquam evomit, dum embolus agitur. Sub finem problematum physicorum monet, se dedisse has Recreationes Physicas & Mathematicas, ut sint supplementum Cursus Mathematici. Alteram Tomi tertii partem constituit Tractatus de horologiis elementaribus. Ejus Autor est *Dominicus Martinelli*, Spoletano-Italus, qui eundem idiomate patrio Venetiis A. 1663 edidit. Noster eum in idioma Gallicum transtulit. Describuntur in eodem non modo varia clepsydram genera, verum etiam diversi generis horologia, quæ sabulo, aere & igne animantur. Ultimus tandem Tomus continet Tractatum de phosphoris naturalibus & artificialibus, & lucernis inextinguibilibus. Libro primo de phosphoris naturalibus differitur. Postquam varia de igne ex historia tam sacra quam profana gentium fuerunt recensita & luminis pulchritudo atque excellentia commendata, ipsique natura inexplicabilis vindicata, inter phosphoros naturales primus locus tribuitur Soli. Sequuntur meteora ignita, cum fulgure atque tonitru, montes ignivomi & adamas in tenebris lucens. Tandem in hunc censum referuntur plantæ & ligna putrida, quæ in tenebris lucent, lampyrides sive cicindelæ, cucujus sive musca lucens in America, pisces in tenebris lucentes & mare luminosum, caro animalium in tenebris lucentes, aves & homines luminosi. Inter phosphoros artificiales libro secundo comparet lapis *Bononiensis*, phosphorus *Kunckelii*, cujus præparatio docetur juxta methodum *Boyleanam* & *Homburgianam*, diversa phosphorum experimenta ab *Homburgio* instituta, novus phosphorus *Homburgii* in Commentariis Acad. Reg. Scient. A. 1693 descriptus, varii phosphori liquidi, novus phosphorus *Lyonnetii* ex facibus alvi præparatus, nophtha, phosphorus *Baldunii*, phosphorus vitreus *Nugueti*, quem vocat *Noster*, coincidens cum experimento *Hauksbeji*, Angli, quo lumen affricu globi evacuati & celeriter rotati atque digiti leniter applicati producitur, phosphorusque Mercurialis *Bernoullii*. Libro denique tertio de lucernis inextinguibilibus in medium proferuntur, quæ antiquorum historicorum fide nituntur, veluti de lucernis ejus generis templorum, de sepulchralibus, tam de iis quas recte domesticas dixeris, itemque *Cassiodori*.

dori. Recensentur Auctores, qui lucernas sepulchrales inextinguibiles inter aniles fabulas retulerunt, eorumque objectiones sub incudem revocantur, nec non illi, qui earundem impossibilitatem adstruxerunt. Noster tamen possibilitatem omnino adstruit, & de arbesto prolixè disserit. Totus hic tractatus, multa eruditione conscriptus, multam Auctoris in hoc genere lectionem arguit. Describuntur quoque hinc inde varia experimenta chymica & appendicis loco arcana agyrtarum revelantur.

**INSTRUMENTA METEOROGNOSIÆ IN-
servientia, quorū Constructio in plurimis correctā &
accuratior adornanda, defectus corrigibiles & incorrigi-
biles, situs commodus atque usus succinctè traduntur. Ac-
cedunt hyetostathmica duo & exatmoscopium noviter in-
venta, nec non meditationes de mensura quadam univer-
sali eruditissimè propria, quorum examini atque iudicio
hæc omnia submittit JOH. GEORGIUS
LEUTMANNUS, P. D.**

Wittenbergæ, sumptibus B. Godofr. Zimmermanni Vid. 1725, 8.
Plag. 13 Tabb. æn. 11.

CUM Cl. Auctor in his Actis legisset invitationem Cel. *Jurini*, illustrissimæ Societatis Regiæ Britannicæ Secretarii, ad observationes meteorologicas communi consilio instituendas, non ingratum fore judicavit, si ad eas requisita instrumenta curatius describeret: etenim in mechanica practica hætenus cum laude versatus est, qua de re specimina in his Actis recensuimus. Describit igitur Noster thermoscopium, baroscopium, hygrosco-
pium, anemometrum, plagoscopium, hyetometrum, instrumen-
tum hyetostathmicum, & exatmoscopium, quod vocat, sive eva-
poratorium. Thermoscopium *Florentinum* ceteris omnibus præ-
fert, in quo spheræ diameter 2 digitorum, canalis altitudo 3 pe-
dum, amplitudo ejusdem $1\frac{1}{2}$ linearum. Spiritum vini destilla-
tione rectificatum cineribus clavellatis dephlegmatizari jubet,
addita semilibra duabus libris spiritus. In usum observationum
meteo-

météorologicarum non opus est baroscopio lucido: docet tamen una Noster, quomodo lucentia conficiantur. Contendit vero, barometrum non lucere, cujus vacuum ab omni aere immune est: illico autem lucidum fieri, si bullula aerea intronmittatur, sive Mercurius impurus fuerit, sive purgatus, etsi non diffiteatur, in casu priori lucis minorem esse vividitatem. In usum hygroscopii commendat frustum chordæ maximæ, quæ testudini supertenditur, liquori immersum, qui ex cineribus clavellatis in cella humida exstillavit, vel oleo Tartari per deliquium, per duos tresve dies. Quod A. 1708 hac arte paraverat, anno 1718 adhuc vegetum amico cuidam donavit. Quoniam anemometrum *Wolfianum* a leviori vento non dirigitur adversus ventum; ideo aliud sublituit, cujus alæ sunt horizontales a vento impellendæ, ex quæcunque tandem plaga veniat. Ejus ideam materialem cum Cl. *Wolfo* communicavit, ipsius de illo judicium exploraturus. Plagoscopium nihil difficultatis habet. Hyetometrum ad mensurandum pondus aquæ pluvix decidentis ita construi jubet. Fiat infundibulum stanneum quadratum, cujus latera exacte pedem æquent. Orificium inferius desinat in canalem conicum contractum, qui in imo perforatus foraminulo pisi magnitudinem non excedente. Huic applicetur canalis vitreus 2 vel 3 digitos amplus, 2 vel 3 pedes longus, ita ut alterum conicum arte complectatur. In fine aptetur gracilescenti epistomium, & extremum 3 circiter vel 4 linearum immittatur tubo alteri vitreo 4 vel 5 lineas amplo, 2 vel 3 pedes longo, ac in fine itidem epistomio instructo. Canalis vitreus major experimentalis modo dividatur in partes singulis aquæ pluvialis libris, minor autem in partes semunciis respondentes. Totum hyetometrum includitur turri lapideæ, ut hieme calor ope fornacis, quem pigrum Henricum (*den faulen Schein*) chymici appellant, conservari possit nivis liquandæ gratia. Hyetostathenicum instrumentum idem est cum areometro, quo in determinanda gravitate specifica fluidorum utimur. Exatmoscopium denique est instrumentum, quo quantitas exhalationis aquarum determinatur. Lanceam stanneam pedem vel dimidium quadratum amplam suspendi jubet ad libram *Perraulsinam*, queinadmodum spongia in hygrometris appendi so-

let, infusis quatuor aquæ libris & ad æquilibrium cum pondere ex altera parte appensi reductis. Divisio arcus circularis, in quo lingula monstrat defectus aquæ, modo experimentaliter absolvitur. Pro mensura universali commendat Noster differentiam altitudinum Mercurii in barometro, quam sumi jubet pro mensura duorum pedum.

Magdeburgisches Jubel-Jahr.

i. e.

MNEMOSYNON JUBILÆI EVANGELICI
Magdeburgensis secundi.

Magdeburgi, typis Christ. Lebrecht Fabri, 1735, 4.

Alph. 3 pl. 1.

Purioris doctrinæ evangelicæ, sæculo post natum Redemptorem mundi decimo sexto ineunte, feliciter restitutæ, sacrorumque a cultu idololatræ & superstitionis repurgatorum, memoriam sæcularem universa ecclesia Lutherana cum júbilo celebravit anno hujus sæculi decimo septimo, quippe quo duo ante sæcula dudum exoptatæ reformationis opus initium cepit. Quemadmodum vero reformatio non omnibus locis simul, & uno eodemque anno instituta est, sed lumen evangelii, quod subinde clarius effulsit, unam post alteram civitatem illustravit: ita suam quæque civitas in lucis evangelicæ subortæ memoriam, nulla ætate oblivioni tradendam, jubilæum merito celebrat, & hujus beneficii divini magnitudinem lætæ grataque mente recolit. Quæ in recipiendis purioribus sacris non postrema fuit, eademque varios inter casus & discrimina rerum constanter retinuit, incluta urbs Magdeburgum aliis jam hujus pietatis exemplum dedit, & permissu Sereniss. ac Potent. Regis Borussia & Electoris Brandenburgici, Domini sui clementissimi, jussuque magistratus civilis, præsentibus omnibus & singulis reverendi Ministerii membris, anni hujus sæculi vicesimi quarti Domini, XX post Trinit. die 5 Novembr. publicas solennesque supremo Numini gratias egit. Cujus festivitatis memoria ut ad posterum transeat, reveren-

dura

dum Ministerium Palæo-Magdeburg. mnemosynon hoc extare voluit, & consiciendum ac imprimendum curavit, omnibus, qui hodie magistratu in hac civitate funguntur, inscriptum. Primum ergo in hoc opere locum occupat rerum ecclesiasticarum Magdeburgi ab initio Reformationis, A. 1524, ad præsentem usque ætatem gestarum historia, quam Max. Reverendus *M. Jo. Jul. Struvius*, Pastor Joanneus, Ministerii Subsenior, sacri Synædrii, quod Magdeburgi est, Assessor & Scholarcha, duobus ex Collegarum numero, *Bartholdo Dan. Meybringio*, & *M. Fr. Gottlieb Kettnero* opitulantibus, concinnavit. Hanc excipiunt conciones, ab omnibus ministerii membris, die solennibus sacris destinato habitæ, & juxta ordinem templorum dispositæ, excepta Merckii, qui exorari non potuit, ut concionem suam operi huic inseri pateretur. Argumentum hisce concionibus suppeditarunt duo Apostoli Pauli monita Col. I, 12, 13, 14 & Eph. V, 8, 9, quorum illud horis antemeridianis, hoc vero pomeridianis expolitum est; ubi notandum, Max. Rev. Struvium concioni suæ jubileæ a'iam adjecisse, Dom. VI post Trin. ejusdem anni habitam; in memoriam concionis Lutheri, quam A. 1524 Magdeburgi in æde sacra Joanea habuit de discrimine justitiæ Pharisaicæ & Evangelicæ: porro *M. Seb. Henr. Calvisi* concionem jubileam, seorsim jam typis descriptam, in hoc opere denuo reliquis adjunctam esse: & denique *M. Fr. Gottl. Kettnerum* in concione matutina, quam solus habuit, sibi explicandum sumsisse textum ex cantico Mariæ Luc. I, 48-50. In singulis concionibus veritas evangelica, eandemque agnoscentium officia pro *χαρισμάτων*, quæ cuivis dedit divina benignitas, ratione & mensura, bene & perspicue demonstrantur ac inculcantur. Conciones sequuntur programmata, tria *M. Godofr. Bergneri*, Gymnasii Magdeb. Rectoris, latino, & duo *Samuelis Waltheri*, Con-Rectoris, vernaculo sermone conscripta, in quibus etiam historia reformationis & anni hujus sæcularis secundi Magdeburgensis collustratur. Agmen tandem claudunt acta hujus Jubilæi publica, ex quibus apparet, qua ratione festivitas hæc sit præcepta, instituta, & hymnis, precibus ac cantilenis musicis celebrata.

Ex historica præfatione de rebus in ecclesia Parthenopolitana gestis,

gestis, non solum Illustris Seckendorffii historia Lutheranismi, quatenus ad hanc civitatem spectat, illustrari; sed etiam, qualis in subsequente ætate ecclesiæ Magdeburgicæ, variis motibus externis internisque, obsidionibus & controversiis agitatæ, facies fuerit, qualisve hodie sit, haud obscure cognosci potest. Hæc civitas, quæ ob templorum, cœnobiortum & reliquiarum copiam *parva Roma* dicta fuit, etiam ante reformationem testibus veritatis non caruit, inter quos eminent Ernestus Archiepiscopus, qui Halæ 1513 in sola meriti Christi apprehensione obdormivit, D. Andreas Proles, Jo. Scheyringius, & M. Andreas Rauxdorffius, qui, evangelica veritate ex verbo Dei agnita, merita operum & cultus idololatrici abominationem publice sunt detestati. Opere vero reformationis a B. Luthero Wittebergæ ore & scriptis feliciter incepto, Jo. Fritschius (vulgo *Frisshans* dictus) monachus Franciscanorum ordini adscriptus, Melchior Miritius, Theol. D. & monachus ex ordine Augustinianorum, & Eberhardus Widensee, Theol. D. sua ætate magni nominis, cum aliis nonnullis Magdeburgi fermento Papislico se opposuerunt, quorum opera & studio, magistratu publica auctoritate non minus quam consiliis suppetias ferente, reformatio Magdeburgica A. 1524 cœpta est, quæ, Nicolao Amsdorfio primo Superintendente ecclesiarum Magdeburgicarum rite constituto, magis magisque est absoluta. Tunc Agenda ecclesiastica sunt composita: tunc schola publica aperta, in qua post Gregorium Wilichium Casparus Cruciger & Georgius Major Rectoratum ornarunt: tunc cœnobita & templa, illis, qui ab institutis Pontificiorum recedere volebant, ex urbe emigrantibus, sacris evangelicorum inservierunt. Hoc nomine accusata civitas, A. 1530 in fœdus Smalcaldicum recepta, & Archiepiscopo Alberto, a quo A. 1540 liberum religionis Augustanæ Confessionis exercitium redemerat, A. 1545 vivis erepto, A. 1547 proscripta, & scriptis adversus Interim in ea impressis, A. 1550 obsidione propter religionem cincta, & A. 1551 Electori Mauritio sese dedere coacta fuit. Quæ tum temporis inter Consiliarios Electorales & Ministerium Palæopolitanum acta fuerunt, prolixè satis recensentur. Libero autem religionis evangelicæ exercitio pace publica sancito, Centuriæ prodierunt Magdeburgicæ,

p. 14.

16.

30.

23.

31.

32.

33.

57.

57.

65.

burgicæ, quarum historia strictim delibatur. Ortis deinde con-
 troversis adiaphoristicis aliisque, Præfulis munere apud Magde-
 burgenses functus est Tilemannus Heshufius, qui ultimus fuit
 Superintendentens Magdeburgicus, cujus acta & fata Magdeburgen-
 sia an absque partium studio referantur, dum nimius ejus ze-
 lus aperte accusatur, magistratus vero & inimicorum ejus
 facta approbantur, alii judicent; minimum Leuckfeldii historia
 Heshufiana conferenda fuisset. Sub Sigismundo Archiepiscopo
 reformatio illustriora cepit incrementa, & sub Joachimo Fride-
 rico, e sede Archiepiscopali per XXXII annos ornata ad Electora-
 lem dignitatem evector, qui merito Josias Magdeburgicus appel-
 latur, est consummata; templo cathedrali etiam sacris purioribus
 dicato. Eodem tempore Petrus Ulnerus, Abbas Bergenfis S.
 Montis Parthenopolitani eadem adoptavit sacra, & postea Theo-
 logis ad Formulam Concordiæ publica autoritate perlustrandam
 convocatis omnem præstitit operam. A. 1591 monasterium B. M.
 V. quoque sacris evangelicis initiatum est a D. Sigfr. Sacco, qui
 festo annunciationis Mariæ primam eamque solennem in illo ha-
 buit concionem evangelicam. Quæ sæculo decimo septimo con-
 tingerunt, paulo adstrictius enumerantur. Incendii, quod A. 1613
 Dom. Misericord. Domini haud exiguam urbis hujus partem in
 cineres redegit, & in cujus memoriam Reinhardus Backius tres
 conciones sub titulo: *Tabernaculum Magdeburgensium*, & Aaron Bur-
 chard VI conciones in Pl. CXXI edidit, dum mentio fit, hunc
 ipsum tractatum incendio ægre ereptum esse, refertur, d. 7 Mart.
 A. 1725 prope typographi domicilium exorto. Quæ de M. Andreæ
 Crameri, non, uti Godofredus Arnoldus (cujus fides historica in
 hac relatione passim in dubium vocatur & infringitur) perhibet,
 ab officio remoti, sed post desolationem hujus urbis Superinten-
 dentis Mulhusini constituti, vita & fati, præsertim de ejus con-
 troversia cum Evenio & alijs de habitu theologiæ, utrum in non
 renatum cadat, nec ne? cujus memoriam sæcularém D. Jo. Guil.
 Janus A. 1722 edidit; de scriptis ejus eristicis Jacobo Martini op-
 positis; de reliquijs S. Norberti; de urbe desolata & restaurata;
 & denique de controversia inter D. Jo. Böttcherum & M. Hiero-
 nimum Siëvert aliosque de moderazione theologica mota ac

p. 68.

71.

84.

85.

93.

96.

97.

100.

102.

112.

113.

119.

129.

ventilata, in medium proferuntur, curioso & harum rerum perito lectori expendenda relinquimus, inclutæ Parthenopoli jubila perennantia apphecantes.

HIEROPHYTICON SIVE COMMENTARIUS
in loca Scripturæ Sacræ, quæ plantarum faciunt mentionem, distinctus in duas Partes, quarum prior de arboribus, posterior de herbis dicta complectitur, Autore MATTHÆO HILLERO, Sereniss. Wirt. Ducis Consiliario, & Abbate Regiofontano. Accedit Præfatio SALOM. PFISTERI, continens Autoris Vitam, merita & libros.

Trajecti ad Rhenum, apud Jac. Broedelet, 1725, 4.

Alph. 4. pl. 12 $\frac{1}{2}$.

MAGNUM est Hilleri nomen inter sacros Philologos, ac merito magnum. Ex quo enim illustre illud opus edidit de *Ketib & Keri*, quod A. 1693 p. 425 recensuimus, nihil magis curæ ipsi fuit, quam ut gloriam isto opere collectam conservaret augetetque. Id effecit aliorum librorum summa diligentia elaboratorum editione, e quibus in *Acta* hæc retulimus *librum de XII gemmis in pectorali Pontificis* A. 1699 p. 278, *Onomasticum sacrum* A. 1707 p. 262 & *Institutiones linguae Hebr.* A. 1711 p. 453. Laudabilem proinde operam navasse censendus est Cl. Pfisterus, Cœnobii Bebenhusani Professor, Hilleri gener, dum de vita ejus & scriptis præmisit Præfationem, e qua repetemus potiora. Natus est Hillerus Stutgardiz, quæ metropolis est Wirtembergiz, A. 1646 d. 15 Febr. familia nobilissima. In Acad. Tubing. A. 1669 Magisterii Philosophici insignibus decoratus, totum se dedit sacre Philologiæ, ac primum *Sciagraphiam Grammaticam Hebrææ* A. 1674 edidit. Postquam pluribus in Ecclesiis concionatoris munere laudabiliter functus erat, A. 1685 Musis fuit redditus, constitutusque Bebenhusani Cœnobii Præceptor Professorque. Hic præter *librum hymnorum sacrorum Germanicorum*, notis auctum, edidit *Lexicon Latino-Hebraicum* A. 1685.

Postea

Postea vero, quam in Acad. Tubing. A. 1692 Professor factus est Logicæ, Metaphysicæ & Hebr. linguæ, ac deinceps Theologiæ, multo acriori concitatus stimulo tantum operæ navavit sacris literis, ut non solum libros supra laudatos emitteret, sed etiam *Syntagmata Hermeneutica A. 1711* ac multas Dissertationes Academicas. A. 1716 factus est Abbas Regiofontanus, quo in secessu non solum *Hierophyticon*, quod in manibus habemus, composuit, sed etiam *Isodivana Scriptura sacra*, & *Commentarium in Hieronymum de locis Hebraicis*: quorum operum posterius nondum ad umbilicum perductum est, alterum prorsus perfectum, ut prelum subire paratum sit, proditurum proxime sub titulo *Tthesauri lingue sanctæ Hermeneut.* Tertio die Februarii A. 1725 admodum senex e vita discessit, non intra templum, quippe quod fieri vetuit, sed juxta parietem ejus sepultus.

Accedimus nunc ad *Hierophyticon* nostrum, quo ipso titulo Autor imitationem Bocharti professus est. Priori igitur ejus libro, postquam haud perfunctorie præfatus est de arborum natura & partibus, singulas in sacro codice commemoratas persequitur. Nostrum est, speciminis loco insigniora excerpere. *Cap. XIII* per *Almuggim*, quorum mentio fit *2 Paralip. II, 8*, in tanto Philologorum dissensu, generatim capiendas censet arbores gummiferas & resiniferas ex Libano & India allatas. *Cap. XV* de *palma* disputat; & quicquid huc pertinet, etiam allegoricos sensus, copiose exponit. *Cap. XVII* commemorans ficum a Christo maledictam *Matth. XXI, 19* & *Marci XI, 13*, ad Judæorum quæstionem, cur Christus execratus sit arborem eo tempore non ferentem fructus, quo nondum erat tempus ficum, respondens, Lightfooti & Cocceji subscribit sententiæ. *Ibidem p. 163* occasione loci *Jesaja XXXIV, 4*, ubi in vaticinio de Edomi interitu cæli dicuntur caluri esse tanquam fructus e ficu, per Edomum capiens Antichristum Apocalypticum, numerum bestię 666 *Apoc. XIII, 18* nova ratione interpretatur. Antichristus, inquit, est Edom sive Rusus *Gen. XXV, 25, 30*, אֶדוֹם אֶדוֹם, quæ literæ per gematriam numerum bestię complectuntur. ☐ enim finale 600 denotat, reliquæ in summam collectæ literæ 66. *Job est paragogicum.* Nimirum rubet Antichristus a sanctorum sanguine,

Apoc. VII, 6, XIII, 7, XVIII, 24. De olea agens *Cap. XIX*, delatus ad locum *Judic. XV, 4, 5*, ubi Samsōn memoratur succendisse oliveta Philistæorum facibus inter caudas vulpium ligatis, Observatorem Halensem, qui locum istum de trecentis straminis manipulis interpretatus est, accuratissime confutat. *Cap. XX* oleum sacrum ejusque confectionem considerat, illamque questionem, quomodo cum libris duodecim olei possit ex libris 62 semis oleum seu unguentum fieri liquidum, resolvit, duce Wedelio. *Cap. XXIV p. 244 sqq.* eruditissimum exhibet de vino myrrhato Servatori oblato commentarium, ac Matthæum cum Marco conciliat, universa tamen mutuatus, ut ingenue *p. 249* fatetur, ex Henr. Mulleri, Theologi Rostochiensis, *Jesu patienti. Cap. XXVII* totò *Dudaim* suæ subjicit contemplationi, allatisque ac pariter confutatis tot aliorum opinionibus, docet, per vocabulum illud signari *cerasa*, idque mathematica methodo demonstrat per propositiones & conclusiones. *Cap. LXI p. 479 sqq.* difficillimum illum locum *Psalmi LVIII, 10*, rejectis aliorum, quas adducit, versionibus, hunc in modum interpretatur: *Antequam funesta consilia sua coxerint malefici, ut tardius seriusque, ita temporis ac celerius nociturum alterum cum altero in ipso scelerum conatu ex improviso velut turbine dissipabit ac disjiciet Deus.* Sufficiant hæc ex libro priore hujus *Hierophytici* ad intelligendum, quot quamque obscuris locis sacri codicis in eo lux inferatur liquidissima. Nobis enim non licet esse longioribus, alias libenter commemoraturis, quam docte hic disputetur de cedro, balsamo, cassia, spinarum generibus, *kikajon* Jonæ, ebeno, aliisque quamplurimis.

Ad posteriorem librum descendimus, *Herbarum* in sacro codice commemoratarum contemplationi dicatum. Quantum & in hoc insit boni, hinc discas licet. *Cap. III* de *lilio* agens, *Schofchannim*, quæ vox in titulo *Psalmi XLV* exstat, reddit *lilia*, putatque cum Abenefra, *Schofchannim* fuisse initium poeinatis cujusdam, ad cujus melodiam ille psalmus canendus erat. *Cap. VIII* de *hyssopo* differens; initio ejus vocabuli etymologiam considerat, rejectaque *μαραδέξως* eorum sententia, qui ab Hebr. **מֵרֶקֶט** deducunt Græcum *ῥοσάρον*, aliam substituit. Hinc locum

pro-

profert *1 Reg. IV, 43: Elocutus est Salomo de plantis, a cedro Libani usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete.* Jam, hyssopum ex muro vel pariete nasci, nemini unquam observatum est. Hinc Cl. Autor, recordans Hebræorum ב sæpius etiam AD significare, locum istum tot hæcenus vexatum dubiis hoc modo interpretatur: *Differuit Salomo de plantis a cedro Libani utque ad hyssopum, quæ progreditur ad vicinum murum.* Addit hæc verba: *Primus hoc observasse videor in hyssopo candidi florit. Plantaveram eam a muro cubiti distantia. Verum ipsa annuo spatio, relicta, quam natalem habuit, terra, sensim versus murum progressa, tandem ad murum, deficiente ulterius terra, sublitit.* Ibidem loca Evangelistarum, *Marci XV, 36, Matth. XXVII 48, Joau. XIX, 29,* de spongia hyssopo & calamo circumdata exponit & inter se conciliat. *Cap. XIV* illustrat verba Christi, *Matth. XIII, 13* dicentis, *granum Sinapis esse minimum omnium seminum, & tamen excrescere in altitudinem omnium maximam.* Scilicet Christum putat in hacce comparatione de planta loqui indigena, & ea, quæ vulgaris ac solitæ proceritatis; neque tam ad altitudinem Sinapis, quam ad illius in adolescendo velocitatem respicere, qua tantillum granum tam paucis mensibus in eam proceritatem & amplitudinem assurgit, ut magnitudinem æmuletur justarum arborum. *Cap. XVI* agit Autor de *Borith*, cuius mentio *Jerem. II, 22 & Mal. III, 4.* Existimat, hoc aut commune esse saponum & lomentorum nomen, aut eo describi lanariam vel Alcali. *Cap. XVII, p. 76 sq.* acute agit de nomine קַרְמֶל Carmel, ejusque cum etymologiam tractat, tum veram ac propriam notionem. *Capite XVIII* de *satione* disserens, præcipua sacri codicis loca expendit, quibus de ea agitur. Inter hæc locum illum *Eccles. XI, 2: Projice panem tuum in aquas,* ita interpretatur: *Projice semen juxta aquas,* hoc est, in locis irriguis. *Cap. XXIV* de *byssu*, ejusque natura & usu, breviter quidem, sed eleganter commentatur. *Cap. XXVI* de messe Hebræorum profert haud proleteria. *Cap. XXVIII,* quod de *pane* inscriptum est, non solum varias notiones לֶחֶם explicat, verum etiam diversissima panis genera exhibet, simulque præcipua sacre Scripturæ loca huc pertinentia illustrat. De panibus vero *faciei* separatim disputat *C. XXIX,* & de pane ἐπισηω

Mattb. VI, u Cap. XXX, verbaque Christi sic reddit: *Panem nostrum convenientem*, hoc est, congruum & accommodatum vel corpori nostro alendo, vel bonis & facultatibus nostris, vel conditioni & statui nostro, *da nobis quotidie. Cap. XXXVI* copiose agit de *calamo aromatico*. De *papyri* natali solo atque prisco usu agit *Cap. XXXVIII*. De *fungis* dum agit *Cap. XXXIX*, illustrandum sibi sumit locum *2 Reg. IV, 39, 40*, ubi *mors esse* dicitur *in olla*. Vocem Hebr. *pekuboth* plerique interpretantur *colocynthides*. At Noster cum Kimchio censet, *fungos* innui, idque illustrat ex monumentis scriptorum veteris Græcæ. *Cap. XL* earum plantarum Palæstinæ catalogum alphabeticum exhibet, quas in sacro codice haud obvias alii scriptores commemorant. Pari ordine *Cap. XLI, XLII & XLIII* Talmudicarum plantarum nomina exhibet, & suam de compluribus conjecturam producit. *Cap. XLIV* ex veterum scriptis collecta Syriacarum *stirpium* herbarumque nomina proponit, & hic alphabeti incedens ordine. Utimum Caput Autor inscripsit *Hodegum homileticum*, eoque concionatoribus ex hac sua Phytologia sacra suppeditavit materias per totius anni spatium utiliter tractandas in sacrarum concionum exordiis.

DILUCIDATIONES PHILOSOPHICÆ DE
Deo, anima humana, mundo & generalibus rerum affe-
ctionibus, opera GEORGII BERNHARDI
BULFFINGERI, Moral. & Math. P. O.

Tubingæ, sumtibus Jo. Georgii & Christ. Godofr. Cottæ, 1725, 4.
 Alph. 4 plag. 6.

CL. Autor in præfatione recenset, quænam fuerit scribendi occasio, quinam modus. Nimirum cum *Philosophia Wolfiana*, de qua abunde dictum est passim in his Actis, variis scriptis impugnaretur, Vir ingenii acutissimi & iudicii limatissimi, qui ejus & innocentiam, & utilitatem se deprehendisse testatur, intellectu variorum iudicio, suam Auditoribus sententiam in Collegio privato exposuit; sed ne disiectis scopis similia loqueretur, quæ contròversa non sunt, interseruit. Admonitus, non sine multiplici usu fore, si publice extaret scriptum; publico idem in-
 videre

videndum: censure tamen Ordinis Philosophorum subiecit, antequam luci publicæ exponeret. Cum scripta thetica maxime amet, apologetica necessitati tribuat, ab eristicis plane abhorreat, omnes equidem objectiones & imputationes Cl. *Wolffio* factas discussit & quam sint a veritate alienæ ex principiis & dogmatibus *Wolffianis* commonstravit; ea tamen ratione scribendi usus, ut scriptum theticum confecisse videri possit, cum fructu ab illis legendum, qui de rebus arduis metaphysicis erudiri gestiunt, de controversia *Wolffiana* parum cogitant. Atque hæc est ratio, cur idem in his Actis recensamus, in quibus scriptis eristicis non nisi ægerime locum concedimus. Cum cura Noster distinguit theteos veritatem vel falsitatem a momento, quod in Theologia & scientia morum habet, atque summa modestia usus, quæ ab antagonis opponuntur, resolvit sine opprobrio autorum, sine vocabulis ex obliquo pungentibus; sine decollatione argumentorum, sine deliberata momentorum quorumcunque occultatione, sæpe tanquam in transitu, ut nescias, te legere responsionem, sed cautelam tantum utilem & sponte positam; id quod tanto majori laudi ducitur, cum nunquam tanta animorum acerbitate ulla agitata fuerit controversia, quanta antagonis utuntur. Monet autem, de animo hostili iudicium non sumendum esse ex vocabulis; sed ex fonte illorum & scopo, quos passim translucere, invitis sæpe scriptoribus, jam olim admonuerit *Bellius*. Quando incidit in sententias antagonistarum, a recepta licet & demonstrata veritate alienas, operam dedit, ut ne argumentis uteretur odiosis. Præcipue autem abstinuit ab imputandis consequentiis, licet in iis omne præsidium collocent Antagonistæ, sive simpliciter absurdis, sive etiam detestabilibus, probans monitum *Langii*, Theologi nuper *Altorsini*, contra iudices consequentiaros, quos in dissertatione de appellatione conscientie *Jobæ* cum amicis *Jobi* comparat. Tandem nec hoc negligi debet, quod ad Theologiæ Christianæ consensum una attenderit, ostendens, quam amice *Wolffiana* revelatis subservant. Quoniam cum *Wolffio* censet, Metaphysicam non esse perfectam, nisi quæ *Ontologia*, *Cosmologia*, *Psychologia* & *Theologia naturali* absolvatur; ideo opus hoc metaphysicum dividit in
sectio.

sectionem *ontologicam*, *cosmologicam*, *psychologicam* & *theologicam*: qua usum quoque esse Cl. *Thümmigium* in Institutionibus philosophiæ *Wolfianæ*, in Actis Anni superioris p. 230 & seqq. diximus. In sectione *ontologica* de possibili & impossibili, necessario & contingente, de principio contradictionis & rationis sufficientis, determinato & indeterminato, simplici & composito, perfecto & imperfecto agit. In sectione *cosmologica* tractat de definitione mundi, nexu rerum universali, legibus motus & necessitate physica, origine mundi & miraculis. In sectione *psychologica* disserit de natura Psychologiæ, de facultatibus animæ theoreticis & practicis, de commercio animæ & corporis ac immortalitate animæ. In sectione denique *theologica* methodum tractandi Theologiam naturalem scientificam exponit, existentiam Dei plene demonstrat, de perfectionibus & attributis, operibus & cultu divino plura tradit, quam in aliis Theologiæ naturalis systematibus reperiuntur. Adversariorum nominibus plerumque parcit, ne affectuum intemperie præcipitata ipsis fiat molesta: quod idem fecerat *Wolffius* in Annotationibus ad *Metaphysicam*, de quibus diximus in Actis A. 1724 p. 310. Monstrat nimirum, quod sæpillime Sophismata sint ex vulgaribus syllogismorum regulis primo statim intuitu refellenda, quæ tanquam difficultates insolubiles & omnem philosophiam *Wolfianam* evertentes ab adversariis urgentur, & quam peccent contra communes Logicæ regulas, quæ argumenta maximi roboris censentur: qua in re sibi consentientem habet Cl. *Holmannum*, idem in Observationibus elencticis in causa *Wolfiana* ex instituto demonstrantem. Quoniam autem *Wolffo* insultant adversarii ob theses præsertim *Leibnitianas*, quas ipsius systemati innexas damnant; ideo Noster *Leibnitium* quoque vindicat ab objectionibus, quæ contra ipsum proferuntur. Unde etiam confutavit objectiones *Weismanni* in Schediasmatis Academicis, de quibus diximus Anno superiore p. 503 & seqq. Thetica pleraque cum eadem sint cum *Wolfianis*, de quibus satis dictum est alibi in his Actis; non opus esse videtur, ut ad specialia descendamus. Nostri institutum est, *Wolfianam* philosophiam vindicare & tueri, adeoque insuper habet demonstrativæ methodi leges, quas secutus est *Wolffius* in *Metaphysica*,

sica, & ea potissimum capita, quæ dissidiis obnoxia fuerunt, illisque proxime connexa. explicaturus, sententiam, quam tuetur, probaturus, contradictoriam remoturus, assertam ab objectionibus vindicaturus & controversiæ momentum indicaturus, in unum locum congerit, quæ ad unamquamque materiam pertineat.

Appendicis loco adjicitur Oratio de reductione Philosophiæ, speciatim Logicæ, Metaphysicæ & moralium disciplinarum recitata in collegio illustri, præsentibus, Legato Serenissimi Nutritii, Viro perillustri, *Christophoro Petro a Færstner in Dambenoy*, Consiliario Status intimo & supremi Appellationum tribunalis Præside, Rectore Academiæ Magnifico & Senatu Academico. De Logica præcepta sequentia inculcat: 1 Logicam ipsam esse debere exemplum regularum suarum, 2 ostendere etiam ipsam artificia demonstrandi, 3 exhibere capita practica, quæ primus intulerit *Wolffius*, 4 adhibere commodas juventutis exercitationes; quas inter commendat 1 exercitium eruendi notiones distinctas ex factis complicatis, 2 examinandi & supplendi demonstrationes, 3 controversendi secundum regulas, 4 inveniendi jam inventa. De Metaphysica traduntur præcepta sequentia: 1 quod docere debeat pietatem philosophicam, quam vocat *Wolffius*, ut scilicet motiva actionum sumantur ab attributis divinis; 2 cognitionem mentis humanæ; 3 notiones generales & usibus secundas; 4 commoda exercitia 1 in anatomia cogitationum humanarum, 2 observationibus metaphysicis. Denique de disciplinis moralibus præcipit, ut 1 descendatur ad casus & regulas specialiores, 2 addantur motiva & media, 3 suppleantur capita neglecta, 4 adhibeantur commoda exercitia, veluti 1 ferendi leges, 2 applicandi leges, 3 consultandi. His quidem valedixit *Cl. Büßfingerus*, Musis Tubingensibus anno superiori, ad Professionem Logicæ, Metaphysicæ & Moralium ordinariam Petropolin evocatus, Academiæ Scientiarum nunc Petropolitanae, antea Tubingensis ornamentum. Addidit orationem alteram de methodo docendi in scholis illustribus disciplinas Morales & Mathematicas, qua Moralium & Mathematicarum Professionem ordinariam d. 5 Jan. 1724 in illustri collegio Tubingensi auspiciatus, Professor antea Philosophiæ extraordinarius in Academia Tubingensi.

ACTA ERUDITORUM
 ARTICULI GENERALES DE VERIS ET
 falsis Philosophis, conspectum integri Tractatus exhibentes; Autore JACOBO FRIDERICO MULLERO.

Francofurti & Lipsiæ, 1725, 8.

Plag. 6 $\frac{1}{2}$.

CL. Autor sub initium Tractatus, quem Cel. *Wolffii* nomini inscripsit, monet, ansam scribendi dedisse vehementissimam de Pseudophilosophis vociferationem; quæ hodie in Germania resonat. Dedit autem criteria generalia, non hypothetica, sed ex ipsissimis Philosophiæ penetralibus desumpta, Philosophos reales a verbalibus discernendi. Fundamenti loco præsternit definitionem Philosophiæ *Wolffianam*, quod sit scientia possibilium qua talium, A. 1709 in præfatione ad Aerometriam primum publici juris factam: unde fuit discrimen cognitionis philosophicæ a mathematica & historica sive vulgari, dudum a *Wolffo* inculcatum, a Nostro approbatum & vindicatum. Inde statim ducit primum veri Philosophi criterium, quod omnem industriam in eo ponat, ut notiones rerum tales possideat, quæ *arbitrorum* essentiam partialiumque in illis nexum intime perspectum indicent. Et porro hinc infert, philosophiam id ambire, ut radices tenues rationis nostræ & flamina exsurgere faciat. Quoniam cognitio philosophica a vulgari sive historica non materialiter differt, *Wolffo* iudice, sed formaliter; ideo Noster ex indolè trium mentis operationum, notione, iudicio & discursu, differentiam Philosophi veri & falsi derivat, cum *Wolffius* in Annotationibus ad Metaphysicam suam ostenderit, omnem nostram cognitionem a tribus mentis operationibus manare. Nascentur ex eo Cl. Autori tria criteria generalia, ad quæ cetera tanquam species ad sua genera reducuntur, quod Philosophus verus habeat ideas rebus convenientes, determinatas, claras, distinctas & completas, proscripitis terminis inanibus, ambiguis & vagis; quod nec admittat, nec ipse struat sine ratione legitima & sufficiente propositiones; quod ratiocinationes ex certis & evidentibus principiis rectè deducat, omnemque conclusionem demon-

demonstrative probet. Notionum differentiam, a *Leibnitio* in Actis nostris A. 1684 traditam, & a *Wolfo* in Logica tantisper emendatam, Nostroque iudice, cum successu ubique admirando adhibitam, supponit, atque ex ea criterium suum primum uberius explicat: ubi imprimis de definitionibus differit vero Philosopho dignis. Circa secundam mentis operationem iudicia potissimum intuitiva, quæ vocat *Wolffius*, expendit, & quid in axiomatis, quid in postulatis, quid in observationibus & experimentis vero incumbat Philosopho, docet. In tertia mentis operatione iudicia discursiva, quæ *Wolffius* appellat, considerat & Syllogismum, præcipuum, immo necessarium cognitionis nostræ instrumentum, commendat. Jubet autem verum Philosophum syllogismos in forma legitimos extendere usque ad definitiones & axiomata, probans *Wolffianum* essatum, quod illa demum analysis perfecta sit, quæ demonstrationem non ante finit, quam ad tales syllogismos perveniatur, quorum præmissæ solis definitionibus & propositionibus identicis constant. Monet, verum Philosophum tres istos characteres habere conjunctos, atque adeo possibilitatem veri Philosophi in hoc constituit, si in meditatione, scriptione & locutione sua rigoroſe exactas methodi logicæ, quæ cum mathematica eadem est, observet leges. Rejicit enim methodum logicam spuriam, quæ medicam imitata morbos & imbecillitates mentis prolixè edisserit, postea mentem sanitati restituentia præscribit, propria *Cel. Buddæi*, eam licet sequentis, confessione nisi, quod ad veritatem nondum satis præparatus sit, qui omnia illa præcepta observaverit. Docet contra eum, ipso facto demonstrasse *Wolffium*, methodum mathematicam ad omnes disciplinas extendi debere, cum uberrime ostenderit, quod sine illa nec quicquam scire possit. Provocat ad *Wolffii* Meditationes Logicas, Metaphysicas, Morales atque Politicas, de quibus, cum prodirent, diximus in his Actis. Ipse promittit, aliquando in Theologia se præstiturum, quod in Philosophia præstitit *Wolffius*. Respondet ad dubia, quæ contra hanc methodum proposuit Autor Artis cogitandi. Ostendit, sectarios esse non posse, quotquot eadem sua tradant dogmata. Respondet præterea ad difficultates alias, quæ ab osoribus methodi mathematicæ contra eam profes-

runtur, veluti, quod *Scurmius* junior, in praxi magis, quam theoria mathematica versatus, affirmavit, methodum mathematicam non omnibus convenire ingeniis, 2 quod melancholici ab eadem abhorreant; 3 quod methodum istam observare nondum possit, qui tantum regulas novit; sed ad applicationem diuturnus requiratur usus; 4 quod, si sine illa nec scribi quicquam, nec ex cathedra proferri debeat, ampliori longe temporis spatio ad disciplinas Philosophiæ pertractandas opus foret, quam hodie opus sit, ut quis Doctor superiorum facultatum evadat; 5 quod scientiæ non mathematicæ versentur circa res a sensibus remotas, abstrusas ac multa maxime involuta continentes, 6 quod in disciplinis misceantur nota ignotis, incertis certa, omnia deciderentur, etsi decideri plurima non possint; 7 quod desitua- mur in Philosophia principiis ab omnibus agnitis & communi suffragio stabilitis; 8 quod in Physica locum habere nequeat methodus mathematica, quoniam a simplicibus ad minus simplicia, a minus compositis ad magis composita progreditur, & quod ipse *Wolffius* contra characterem suum, qui ordo sit & esse debeat, in Physica omnia analyticè peregerit, ubi Noster ostendit, analyticam quoque methodum juxta regulas methodi mathematicæ procedere; si vim earum teneas, ex *Wolffii* Metaphysica perspiciendam; 9 quod præsens orbis literarii status non ferat, ut eadem methodus ad ceteras disciplinas transferatur: unumquemque enim suos docere auditores, quo modo ipse didicerit. Dubia hæc Cl. Autor privatim sibi proposita accurate discussit, ut præjudiciorum nebulas dispelleret, solidæ doctrinæ progressum remorantes. Plurima continet libellus lectu digna singulis, quibus cum fructu philosophandi fuerit animus, a Cl. Autore modo perspicuo & facili proposita.

ULRICI HUBERI, JCTI, SUPREMÆ FRISIORUM Curie Ex-Senatoris, Prælectionum Juris Civilis Tomi III, Accedunt CHRISTIANI THOMASII, JCTi, Additiones, & LUDERI MENCKENII, JCTi, Remissiones ad Jus Saxonicum. Editio in Germania altera. Recensuit magnam partem, annotavit passim,
 & pa-

Œ paratilla e Jure Judiciar. noviss. Elect. Saxon. adje-
cit GEORGIUS CHRISTIANUS GE-
 BAUERUS, D.

Lipsiæ, sumtibus Jo. Fridrici Gleditschii B. filii, 1725, 4.

Alph. 10 pl. 8.

Magnam a Juris studiosis gratiam inierit nobilissimus Biblio-
 pola nostras, cujus industria atque sumtibus iterum apud
 nos recensæ sunt hæ Prælectiones Juris Civilis. De ipso opere illis
 annis, quibus singulæ ejus partes Francœqueræ prodierunt, in A-
 ctis nostris pro instituti ratione diximus. Editionem quoque pri-
 orem cum Illustr. Virorum *Christiani Thomasti additionibus, &*
Lüderi Menckeni nostri differentiis Juris communis & Saxonici
 hæc Lipsiæ adornatam, Anno 1706 p. 529 laudavimus. Jamque
 ergo editionis iteratæ solum dotes indicandæ sunt. Omnem vero
 curam habuit Bibliopola, non solum, ut nitido charactere opus
 Huberianum exscriberetur, qua fini textum omnem percenseri
 atque emendari curavit, sed ut novis etiam utilissimisque accessio-
 nibus locupletatum exiret. Quæ igitur Huberum foris Saxonici
 apprime commodum jam effecerant, remissiones ad Jus Saxoni-
 cum Menckeniæ suis ubique locis subjectæ, nunc, ubi spicie-
 gii quidquam post largam messem relictum erat, novis annota-
 tionibus auctæ comparent. Equidem quicquid emendando au-
 gendoque nove præstitum videbitur, id omne debetur Autoribus
 viris Clarissimis duobus, collegis nostris, *B. D. Georgio Adolpho*
Schuberto, Institutionum Imperialium in Academia Lipsiensi Pro-
 fessori Publico, & *D. Georgio Christiano Gebauro*. Ille annis ab-
 hinc fere duobus, gravi studiosæ legum juventutis luctu, imma-
 tura morte huic labori ereptus, ultra partem Prælectionum prio-
 rem & secundæ portionem, quæ *τὰ πρῶτα* appellatur, curas
 suas producere nequivit. Hic autem, pro suo in Jurisprudentiæ
 interioris studium amore singulari, telæ pertexendæ oblatum
 sibi negotium, alacri animo susceptum, strenue perfecit. Interea,
 ferventibus operis, & majore libri parte jam prelo hiberata, Juris-
 prudentia Saxonica mutationem subiit haud leviem, quam provi-
 dentia *Augusti*, Domini nostri longe Clementissimi, promulgando
Legem Judiciariam novissimam, induxit. Itaque, cum sane multa

& ab Ul. *Menckenio* olim observata, & recens addita, nunc aliter constituta noscerentur, eoque usibus annotationum haud parum derogatum esset: optimo consilio Cl. *Gebauerus* ex isto jure recentissimo *paratitla* ad *Huberum* conscripsit, eaque instar indicis, secundum Prælectionum seriem confecti, in calce adjecit. Quæ cum ita sint, nihil profecto in hac editione prætermissum esse fateberis, quod Prælectiones *Huberianas*, sive studiosæ legum juventuti, sive in foro apud nos versantibus, magis utiles acceptasque præstare possit.

Joh. Friedr. Kählers, Deutsche und Lateinische Gedichte.
i e.

JOANN. FRIDERICI KÄTZLERI, URBIS
Brunsvicensis Consulis & Syndici, Poemata Latina
& Germanica.

Brunsvici, apud Frid. Wilh. Meyer, 1725, 8.

Plag. 22.

Quæ superiori sæculo per Poeseos Germanicæ Parentem, Martinum Opitzium a Boberfeld, primum inclaruit, hodie quoque vatium ferax esse nondum desijt Silesia. Florere adhuc, qui gentis suæ gloriam tuentur, Poetas, inter alios Cl. *Kätzlerus* noster monstravit, cujus Poemata varii generis nunc prodierunt. Silesia se oriundum esse, in operis præfatione haud obscure innuit, simul addens, se in Lignicensi Vratislaviensique Gymnasiis studiorum, ut reliquorum, ita poeseos quoque prima jecisse fundamenta. Non defuisse ipsi ingenium & uberrimum & elegans, carmina ejus tantum non omnia satis loquuntur; licet fateatur ipse, se in eo colendo parum operæ collocasse. Neminem vel Latino-rum vel vernaculorum Poetarum integrum a se lectum esse adseverat, nec ad scribendum facile, nisi aliis instigantibus, accessisse. Hinc omnibus, qui, quantum lectio antiquorum ad ingenii culturam conferat, intelligunt, abunde liquebit, politiora multo, multoque elegantiora nobis daturum fuisse carmina Poetam nostrum, nisi seria, quibus maxime incubuit, studia ludicris præferre maluisset. Non tamen, quod nunc demum prodeunt Cl. Kätzleri poemata, omnibus, qui hactenus inclaruerunt, vatibus Silesiacis recen-

recentior est Noster: *Neukirchium* quippe, *Schmolckium* & *Güntherum* ætate multum superans, inter hos & *Hoffmannswaldavium*, *Lobensteinium*, *Gryphosque* intermedius censendus est. Hoc eo dicimus, ne crebriores in constructione naturali negligenda licentias, metru. nque, pro delicato sæculi hujus palato, non ubique satis limatum, vitio ipsi vertas: siquidem ante quinquaginta annos, quo tempore jam non pauca nostri Carmina composita fuere, nondum invaluerat illa profaicam elegantiam in ligata servandi regula. Tantum interim abest, ut id in Viri Cl. præjudicium dictum velimus, ut potius eos, qui hodie poesi operam navant, eo ipso moneamus, ne sibi quoque licere credant, quæ superioris sæculi Poetis facile condonamus. Nam

nostri Proavi Plautinos & numeros & laudare sale.

In quatuor sectiones divisum est opus, quorum prima exhibet poemata Gratulatoria XLV, magna ex parte divo Imper. Leopoldo, item Carolo VI, jam feliciter imperanti, nec non Electori, Brand. divo Frider. Guilielmo, variisque Ducibus Lüneburgensibus, dicata. Secunda sectio XXI Nuptialia complectitur, inter quas heroides quædam epistolæ, Serenissimis Sponsis quibusdam affictæ, eminent. Tertia Lugubribus XXXIX destinata est, & in Josephum Rom. Imp. Wiesnowickium Pol. R. Charlottam Christianam, Alexio Principi Russiæ nuptam, Elisabetham Henriettam, primam primi Regis Boruss. conjugem &c. epicedia exhibet. Inter Miscellanea tandem, quæ quartam sectionem absolvunt, ea conjecta sunt, quæ ad priores classes referri vix poterant, numero XIX, quorum primum in expugnatum a Germanis sub Josepho Landavium conscriptum est. Ubique Latina quædam inspersa videas varii generis carmina. Inter quæ oda Sapphica de militia spirituali assurgere paullo altius videtur, cujus initium:

*Vex senescentis scelerata Mundi
Vexat indignis truculenter armis
Imperatori sacra præpotenti*

Pectora Christo.

Addita tandem est Epigrammatum Germanicorum Centuria una cum Latinis nonnullis, sale satirico ingeniose condita.

NOVA

p. 254.

NOVA LITTERARIA.

Libetia Parisiorum prodit nova editio *Quintilianii de Institutione Oratoria*, splendida satis atque emendata, cura *Capperoneriei*, Theologi & Græcæ Linguae Professoris, de qua propediem plura dicturi sumus. Illud statim lectores advertit, quod Theologus ille Celebrissimi Viri Petri Burmanni merita in *Quintilianum* non modo non agnoscat & digna laude prosequitur, sed etiam in Praefatione & passim in notis Virum doctissimum paullo incivilius tractat. Accusationis autem capita ea fere sunt. I Culpat, quod lectiones depravatas & interpungendi notulas reliquerit Burmannus, neque de iis monuerit in notis. Sed vix Burmannum sibi fingere poterit talem, qui nemini spicillegium superesse voluerit: & meminisse debebat accusator, diligentissimi etiam & curatissimi hominis perspicaciam quaedam effugere posse, quando aut perpetua meditatione fatigatur, aut pluribus curis distrahitur. II Culpat, quod non ipsi contextui inseruerit emendationes satis probabiles. Quæ vero injusta est criminatio. Nam quod Capperonerieo satis probabile videtur, Criticis fortasse minus probabile erit: & si vel his sit, minus incommodum literæ patiuntur, si emendationes ex conjectura desumptæ in adnotationibus tantum proponuntur, quam si quilibet in textum intruditur. Denique liberum hæc in re editoris esse arbitrium, dudum eruditi consenserunt. III Taxat, quod inter varias lectiones retulerit aperte falsas, quæ librorum seculorum sint adscribendæ. At ignorasse videtur Capperonerieus, etiam ex ludibriis scribarum veras lectiones erui posse, & notum est omnibus, quam viri docti optarint, Camerarius ex *Plauto suo*, alii ex aliis suis membranæ omnes varietates adnotassent. Laudare itaque, non reprehendere debemus industriam, quæ votis doctorum respondet. IV Accusat Burmannum, nec sine specie, quod in notas retulerit, quæ ad rem non pertinent, quæ mentem auctoris obscurant, quæ erroribus scatent: sed specimina non videmus, quibus hæc accusationem confirmaret. Pleraque recidunt in *Turnebum* aliosque, quorum notas adiecit Burmannus: sed eorum vitia redarguere, aut emendare contra institutum eorum, qui variorum notas edunt, adhuc fuit. V Denique in *Cl. Burmanno* reprehendit, quod terminos artis, quibus passim & varie utitur *Fabius*, non explicuerit, & ex Græcis Latinisque Rhetoribus non illustraverit. At distinctæ sunt istæ partes, illustrare scriptorem, & emendare. Posterius maxime respexit *Cl. Burmannus*, prius si alius quis in se recipiat, eo minus alios reprehendere debet, quo magis eandem veniam expectat, quando ipse emendatoris officio non satis fecerit. Et jam satis se muniverat contra tales reprehensiones optimus Burmannus Praefatione in *Quintilianum* suum, quam & legere, & vacuo animo accipere debuisse superius Editor. Qui rem ex æquo æstimant, nihil sibi

Burmannianæ derogare posse, quidquid contra eam ausus sit

NOVA

Capperonerieus, facile videbunt.

§§ (o) §§

No. IV.
**ACTA
ERUDITORUM,**

*publicata Lipsiæ
Calendis Aprilis Anno MDCCXXVI.*

**THESAURUS MONUMENTORUM ECCLE-
siasticorum & Historicorum, seu HENRICI CANISII.
Lectiões Antiquæ, quibus Præfationes Historicas,
Animadversiones Criticas &c. adjecit
JACOBUS BASNAGE.**

Tomus IV.

Antverpiæ, apud Rudolph. & Gerhardum Wetstenios, 1725, fol.
Alphab. 9. plag. 21½.

Quartum & ultimum, quod nobis silitur, hujus
Thesauri Volumen XIII, XIV, XV & XVI Seculi
antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta exhibet,
quæ ex Europæ Bibliothecis, in quibus delitue-
rant, celebrioribus olim ab Henrico Canisio pro-
tracta, post insigni Cl. Basnagii opera Præfationibus Historicis
Criticisque animadversionibus aucta & illustrata ad nos perve-
nerunt. Et ex eorum, qui decimo tertio a Christi nativitate
Seculo vixerunt, scriptis post *Guntberi*, Monachi, *Historiam
Constantinopolitanam* sub Balduino, habetur *Terræ Sanctæ De-* p. 9.
scriptio, *Burchardo* de Monte Sion autore; *Tractatus* contra
Græcorum errores, *de Processione Spiritus Sancti*, *de animabus* 33.
defunctorum, *de azymis & fermentato*, *de obedientia Romane* 82.
Ecclesiæ; *Viennensi*, anni 1267; & *Salisburgensi*, anni 1274, Con- 87.
ciliorum Constitutiones; tum de *vita & miraculis S. Erminoldi*, 95.
Abbatis Pruseningensis, Libri duo, cum *Theodoricæ Turingi*
Libris octo *de S. Elizabetha*, Regis Hungarorum, *Andræ*, 116.
Alia; & *Actis S. Albani*, Martyris, aliisque *Actis* ejusdem *S. Albani*, 158.
T. incer-

- p. 172. incertis Autoribus; post hæc *Annales Henrici Stevonis*, Monachi, ab anno 1152, qui est Friderici, Imperatoris, primus, usque ad Rudolphum Habsburgium & deinceps ad annum 1300 cum *Annalibus Eberhardi*, Alahensis, ab Imperatore, Rudolpho Habsburgio, sive ab anno 1273 usque ad annum 1305. Ex seculi decimi quarti nonnullorum lucubrationibus Actisque publicis huic Volumini inserta leguntur *Vita S. Walpurgis*, Virginis & Abbatissæ Heidenheimensis, scripta a *Philippo*, Præfule Aichstadiano; *Concilia bina Salisburgensia* anno 1310 habita; *Andronici Constantinopolitani contra Judæos Dialogus*; *Guiljelmi de Baldensel Hodaporicou ad Terram Sanctam* anno 1336, una cum *Epistola ad Petrum*, Abbatem Aulæ Regiæ, & *Itinerarium Rudolphi de Framcynsperg* in Palæstinam, ad Montem Sinai & in Ægyptum anno 1346; tandem *Barlaami de Seminaria*, Gyracensis Episcopi, ad Græcos de *Unione cum Romana Ecclesia & Processione Spiritus S. Epistola*; ejusdemque *Ethica secundum Stoicos*. Sequuntur scripta, quibus nonnulli decimi quinti seculi inclaruerunt Doctores; sunt inter illa præter *Epitomen bellorum*, quæ a christianis Principibus pro Terræ Sanctæ recuperatione suscepta sunt, in qua etiam *descriptio Palaestine & multa de Mahomete*, autore incerto, nonnulla *Hussitica*, in quibus continentur variorum orationes, quarum I) *Johannis Ragusini* in Concilio Basileensi de *Communione sub utraq; specie*; II) *Ægidii Carlerii de corrigendis peccatis publicis*, dicta in eodem Concilio; III) *Henrici Kalteisen*, Dominicani, de *libera predicatione verbi Dei*; IV) *Johannis de Polemar*, Barcinonensis Archi-Diaconi, de *civili Curatorum Dominio*; cui accessit *Fundatio Ecclesiæ Illminensis & Tegerensensis cum translatione S. Arfacii & Fragmento Chronico Thadai Scorum*, Abbatis Ratisbonæ; de *Kiliano, Virgilio & Lullo*, Sanctis; V) *Disputatio Capituli Ecclesiæ Pragensis cum Rokyzana de Hussitis*, *Controversis*, anno 1465 habita. Opus tandem claudunt nonnulli seculi decimi sexti scriptorum opuscula, e quibus *Terræ Sanctæ Descriptio*, Autore Anshelmo; *Actus seu Processus Canonizationis B. Notkeri* anno 1514; *Catalogus Scriptorum, qui contra Judæos scripserunt, & de Vita S. Gebhardi*,

bardi, Constantiensis Episcopi, Libri duo *per Felicem Manilium*. p. 823.
 Accesserunt huic Volumini duo Indices, Autorum, Tractatum
 & opusculorum, quæ unumquodque Volumen complectitur,
 altero, altero rerum, verborum, personarum aliorumque me-
 morabilium in univcrsum hujus Thesauri opus. Neque hic
 quidem debita laude destituendus est, qui in expoliendo ultimo
 hoc Volumine eadem, qua antea, versatus fuit industria, novis-
 simus illius Editor totque utilissimis Reipublicæ Literariæ ope-
 ribus commendatissimus, Cl. Basnagius. Etenim non ad Secu-
 lorum solum ordinem digesta comparent, quæ in hoc conti-
 nentur, antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta, verum etiam
 unicuique Autorum adjectæ animadversiones Criticæ, Præfatio-
 nes Historiæ, quibus lucem accendit obscuris, & quæ sparsim
 apud Scriptores de Autore habentur, magno collecta labore,
 uno quasi fasce complexus est. Dicit deinde non potest, quan-
 tum juvent antiquitatis Ecclesiasticæ investigatores, qui ad pur-
 ganda a superstitionis narrationibus veterum scripta & ad
 corrigendos eorum errores animos convertunt, quod sane opus
 quanto laboriosius, tanto utilius semper existimatum habitum-
 que est ab intelligentibus hujus rei æstimatoribus. Hoc utique
 observatum Viro doctissimo & in ultimo hujus operis volumine
 imprimis in notis, quibus illustravit *Terræ sanctæ Descriptionem*,
Burchardo de Monte Sion Autore; fabulosos illum superstitioni-
 bus nimis addictum esse, statim apparebit legentibus; refecit
 illarum plurimæ fuerunt in nova Operis Editione, quam post
 Canisium emendatam Amstelodami vulgavit Cl. Clericus. Quare,
 ut nihil detraheretur istis antiquis Lectionibus, Canisianam qui-
 dem Editionem hic denuo juris publici fecit Basnagius, probe
 tamen collatam cum illa Amstelodamensi, ubique animadver-
 tente Viro docto, quæ in hac defunt, hinc inter nugas & fabu-
 las referenda; cujus etiam generis sunt illa, quæ in *Actis* ha-
 bentur *S. Albani* Martyris: quam imperitus enim fuerit, qui
 hæc Acta confarcinavit, quam levis hinc fides illorum, clare
 docent, quæ observata in hunc scriptorem Autori Cl. Sed &
 pari diligentia reliqua excussit Vir doctus, ut mirari subeat, in
 Opere tam vasto perpetuis animadversionibus illustrando nun-
 quam

p. 3.

158.

quam defatigatum fuisse illius animum, quo etiam nomine obstrictos sibi reddidit, quorum quidem veterum scripta, quantum fieri posset, purgata ab erroribus suoque nitore restituta ad se pervenire, intererat. Ceterum ne ignores, quis fuerit, cui Opus debes tanto labore excultum, æquum utique iustumque existimamus, breve addere Viri Celeberrimi Elogium. Natus is erat Rotomagi anno LIII superioris Seculi, patre Henrico Basnagio, Jcto & causarum Patrono in eadem urbe, in qua sibi famam, opes & amicos paravit vel inter Pontificios, quamvis Reformatæ Religionis addictissimus. Jacobus noster, filius ejus natu maximus, consecratus a Patre tenera adhuc ætate studiis Theologicis, in iis ita profecit cum in Gallia, tum Genevæ, quo missus a Patre fuerat, ut anno ejusdem Seculi LXXVI, suæ ætatis XXIII, ab Ecclesia Rotomagensi vocatus dignusque habitus sit, qui Stephano Monachio, Viro doctissimo, qui ad Theologiæ Professionem Lugdunum Batavorum vocatus Rotomago fuerat, succederet. Et quamvis Concionum cæterarumque, quæ Pastorem tenent, curarum in Ecclesia numerosa occupationibus distineretur, diligentem tamen studio Historiæ Ecclesiasticæ Patrumque lectioni dedit operam, progressuumque suorum postea in iis specimina in lucem emisit, & pene solus inter Gallos Reformatos in iis eminebat. Post Galliarum Rege, Ludovico XIV, Nannetense Edictum anno MDCLXXXV abrogante, e Gallia Roterodamum in Hollandia sedem Noster transtulit, ubi Pastor Gallicæ ejus urbis Ecclesiæ constitutus, pluribus annis illi ædificandæ operam dedit. Amicitiam imprimis hic coluit cum Viro celebri, Petro Balio, quamvis in multis non exigui momenti capitibus dissentirent. Hagam deinde vocatus est anno MDCCVII, ubi eodem Pastoris munere non sine plausu ad mortem usque functus est & cohonestatus munere Historiographi PP. Hollandiæ Ordinum. Quam spartam ut ornaret, emisit in lucem anno MDCCXIX initium Historiæ Fœderatarum Provinciarum ab anno MDCXLVI usque ad Pacem Ultrajectinam, si diutius vixisset, detexendæ. Verum præclaros ejus conatus mors interrupit anno MDCCXXIII die Decembris XXI cum jam alterum Historiæ Volumen inchoasset. Vir fuit indefessæ dili-

diligentiæ & summæ in scribendo facilitatis longo usu acquisitæ, præsertim lingua vernacula. Interim nullam muneris sui Ecclesiastici partem negligebat, concionando, Ecclesiastico Synedrîo vacando, atque invifendis ægris, ad quos vocabatur. Temporis præterea sui non exiguam partem tribuebât popularibus suis, qui ad eum multis de causis confugiebant & concurrabant, seu humanitatis gratia, seu etiam auxilii ejus implorandi causa apud eos, qui Reipublicæ præfunt, quibus auxilii indigos pro ea, qua in gentem suam comitate & benevolentia ferebatur, commendare solebat. Qua de causa quotidie a libris scripturionibusque suis avellebatur, non invitus quidem, nihil enim libentius faciebat, quem quod humanitatis munera spectabat. Erat etiam notissimus pluribus Principum Legatis, qui, dum Hagæ eo tempore versabantur, ejus sermonibus allecli non infrequentes ejus ædes adibant, quos summa comitate excipiebat, & a quibus similiter admittebatur, si quando eos adiret. Non paucis quoque epistolis ad amicos Gallos aliosque scribendis simili urbanitate provocatus atque interpellatus distinebatur. Quot & quanta hæc erant, impediri tamen iis non potuit, quo minus scriptis editisque operibus bene multis inclaruerit, quibus etiam non minimam ab eruditis reportavit nominis sui celebritatem. Et notiora sunt illa, quam ut hic ea commemorare necesse sit: satis esto, hunc nominasse Thesaurum, ultimum præclari adeo ingenii factum, qui parentis, a quo editus est, vel ad posteritatem propagabit memoriam.

SIGEBERTI HAVERCAMPI DISSERTATIONES de Alexandri M. Numismate, quo quatuor summa Orbis terrarum Imperia continentur: ut & de Nummis contorniatis.

Lugduni Batavor. apud Janssonios van der Aa, 1722, 4.

Alph. r. Tabb. æn. 22.

NON dubitamus has dissertationes, qua argumenti dignitate, qua externo nitore, tabularumque insertarum artificio commendabiles, licet aliquando serius, in scenam producere,

quippe ad id genus literarum spectantes, quod novitatis gratiam haud cito, amoenitatem vero vix unquam solet perdere. Excitavit diligentissimum Virum munificentia Illustrissimorum Academiae Lugduno-Batavae Curatorum, ut propter luculentam honorarii accessionem, in grati animi monumentum ederet doctas has lucubrationes. *Prior* explicat numisma illud abstrusum, quod praestantissimus antiquitatum & nummorum interpres *Carolus Patinus* ipse olim pro ænigmate agnovit, ejusque explicationem tanta aviditate exoptavit, ut ipsis antiquis nummis, quamvis maximi pretii, eandem fuerit compensaturus, id quod profitetur in *Tbesauro Numismatum*, p. 107 edit. *Amstelod.* Nos illud numisma, quod *A. 1687* in Actis nostris p. 37 jam conspiciendum dedimus, cum disquisitionem super eodem per epistolas inter *Celeb. Patinum*, & *Cl. Eggelingium* agitatam, recenseremus, nunc iterum repræsentamus, divinationes doctissimi

TAB. II. in *Havercampi*, singula nummi mysteria aperta planeque sistens, enarraturi. **Fig. 1.** Toto igitur schemate ænigma exhibetur, summi istius in terris Imperii, per rapaces homines in quatuor illis decantatis Monarchiis violentissime quondam exerciti. *Nul- lum*, ait *Noster*, in hoc *Numismate vel punctum est, quod non ex- amissum in formidabilem istam quadret potestatem*. Ecce! in ad- versa nummi facie duo capita plane insolito habitu cum quatuor conjunctis pone cornibus, immanique oris hiatu, ad horrorem composita, Imperia duplicis orbis designant: Orientis quidem, caput dextro, velut honoratiore loco, positum, cum Chaldaeorum & Persarum imperium sit antiquius: Occidentis vero & Europæorum Imperiorum symbolum est caput sinistro loco conspicuum, nudo capillo & ad frontem denso utrumque Græcæ & Romanæ Monarchiæ autorem referens: hac enim capilli forma & Alexander & Pompejus obveniunt. Similiter pileus iste, quo prius caput exornatum est, barbaricus, vetustissimum Asiæ populorum gestamen, Attidis & Ganymedis Phrygiorum, Regumque Parthicorum insignæ noscitur. Dissenti belluarum in morem prædam appetentium rictus docent, cuncta ab his Imperiis absorpta ac devorata fuisse: quatuor cornua vero ecquid aliud significant, quam quatuor summa Imperia sub tali specie
jam

jam olim Prophetæ Danieli per visionem divinitus ostensa? In averfa numismatis parte IV Monarchiæ adhuc manifestius portendi Nostro videntur, maxime propter quatuor animalia; cum totidem monstra, & alis instructa, & Monarchias pariter referentia, in Ezechielis atque Danielis vaticiniis describantur, quamvis hæc ipsa vultuum & corporum specie diversa fuerint. Etenim nec sine magna ratione sculptor nec singulis animalibus eandem Sphingis formam dedit, primo, ut ænigma hoc tractantium spectantiumque exercebat ingenia, deinde, ut indicaretur, Monarchias istas cuncta viribus suis inferiora comminuisse, haud secus ac Sphingis crudele monstrum infelices, ad ænigmata qui accesserint, conjectores unguibus dilaniasse fertur. Porro fluvii duo in alga procumbentes violentam regnorum, velut vi fluminis abreptorum, occupationem ab utriusque orbis potestate factam; aræ utrinque positæ divinos honores a Monarchis quæsitos indicant. Figura virilis, conspicua paludamento, lorica, clypeo, bipenni, ac potissimum galea pellicea, lupinum rictum (qui tamen apud Patinum in typo nummi haud extat) præferente, galea quidem iterum designat rapacitatem Monarcharum, toto vero habitu suo belli artes, robur laboremque exprimit; dum e contra muliebris figura stans, ac præter hastæ insignie prorsus inermis, lauream sedentis mulieris capiti imponens, Constantiam & pacis artes denotat, quibus præsertim Roma sibi Orbis terrarum imperium armis partum retinuit. Denique in ipsa figura muliebri sedente, qualis subinde Roma, atque imprimis Nova, in nummis exhibetur, summi Imperii summæque potestatis perfecta imago conspicitur. Hasta enim potentæ, imo & divinitatis symbolum, paludamentum Imperii, modius in capite (quem Patinus pro turri agnoverat) Serapidis ornamentum, abundantæ rerum omnium, geminæ atque uniones in pectore & balteo, gloriæ divitiarumque insignie, quæ omnia ac singula in ista summa orbis imperia confluxere. Simillimum ad unguem huic numismati est alterum, quantum ad partem averfam; namque in adverfa caput Alexandri M. visitur. Idque ad quatuor Monarchias itidem pertinere, autumat Noster & vultum Alexandri, tanquam inter

omnes orbis Monarchas longe illustrissimi; merito præferre. In hoc nummo signum illud Ξ quod in nummis contorniatibus compluribus occurrit, atque in hoc juxta frontem Alexandri est, explicatu alias difficilimum, promptius explicari non posse, ait, quam si pro inclito Constantini M. Monogrammate K accipiatur, ut designetur regnum Christi, quod omnes istas Monarchias loco deturbavit. Verum non dissimulat, interpretationi tali obesse, quod constans ubique numismatum delineatio & rei nummativæ peritorum testimonium aliam dant Monogrammatibus formam: quare potius judicat, eo aut exprimi faustam illam & solemnem Populi Romani acclamationem, præcipue theatris & ludis consuetam: FELICITER & ΕΙΣ ΑΙΩΝΑΣ, quæ exprimitur in his nummis voce PERPETUO, cujus literæ initiales sint in isto Monogrammate; aut artificis notam esse, conjectatur. Subjicit his quinque adhuc numismata, in quorum priori antica caput Alexandrinum cum diademate, postica raptum Sabianarum; in secundo, pars una Alexandri caput exuviis leonis indutum, altera Alexandri Bucephalum domantis, & Philippi Macedonis ac Olympiadis, parentum admirantium, figuras; in tertio averfa solis quadrigas, cum inscriptione: SOLI INVICTO; in quarto averfa faciem Alexandri, averfa STEPHANUM, seu STEPHANAM Athletam victrici in curru stantem cum laurea palmaque nobili, exhibent. In quinto demum Noster iterum se Oedipum præstat. Conspicitur juvenis alatus rupi insidens, dextra uvam tenens, læva colligens vestem, quæ pectus tegit, sed post nates expansa est, inferioribus corporis omnino denudatis. Scilicet uva, & sublata, detecto inguine, vestis duo insigniora Alexandri M. vitia, ebrietatem & amoris intemperantiam, alæ vero, *Alexandrum volare potuisse*, (v. Curt. lib. VII cap. II) commonstrant, estque hæc effigies vel, ut Imperatores de magna fortuna æquabiliter ferenda, vel, ut Athletæ de fugienda ebrietate & Venere admonerentur, exsculpta. Aut etiam ab Alexandro Severo, Macedonis æmulo, in ære perenni expressum est, quod idem, teste *Lampridio*, in Alexandro condemnare fuit solitus. Quæ vero omnia ista Alexandri Magni Numismata sunt

sunt ex genere contorniatorum, hinc subnata Nostro *de nummis contorniatis* differendi occasio. Docet vero, non a civitate *Crotonis*, ut quibusdam videtur, sed a circulo artificioso circumtuto ambiente, appellatos esse; eum enim *tornum* esse dictum posterioribus temporibus, quemadmodum hodie *Contorno* Itali, *contour* Galli vocant. (vid. *Patin. Introduct. ad bistor. numism.* cap. 18.) Recte Cl. *Morellius* in *specim. univ. rei nummar. ant.* maximi moduli nummos, qui additum habent circulum, plerumque ex metallo flavo a contorniatis discernendos esse. Hi tortilem atque contractiorem circulum, illi latissimum habent atque planum, ex diverso quandoque metallo. Contorniatas omnibus, postquam percussi essent, demum circulus est additus; & supersunt nonnulli, quibus deest tornus. Tempus & causam percussorum hujus generis nummorum, silentibus vetustis Scriptoribus, per conjecturas solum assequi licet. Videntur maximam partem sub iisdem Imperatoribus percussi, quorum vultus referunt. In usum Athleticum inventos fuisse, typi plerorumque, nomina & imagines Athletarum & equorum sere comprobant. Peculiaris eorum est fabrica; neque in ullo S. C. nota comparet. Barbaram quodammodo fabricam *Morellius* haud merito dixit, cum in quibusdam perfectius artificium noscatur. Idem, ob magnam omnium similitudinem, putat uno tempore conflatos omnes: male: dantur enim quam plurimi in postica nummi vix inter se discernendi, quos tamen diverso tempore percussos nemo dubitat. Nota ista **E**, ac ejus loco quandoque ramusculus, aut aliud signum, argenteis laminulis artificiose repleta, in plerisque occurrunt, eaque signa postea in memoriam Victoris ab ipsis Athletis impressa eo credideris, quod satis multi sunt, in quibus nihil ejusmodi peculiaris notæ cernitur. Operæ pretium duxit Noster, *Patinus* maxime judicio commotus, in unum fascem colligere omnes contorniatos a præstantioribus rei nummaris Autoribus evulgatos, simul etiam nondum editos, qui ipsi obvenerunt, eorumque ænigmata singulari commentario illustrare, quem complectitur *Dissertatio altera*. Incipit a contorniatas *Neronis Imp.* cujus ævo primum nata videntur ejus generis numminata, ut qui Princeps ludorum festivitati &

aurigandi studio ad insaniam deditus fuisse traditur. Et complures sequentium Imperatorum contorniaty typos Neronianis exacte respondententes habent. Inter *octodecim* istius Imperatoris contorniatos Noster exhibet *tres* ad ipsa archetypha diligenter delineatos, quos tamen ob rudius artificium Constantini M. tempore culos & revocatos judicat, cum olim sub Nerone similes essent percussi. *Vespasiani* contorniaty *unus* cum venatione sistitur inter *Neronianos*, ob similitudinem cum alio nummo ibi representato. Sequuntur contorniaty *Trajani viginti atque unus*, ex quibus notabiles impiis, qui inscriptionem habent: DIVO NERVÆ TRAJANO. Videntur enim in spectaculorum eorum memoriam cusi, quæ teste *Xiphilino lib. XV p. 256*, *Parthica nominabantur*, & *Trajani ossibus in columna ipsius sepulchri, per multos annos, quasi spectante eo, celebrata sunt*. *Antonini Bassiani sex* numismata excipiunt *irta Alexandri Severi*, leonis spoliis Herculis in morem in nummis conspicui: is enim ornatus Principi famæ & virtutum Alexandri Macedonnis æmulo convenire videbatur, cum & Herculem Alexander generis sui autorem secutus esset. Jam *Constantini M. duo*, *Honorii tres* contorniaty producantur, ac demum *Placidii Valentiniani duo*, quorum *alter* qua magnitudine, qua figuris, qua inscriptionibus longe singularis atque eximius apparet. In adversa parte est caput *Placidii Valentiniani*, peculiari diademate cinctum, ad pectus cum stola; a sinistris palmæ ramus, cum inscriptione: DN. PLA. VALENTINIANUS SPE. AVG. *Spectabilem Augustum* signari putat Noster, nisi forte literæ SPE. male pro consueto illo P. E. expressæ sint. Aversa pars sistit organum hydraulicum majus, in cuius usum aquam hauriunt ministri duo, hinc inde stantes; a sinistris Terminum Solis radiatum appositum dixit *Cl. Bandurinus*, sed Noster sollem existimat, qui arcule organi ventum inmittat; inscriptio: PLACEA S. PETRI, ipsi suspecta videtur, & conjicit legendum esse: PETRONI PLACEAS, prout in alio numismate *Sallustii*, organum hydraulicum referente, inscriptum est. Sed post recensitos Imperatorum nummos *spicilegium* facit Noster additque numismata *Neronis quatuor* alia, ut videtur,

reno-

TAB. II.

Fig. 2.

Fig. 3.




Fig. 4.




Fig. 5.




Fig. 8.



Fig. 9.

Fig. 9.




Fig. 3.



Fig. 1.



Fig. 6.




Fig. 2.



Fig. 7.



Fig. 2.

renovata; Severi duo; Alexandri Severi unum; Trajani quinque; Gordiani, Magnentii, Desiderii, singulorum unum. Agmen claudunt nummi contorniatii, in quibus memoria & effigies Virorum doctorum, sive Autorum veterum exstant. Repræsentantur hic, Princeps Poëtarum, *Homerus*, 2 *Socrætes*, 3 *Sallustius*, 4 *Terentius*, 5 iterum *Sallustius* satis barbata barbatus, cujus nummi averfa præfert personas togatas tres, quarum media organon; ut videtur, hydraulicum tenet, ad dextram stante tibia, ad laevam viro se comiter inclinante. Putat ergo Noster, aut Clarissimum *Petronium Maximum* exprimi, qui *Placidis Valentiniano Aug.* offerat insigne hoc munus, aut esse artificem, qui *Petronio* inventum suum dedit; tibia artem suam damnante. Inscriptio est: PETRONI PLACEAS. 6 *Hæratius* vultu juvenili decorus addito palmæ ramusculo & floris, seu stellæ signo, e Museo Nostri prodit. 7 *Idem Poeta* ætate provectior, nec sine ruga senili; 8 *Apulejus*, 9 *Apollonius Tyaneus* delineati visuntur. Denique Noster de usu contorniatorum nummisatum & de tempore, quo percussa sunt, paucis addit, ea, non in usum moneta, sed in memoriam ludorum Circensium facta esse. Circulum seu torum, qui pleraque ambit, ad circum alludere, temporibus vero Constantinorum maximam partem illa, quæ hodie supersunt, proculsa, vel revocata existimant. Conjecturas has diversis quidem nummis confirmat, de quibus p̄ura dicere superfedemus. Enimvero, quæ supra e Dissertatione priori de IV Monarchiarum ænigmatæ, adeo ingeniose detecto, indicavimus, ad iudicium de insolita prorsus doctissimi *Havercampi* vi divinatricæ formandum, assatim sufficere lectoribus nostris poterunt.

D. F. C. C. ANNOTATA QUÆDAM AD
easdem Cl. HAVERCAMPi Dissertationes, ac de
numismate Alexandrino abstrusiore & de nummis
quibusdam contorniatii aliis

Conjecturæ.

NON equidem invideo, miror magis divinationes a Cl. Ha-

U 2

ver-

TAB. II.

Fig. 4.

Fig. 5.

vercampo, tum de abstruso illo Alexandri numismate, tum de aliis nummis contorniatis, adeo ingeniose prolatis. Nolim ego me explicandis his ænigmatibus Oedipum offerre, nec tamen facile inducar ad credendum, quantumvis perplexa sint ista antiquitatis monumenta, latere in ipsis ejus generis mysteria, qualia quidem Vir doctus credidit. Sunt enim, si quid judico, a Romanorum ingeniis moreque, quem in nummorum figuris tenuere, prorsus aliena. Symbola quidem Romanis nummis familiaria & hieroglyphica nonnulla satis novi, eaque maximam partem in præstantissimo opere *de usu & præstantia numismatum* excellentissimis harum rerum interpret & judex, *Ezech. Spanhemius*, sigillatim enarravit: sed ænigmata vero adeo recondita, & quod maximum, res ipsis Romanis olim ignoratas, velut quatuor orbis terrarum Monarchias earumque symbola sacra, figuris parum convenientibus obvolventia, nunquam ego ausim nummis Romanis affingere. Pleraque in nummis & inscriptionibus antiquis ænigmata nobis videntur, quæ suo quidem ævo aperta plana que fuerunt omnibus, nobis vero propter defectum historię, rituumque quorundam veterum cognitionem nondum satis excultam, admodum difficilia explicatu sunt atque exercendis conjectando ingeniis materiam præbent. Verum in conjecturis capiendis sectari oportet ingenium Romanis proprium moremque populi, quem in momentis rerum suarum publicis servavit, illam gravitatem prisecam, & singularem antiquitatis observantiam, quæ figuras, formas, symbola, formulas, inscriptiones sive patriis, sive peregrinis sacris, magistratibus, officiis, rebus gestis, virtutibus, artibus, foederibus, paci, bello, singulis denique rebus æterna celebritate dignis antiquitus assignatas custodite retinuit, nec Ægyptiacam rationem, ea, quæ ad doctrinam morum humanorum, aut ad artium disciplinas, vel ad historiam mundi spectant, hieroglyphicis exprimendi, maxime in nummis, unquam adscivit. Et quamvis nummorum, quos *contorniatos* vocant, ea sit conditio, ut maximam partem seculo in barbariem jam inclinato cusi, aut revocati, & ignobilius artificium & insolitas præ aliis Romanorum figuras multi reserant: ego tamen & in
his

his imitationem moris prisca ac sæpenumero publicorum nummorum repetitos typos invenio, ac in plerisque nihil abstrusi esse, nisi studio quaeratur. In obscuris veterum monumentorum igitur multa circumspicione, varia sedulaque contemplatione opus est, atque figuræ, vel inscriptiones revocandæ sunt prius & examinandæ ad ritus nobis cognitos, ex quibus aliquid luminis nancisci posse videntur, antequam ad incognita provolemus, ipsique divinemus animo, quæ veteribus in mentem nunquam venisse, posthac aliis ægre persuadere valeamus. Quodsi nulla antiquitatis cognitio ad monumentum aliquod lucem præstare videatur, desperato successu, satius crediderim divinationes antiquitatum & historię suffragio destitutas suppressere, suamque in conjectando tenuitatem profiteri, quod nec *Patinus* erudit, quam hactenus literarum intelligentibus sese deridendum dare. Jam olim clarissimus rei que nummarie peritus *Vir, Job. Henr. Eggelingius*, ad explicanda numismata illa Alexandri M. ut *Havercampus* vocat, *Patini* desiderio excitatus accesserat, datisque ad summum hunc Antiquarium literis nummos eos retulerat ad *Neronem* Imperatorem, cujus & figuram, & mores, & quævis huic Principi apprime familiaria obscuris istis adeo formis expressa credidit: quas quidem suspiciones a *Patino* erudite sollicitas alia epistola tueri ac ulterius adstruere, & omnem disquisitionem per epistolas agitaram postea evulgare nullus dubitavit. Et fateor sane quantumcunque dubiorum *Eggelingius* suspitionibus obset, ac licet numismatibus illis rectius inspectis parum conveniant, eas tamen ex antiquitate ac historia Romana depromtas eoque nomine non omnino improbandas esse. Luculenter de iisdem dictum est in *Actis* his *A. 1684 p. 38*, adjectis Celeberrimi *Felleri* olim nostri doctissimis conjecturis, quas hic loci repetere non vacat. Id e re erit memorasse, numismata hæc Alexandrina jam a *B. Felleri* tributa esse vel *Caracallæ*, vel *Alexandro Severo*, inclytis apud Historię Augustæ scriptores Magni Macedonis imitatoribus. Credo enim, ad alterutrum optima ratione hæc numismata referri. Alexandrum Severum *Lampridius* discrete testatur, *Alexandri figura nummos plurimos figurasse, & quidem electros aliquantos, plurimos vero*

aureos. Et quid vetat suspiciones, post variam antiquitatis Romanæ pensitationem horumque numismatum cum aliis collationem, meo ingenio subnatas exponere? etsi nolim tam arrogans videri, ut meliora sim doctiorum virorum conjectationibus in medium allaturus. En! *patet ingeniis campus.* Et quod *Havercampo* licuit, mihi quoque integrum fore, puto. In nummi Alexandrini prioris adversa parte certo satis mihi videor personas duas Scenicæ (quales & *Eggelingius*, licet admodum dubitanter, agnovit,) conspicari, unam virilem, alteram muliebrem. Nihil certe in his figuris, quod non personis Scenicorum Romanis exacte respondeat. Ora dum adspicis hiantia, recordare notissimi loci, quo *Lucianus* Tragedum describit: *Tragedus est homo, altis calceis, seu coturnis incedens, larva super caput, vel frontem extante, ore hiante, non secus, ac si spectatores devorare vellet.* Hinc apud *Juvenalem*:

. persona pallentis hiatum

In gremio matris pallefcit rusticus infans.

Et *Martialis* de persona Germanica:

Sum figuli lusus, Rufi persona Batavi,

Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Cumque frontem animadvertis gibberam & prominentem, præsertim in persona virili, memineris apud *Nonium* extare verba *Varronis*: *Item, Tragici prodeunt capite gibbero, cum antiqua lege ad frontis superficies.* Quo respiciens & *Lucianus* larvam *super frontem* in Tragedo extare dixit. In persona muliebri maxime conspicuus est ille capillamenti ornatus, altius super caput eminens, quem *ὄγκον* appellatum, & literæ *Λ* figuram habuisse, *Julius Pollux* scribit: *ὄγκος δὲ ἐστὶ τὸ ὑπὲρ τὸ πρόσωπον ἀνέχον εἰς ὕψος λαμβανόμενος τῷ σχήματι.* Certe figura istius fastigii clarius, quam in hoc nummo, exprimi vix potuisset, cui prorsus similem in inclyto marmore Apotheoseos Homericæ Tragedia sustinet. Sed & spiras crinium contortas atque in altum extractas satis distinctim licet agnoscere; nec magis obscuræ sunt quatuor plectæ, pone larvam muliebrem prominentes, itemque comæ infra genas diffluens. Is vero personæ muliebris ornatus non a theatro solum, sed & consueta prorsus

prorsus feminarum comam in sublime struentium consuetudine apud Romanos defunctus est, qua de *Juvenalis*:

tot ad huc compagibus altum

Aedificat caput.

Alibi *suggestum comæ* vocat. De eodem more *Apulejus* Met. II: *Quid cum frequenti subole cumulat verticem, vel proluxa serie porrectur dorso permanat?* Et *Tertullianus* de cultu feminar. cap. 7: *Affigitis nescio quas enormitates sutitium capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi in vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum.* Quodsi personas *Terentianas* a literatissima *Dacera* e vetustis membranis representatas cum hoc numismate comparare velis, dic sodes, quid est in figuris adversæ partis, quod non exacte larvis istis theatralibus respondeat? invenies ibi & capillos fronti personæ virilis, assutos, & oculos factitios, & reliqua, quæ modo descripsi. Apage igitur cum ænigmatibus *Horribilium Manducorum*, *Orientalis* illius atque *Occidentalis*; apage cum quatuor cornibus, cum pileo *Orientalium* populorum gestamine! Vides enim genuinum personarum Romanis usitarum habitum ornatumque. Sed, inquis, personæ quid in numismate? Et sane miror, præclarissimam *Spanhemii* industriam fugisse nummos, in quibus apparent personæ, qui licet numero sint exigui, observationem tamen & lucem merebantur. Sit impræsentiarum satis adduxisse nummum *Neronis*, in quo adversa caput *Imperatoris laureatum*, aversa hominem præfert, qui personam barbatam, mole satis enormem, ambabus manibus in altum extollit, quam *Panos* larvam esse, ac in nummo propter *Lupercalia* huic Deo sacra, *Nerone* præside celebrata, extare conjectat *Pedrusius*. Talis & *Sileni* persona cornuta barbataque in *Catinensiam* nummis apud *Parutani*. Item nummus *Pansa* a *Fulvio Ursino* & *Laur. Begero* aliisque exhibetur; in quo persona est, significans ludos scenicos a *Pansa* datos. Multiplex personarum apud Romanos usus, quo de satis constat, in triumphis, in ludis solemnibus, facit, ut neque in aliis nummis, neque in contorniatis, ludorum memoriæ causa percussis, signatas larvas demirer. Quid vero si peculiarem earum personarum

TAB. II.
Fig. 10.

in hoc numismate comparentium forte inveniamus? Contem-
plemur modo averfam numini faciem. Eam vero vix quisquam
antiquitatum peritus paulo diligentius inspexerit, quin illico in
figura media sedente muliebri agnoscat Reginam Isin. Est in
capite modius, solitum ejus Dæ ornamentum, abundantiae &
fecunditatis symbolum; habitu comparet stolata, ipsi certe
proprio, quo ejus, tanquam Lucæ, quacum idem credebatur
Numen, occultatio, dum Solem sequeretur, indicata fuit;
sceptrum, quod læva gerit, sublataque dextra imperium ejus in
sidera resque sublunares denotat. Idem plane habitus Isidis nosci-
tur in nummo Smyrnæorum, qui ad hunc Mensẽ Tab. II fig. 10
spectantium oculis subjicitur, excepto, quod in hoc stans dex-
traque sceptrum gerens exhibetur. Sphinges autem quid quæso
in soliti præferant, Deam origine Aegyptiæ sustinentes, & quæ
sub statua Isidis sedentis quoque visuntur apud *Boissardum* T. III
n. 57? Et Isidem curru vectam a Sphingibus duabus nummus Juli-
ani Imp. repræsentat apud *Patinum* Num. Imp. ær. med. pag.
482. Ad sinistram Reginæ cernitur figura muliebris capite tur-
rito, hastam læva tenens, dextra lauream imponens capiti Dæ.
Optime quidem laurea convenit Numini **DOMINÆ VI-
CTRICIS, ISIDIS VICTRICIS & TRIUMPHA-
LIS**, qualis in marmoribus antiquis passim celebratur. In
Smyrnæorum nummo ei lauream porrigit Victoria. Sed nostro
in numismate Victoriæ e muliere turrigera augustioris formæ
ego non effingam. Magis probabile, Deam Romanam, aut Ge-
nium Urbis esse, Reginæ Isidi honores consecrantem. Ad dex-
tram adstat figura virilis bipennem, Smyrnæorum in signe,
quod & Patinus, & alii agnovere, & de quo tot ex nummis res
certa est, gerens, eoque satis manifesto Isidis apud Smyrnæos
cultum designans. Facile jam de aris utrinque positus affirma-
verim, iis Romanum & Smyrnensem Dæ cultum indicari, &
fluviorum in alga inferius procumbentium simulacra, alterum
ad Tyberim, alterum vero ad Meletem fluvium Smyrnæorum,
variis nummis, ut Homeri, apud *Patin.* Num. Imp. ær. med.
pag. 9, & Neronis, ap. *eund.* pag. 119, per celebrem, referri de-
bere. De sacris vero Isidis Romanæ deportatis res notissima est,
eaque

eaque & præcedentibus Imperatoribus Romanis, teste *Suetonio* in *Domit. c. 12*, & *Lampridio* in *Commodo, c. 9*, & maxime omnium *Caracallæ* cordi fuerunt, quem majori longe celebri-
 tate, quam antea factum erat, & reverentia *Dæ* cultus auxisse, adeo quidem, ut sacra *Isidis* profus *Romam* detulisse & videretur, & diceretur, *Spartianus* scribit in *Caracalla, c. 9*. Quid ergo mirum, in hoc *Alexandri Severi*, aut fortasse ipsius *Caracallæ* numifmate communia Romanis cum *Smyrnæis* facta *Isidis* sacra conspici? cujus communicationis & honoris eo nomine *Smyrnæis* in publico monumento designati causa, præter alia ejus urbis in populum Romanum officia, insigne meritum fuit *Smyrnæorum*, qui primi inter *Asiæ* populos templum *Urbis Romæ* erexerant, ideoque omnibus *Asiæ* civitatibus prælati templum *Tiberii* statuendum olim impetraverant: *Tacitus* *Ann. IV, 56*. Jam id memoria repetendum, in honorem *Isidis* primos ludos scenicos, celebres illos *Megalenses*, factos semperque continuatos esse, imo vero posteris temporibus pompam tanta schematum & personarum diversitate institui solitam fuisse, ut vix alia in solempni festivitate plura simulacra & commenta larvarum conspecta sint. Meretur hanc in rem scriptor ejusdem ætatis, cujus forte hic nummus, exaudiri, *Apulejus*, *Mec. XI*. *Ecce, inquit, pompæ magnæ paullatim procedunt anteludia, votivis cujusque studiis exornata pulcherrime. Hic incinctus balteo militem gerebat; illum succinctum eblamyde copides & venabula venatorem fecerant; alius soccis subauratis, indutus serica veste, mundoque pretioso, & adtextis capiti crinibus, incessu persuo feminam mentiebatur: porro alium ocreis, scuto, galea, ferroque insignem e ludo putares gladiatorio procedere. Nec ille decrat, qui magistratum fascibus purpuræque lude-
 ret; nec qui pallio, baculoque, & baxeis, & bircino barbitio philosophum fingeret: nec qui diversis arundinibus alter aucupem cum visco, alter piscatorem cum hamo induceret.* Ex his probabilem satis personarum in hætenus descripto numifmate expressarum occasionem dilucere puto: quorum vero hominum vultus iisdem repræsententur, ut ego definiam, exigi nullo jure potest. Quodsi tamen personas *Alexandri* & *Olympiadis*, quo-
 rum

rum capita simili positu in gemmis obveniunt, & quos in scenicis ludorum apparatus istis Principes Alexandri Macedonis æmuli dubio procul non sine oblectamento singulari produxerunt, velis agnoscere, non intercedo. Neque obest deformitas illa & truculentia quædam in larvis his conspicua, cum ea vultuum forma in personis scenicis omnino usitata ac propter morem scenicum plane adhibenda fuerit. In altero numismate adverso personarum loco extat caput Alexandri, in quo Princeps ejus admirator fortassis ipse suos vultus effigurari voluit. Signum autem illud **E**, & huic alteri nummo Alexandrino & aliis contorniatibus adjectum, interpretor notam **RESTITUTIONIS**, ex literis **R** & **E** more artificum ita conjunctam, ut superior linea transversa literæ **E** fulcrum posterius in litera **R** omissum suppleat. Renovatos enim plerisque contorniatos esse, qui hodie supersunt, & artificium, quo proculsi sunt, recentius satis manifesto prodit, & nummarie rei periti testantur omnes, qui & *revocatos* sere eosdem appellare solent, quos alias *contorniatos* vocant. Novi quidem, aliam esse restitutionis notam in nummis per Trajanum aliosque Principes restitutis: sed in recentiori hoc numismatum genere eoque singulari facile novi quidquam & inusitati vel in hac etiam nota factum esse potuit. Nunc pergam, cum pace doctissimi *Havercampi*, ad alias ejus de nummis quibusdam contorniatibus obscurioribus conjecturas, nec tamen omnes attingam, sed extantiores, & de quibus monere operæ pretium erit. Quam ob causam malit Vir *CL pag. 39* in nummo septimo Alexandrino, qui aversus juvenem alatum rupi insidentem, uvam tenentem manu, veste ad pectus reducta, exhibet, ænigma querere & symbolum vitiorum, quibus Macedo gloriam rerum gestarum obscuravit, tandem ibi deprehendere, quam Daciæ Genium in rupibus suis sedentem atque insigne alterum **DACIÆ FRUGIFERÆ** uvam dextra præferentem agnoscere, ego quidem non perspicio: alæ enim & vestis pectori juvenis addita, quæ in aliis Daciæ Genio signatis nummis haud observantur, formam Genii habitumque parum inmutant. Inter numismata Neronis occurrit unum, in quo serpens est in gyros suos arrectus juxta arborem ad aram incen-

sam

fam accedens, cui prorsus similia duo inter Neronis & Trajani numismata sunt, nisi quod in ara ignis loco noscuntur in his postremis fruges. Neque in ullo eorum aliud mihi suspicari licet symbolum, præterquam Æsculapii, cujus sacra hic representantur, addita lauru, qua & ipse coronatus effingi solebat, & quæ ipsum, tanquam ejus Patri sacra, optime decet: laurus vero in secundo Neroniano satis distincte expressa est. Quid quæso horum numismatum figuris cum angue Neronis fabuloso, ad quem *Havercampus* applicat? & quid, si hoc foret, idem typus in contorniato Trajani ac in nummo alio Alexandri Severi, ubi serpenti addita inscriptio: ΕΠΙΔΑΥΡΙΟΝ, quem illustrat *Spanhemius*, Dissert. III. oper. min. pag. 183. Inter nummos Trajani est, in cujus aversa Trajanum designari credit specie Numinis marini, tanquam Neptunum Regem, indicio sceptri, quod gesset, & Delphini ad latus ei ludentis, itemque Tritonum, quos nudas istas figuras semiexstantes ex aquis esse existimat. Videtur ipsi Princeps Romanæ Reip. puppim, referentem se in mare, a scopulis longe impellere; tresque viros, qui in ipsa conspiciuntur navi, putat indicare triplicem Reip. ordinem, Senatorium, Militarem, Plebejum, qui omnes Trajanum ut Deum venerentur, maxime unus ad pronam navis sese devote inclinans. Hem! ego quidem virorum in navi renitentium gestus & vim a figura proram arripienti intentatam repellere conantium habitum facilius, (quippe & medius telum attollit,) quam venerabundorum gestus possum animadvertere. Equidem & ipse Vir doctus mutavit sententiam, postquam integriorem istius typi delineationem opportune nactus fuit, in *addendis* exhibitam, ubi expressissima imago Scyllæ, extante utero foedatæ, *latrantibus inguina monstris*, navim manu trahentis, cui egregie aptatur descriptio *Virgiliana* Æneid. III v. 424:

*At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris,
Ora exertantem & naves in saxa trabentem,
Prima hominis facies & pulchro corpore virgo,
Pube tenus, postrema immani corpore Pistris,
Delphinum caudas utero commissa luporum.*

TAB. II.
Fig. 7.

TAB. II.
Fig. 2.

In hoc typo nemo non deprehendet manifesta naufragii imminentis indicia, tabulas hominesque navi excussos in fluctibus jam natantes, viros autem in puppi proraque adhuc stantes, avertendo fatali discrimini totis viribus intentos atque occupatos. Adversa alium Principem praefert, Alexandrum Severum. Quid vero sentiendum de ratione hujus typi ad ludos Circenses spectantis reddita: sicut periti nautae esset slectere & circumagitare ratem, ne scopulis Scyllae & Charybdis illideretur, ita & auriga exercitati fuisse bene slectere, ne metam impingeret currus & ipse volveretur cum maximo periculo in terram, praemio, & quandoquae membrum & ipsa vita orbatus? Certe figura Scyllae non in solis contorniatibus, sed & in aliis Romanorum nummis obvia est, ut in illo Sexti Pompeji, in quo *Maroniana* descriptioni adeo consentanea visitur, ut illius nummi circa eadem tempora percussi interpretis divinus Poeta extitisse videatur *Spanhemio* Diss. III op. min. pag. 228. Et *Tristanus* quoque singularem nummum Tarsensium eodem monstro signatum evulgavit.

TAB. II.
Fig. 6.

Elegans & spectabilis est nummus, in cuius aversa Bacchi triumphum, tot veterum monumentis inclutum, dilucidiorum spectare licet, quam in aliis contorniatibus Trajani & Neronis. Quae in area nummi inferiore sunt capita, quorum in medio uvae botrus, se respicientia, *Havercampo* designant aut Orientem & Occidentem, ob uvarum nobile inventum a Baccho utrique Orbi subministratum, aut aeternitatem Imperii Romani, aut ludos scenicos, ut larvae dicendae sint, non capita. Verum Occidens & Oriens non se adspicerent, quin occipitium potius obverterent; magis probabile, larvae esse, quae ad Bacchi sacra & insignia pertinent, atque hinc uvae rectissime apponuntur. Notum enim, in Bacchi celebritate larvae esse gestatas, quae Penthei stragem significarent, & Baccho a scenicis jam emeritis suspensas fuisse personas. Omnino hic nummus comparari meretur cum elegantissimo sarcophago Hortano, in quo & personae illae, & alia in Orgiis Bacchicis celebria visuntur, cuius figuras & illustrationem dedimus in Actis Anni superioris pag. 63,

TAB. II.
Fig. 3.
ex *Celeb. Fontanini* Antiquitatibus Hortanis. Maximi moduli numisma Placidii Valentiniani dignum est longiori commentatione,

stione, quam qualem hæc paginæ admittunt. Bene se habet ad illam *Havercampi* suspicio, fortassis male scriptum esse in titulo Augusti: SPE pro consueto P.F. id est, *Placidia Filius*: sed & nomen *spectabilis* recte convenit Valentiniano, ut forma speciosa & venusto membrorum habitu imprimis *spectabilis* dicto. In averfa posses legere: PLATEA S. PETRI, ut *Camelus* exhibet in nummis Reginae Christianæ. Constat, quam frequens sit in nummis & marmoribus literarum C & T permutatio. Nec organon hydraulicum tam accurate expressum est, ut puteus cancellis munitus, jussu Valentiniani Romæ fortassis in illa platea erectus, non possit videri. Certe non tibiæ, sed cancelli videntur puteo circumdati, & aqua profiliens melius puteo convenit, quam instrumento hydraulico, & homines cum perticis utrinque adstantes magis aquam exantlantibus, quam organon agitantibus similes apparent. In antlias publicas condemnatorum mentio fit apud *Suetonium* Tiber. c. 51, & apud *Artemidorum* l. 2. 50. Terminus cum capite radiato vel Solis terminus, vel statua alicujus Sancti probabilius dicetur, quam follis: ecquid enim hydraulicæ machinæ, cui ventum aquæ ministrant, cum follibus? Sallustii nummus vultum Crispi barbati typo profusus absurdò exprimit, tristi morientium literarum indicio; averfa ejus pars adeo quidem abstrusa est, ut *Patinus*, qui ipsum olim possidebat, *explicare hunc, quam emisse durius esse, fastus sit*, Thes. numism. Ill. *Mauroceni* pag. 89, quo loco similem profusus Crispi effigiem barbaram in contorniato sistit cum averfa, in qua SOL ORIENS in quadriga veluti triumphans cernitur. Minus hic ausim ego, quam in superioribus. Quodsi tamen libere profitendum sit, quid *aspicer*, vix puto, quidquam hujus nummi ad Petronium Maximum spectare. Neque enim ulla, præterquam ex nomine Petronii, conjectura est, ea ætate cufum fuisse, nec aliquid isti viro Consulari aptum ex epigraphe possis exculpere, nisi *Havercampianam* explicationem velis amplecti & Imperatori, eximium munus, organon hydraulicum, acceptanti, assignere verba: PETRONI PLACEAS, quasi dicat: *Jucundus mihi sis, meritoque placeas, Petroni, muneris oblatis nomine: Du magst mir ein Ehren-Mann seyn ic. Bellulam, bellulam*

TAB. II.

Fig. 4.

tulam inventionem! Mibi videtur inscriptio hæc plane similis esse illis: URSE VINCAS, EUTYMI VINCAS, quæ in Constantini M. & in Honorii contorniatibus leguntur: & credo, fuisse Athletam quendam nobilem, nomine Petronium, quem voto & gratulatione prosequitur nummus; ut propter obtentam victoriam & in præsens & in posterum placeat. Quicquid illud rei est, quod figura media tenet, id autumo præmium esse, victori destinatum, atque tibicinem Circensem adstare laudes honorati ebuccinatûrum, quem etiam in Trajani nummo agnosco velut gratulantem Athletæ, qui ibi nudus laurea palmaque nobili gestiens, seque magnifice efferens, comitatus aia persona togata, plane ut in Sallustiano nummo, exprimitur. (Vid. apud *Havercampum* in *addendis pag. 142* indigna satis ejus interpretatio.) Verum temperandum est ingenio calamoque, ne, dum ad duas annoto, tertia de contorniatibus dissertatio evadat, cui certe non spicilegium, sed messem relictam sentio. Per multa enim elegantia & interpretem provocantia ejus generis numismata *Patinus* protulit in Thesauro Numism. Ill. *Maurocenti*, quorum ibi parca illustratione & brevi perfunctus est, quem librum certe *Havercampus* non inspexit. Et quam præstantes eosque numero haud paucos contorniatos asservat Serenissimi Ducis Saxo-Gothani FRIDERICI I nummophilacium incomparabile! quos thesauros auspiciis Sapientissimi Principis sibi recludendos incredibili aviditate pridem exoptat orbis literatus. Ceterum de origine & usu numismatum contorniatorum eorumque forma diversa mallein dicta esse a Cl. *Havercampo*, non vulgaria ista, sed propiora magisque luculenta, qualia *Patinus* passim annotavit, quæque stimulum addunt, ut ipsi fortassis aliquando periclitemur ingenii vires, si Deus ad hæc magis otia fecerit.

RICHARDI MEAD, MED. DOCT. COLL.
Medicorum Londin. & Reg. Societ. Socii, Oratio Anniversaria Harvejana. Adjecta est Dissert. de
Nummis a Smyrnaeis in Medicorum
honorem percussis.

Ex

(Lugduni Batav.) ex officina Boutesteiniana, 1725, 8 maj.
Pl. 5¹, 3 tabb. æneis.

UT pietate, qua erga bene quondam de se meritos sese teneri sēserat Londinense Medicorum Collegium, rite defungetur Autor Celeberrimus, aptius nullum poterat invenire dicendi argumentum, quam si artis ejus, quam favore atque munificentia illi sua dignam censuerant, honores, per omnem terrarum orbem certatim exhibitos, anniversaria commemoraret oratione. Neque vero difficile esse poterat maxime conspicua de amplissimis arti medicæ plurimas apud gentes ex merito tributis honoribus deprehendere testimonio. Quod enim altius apud Ægyptios conscendere potuit fastigium, cum ne Reges quidem ipsi medicinam facere, infra dignitatem suam existimaverint? Quanta vero apud Græcos ejus fuerit reverentia, præter illam Atheniensium legem, qua, ne quis servus neque qua femina medicinam disceret, cautum fuerat, florentissimæ Medicorum scholæ, quas inter Rhodia, Crotoniensis, Cnidia, Smyrnæa & Coa imprimis, ab Hippocrate, qui ex eadem prodiit, præ ceteris nobilitata, eminent, poterunt evincere.

Neque nullius argumentum est momenti sollicitum Medicorum per nūmos in eorum honorem cusos memoriam conservandi studium, quod nummus æque ex Regis Galliarum thesauro depromptus, & in fronte libelli conspicuus, Divi senis imagine a Cois signatus, ac Smyrnæenses potissimum nummi, magno in Dissert. adjecta studio Medicis ab Autore vindicati, testantur. Sed elatos tantis honorum monumentis animos facile retundere posse videbatur insignis adeo Medicinæ Romanam apud gentem contemptus, ut mancipiis illam exercendam reliquerint. Quam tamen malevolorum fabulam ita confutat, ut & parum arti salutari, si a gente bellicosa & rudi serius exulta fuerit, dedecoris attulisse ostendat, & prolata ab adversariis argumenta robore suo destitui evincat. Fatetur equidem, inter multos, qui illo tempore e Græcia Romam quæstus causa transmigrabant, nonnullos fortuna & ingenio tenues, quo facilius, quæ obflare solent peregrinis, superarent, in Patrum se clientelam contulisse, & quamvis manu potius quam medicamentis curarent,

rent, Medici nihilominus nomine assumpto, donec civitatem assequerentur, servos egisse; unde postea hanc, quod servis tantum & libertis relicta sit ars salutaris, fabulam contexendi ansam nonnulli arripuerint. Quorum in censum Autor quoque Musam Augusti Medicum præter meritum forte refert, cum & facta ejus & honores, quibus a Principe, Senatu & plebe non ipse modo, sed propter ipsum reliqui omnes Medici inactati sunt, alia quæque de ejusdem indole & conditione suadere videantur. At vero Romanos quoque illam sectatos esse, Cassiorum, Calpitanorum, Arruntiorum, Albutiorum & imprimis Rubriorum exemplo docet, quorum in nummis anguem, Dæ Salutis signum, monumentum, ut videtur Autori, familiæ sibi Medicinæ laudem vindicantis, conspicimus, quod Patinum & Vaillant, inter alias hujus signi causas longius petitas, non advertisse miratur. A Romanis ad Arabes defertur, quos apud solos fere, inter sædam reliquarum gentium barbariem, ut ceterarum, ita hujus quoque artis scientia permansit, tanti ab illis habita, ut consiliarii, imò affines Regum essent Medici, & quindecies centena milia drachmarum, docente MS. Arab. Osaibæ de vitis Medicorum, Imperatoris Medico annuo stipendio fuerint. Ad recentiora, quibus litteræ & studia efflorescere denuo per Europam cœpere, tempora dum oratione sua properat; multis equidem in terris varios artem medicam honores obtinuisse, varia itidem Collegia ejus promovisse incrementa, largitur; nusquam tamen honoratiorem, quam apud Anglos, extitisse, nullumque Collegium (quorum ipse tamen verborum invidiam deprecatur) Virorum ingenio & doctrina excellentium Londinensi Medicorum Collegio fuisse seracius, arbitratur. Inde cujus rei causa hæc præfatus erat, in Harveji & reliquorum; quibus fundum, privilegia & reditus suos debent, laudes exsurgit, posterisque illorum munificentiam, & pro conservanda Collegii gloria curam imitandam commendat. Ne vero gratis in oratione sua asseruisse videatur Cl. Autor, nummos quondam in honorem Medicorum esse percussos, in adjecta Dissert. varios Smyrnæ circa Æsculapii templum erutos, & secum a Rev. Edmundo Chishull, qui eosdem ad Medicos spectare statim suspicatus fuerat, communicatos

nicatos exhibet, & cum hactenus, si qui forte illis similes in rei nummariæ peritorum manus inciderint, expressa in illis nomina magistratum, quod Smyrnæ pariter ac aliis in Græciæ civitatibus non infrequens erat, esse existimaverint, non infelici illos conatu Medicis vindicat. Primus illorum in adversa area, caput muliebri laureatum sinit, quod, rejecta aliorum, Apollinem hic agnoscentium, sententia, Hygiæ Æsculapii filix caput Autori esse videtur. Etsi enim non male Apollo, & ipse Medicinæ Deus, ad vindicandos hos Medicis nummos, inserviret, huic tamen sententiæ & lauream, qua non Medicus sed Musagetes Apollo ornabatur, & caput imprimis muliebri obflare censet. Nunquam enim muliebrem Apollinem a quoquam Poetarum esse descriptum, meminit, licet non raro lyram tractanti muliebris habitus tribuatur. Rejicit igitur illud antiquariorum signum, quo Apollinem semper juvenem pro Apolline muliebri, aut caput ignotum pro Apollineo venditant, & Hygiæ caput esse eo magis sibi persuadet, quod Æsculapio, cum quo communem illa Smyrnæ cultum nata erat, juncta est. Siquidem averfa area: ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΖΕΥΣΙΣ: quod Medici Herophilei Smyrnæ degentis nomen interpretatur, inscripta, simulacrum Jovis Æsculapii, sedentis, caput strophio revincti, palliati, simulam, seu gladiolum chirurgicum, manu sinistra tenentis, dextram labio admoventis conspicitur. Cujus a dextro latere baculi protensi apex, ante pectus astrum eminet. Eadem & reliqui cum nummi figura exhibent, præterquam quod astrum, in hoc Zeuxidis, Iatrodori item & Athenagoræ nummis conspicuum, in Hicesii, Metrodori & omnibus, quos nactus est, Erasistrateorum nummis deficiat; unde peculiare Herophileæ forsitan scholæ signum hoc fuisse astrum suspicatur. In aliis, iidem caput muliebri, altera vero ex parte Ifidis sacra, palmæ scilicet ramus, & ex cavo ære manus sinistra deformata, porrecta palmula comparent. Tertium denique genus nummorum in adversa caput turratum matris Deorum Sipylenæ, tutelaris Smyrnæorum Numinis, & in averfa simulacrum Reginae Ifidis, ejusdem cum Æsculapio in arte medica peritiæ, exhibet. Hos itaque nummos a sacerdotibus Æsculapii & Ifidis iisdemque urbis Medicis, finitis horum numinum ludis solemnibus, cufos, se-

TAB. II.
Fig. 8.

Fig. 9.

Fig. 10.

isque nominibus, ad conservandam dignitatis suæ memoriam, signatos esse, ex Deorum, Medicinæ præsidum, simulacris & insignibus arguit. Horum denique ectypis varios ad Æsculapium, Hygiam, Telesphorum & Apollinem Medicum spectantes, qui ulla ratione uberiorem suis lucem fœnerari poterant, adjecit, & in notis multifario antiquitatis apparatu refertis uberius explicavit.

JOHANNIS MARCKII FASCICULUS DIS-
sertationum philologico-exegeticarum ad selectos
textus Veteris Testamenti.

Lugduni Batavorum, apud Abr. Kallewier, 1725, 4.

Alph. 5 plag. 3.

Qui quamplurimas jam emisit Dissertationes exegeticas, certa collectas in Volumina, quorum ultimum A. 1721 p. 237 recensuimus, is, nonnisi una cum corpore depositurus interpretandi sacri codicis studium, novum earum volumen nunc inserit bibliothecis Theologorum. More suo etiam hic exhibet Dissertationes viginti quinque, quarum *prima*, ad *Genes. XI*, vetèrem de *confusione labii Babelica* sententiam strenue tuetur, diversumque sentientes, Clericum, Heideggerum, Perizonium, Hardtium, & Viringam refellit, ac potissimum Viringæ dicta rigidum vocat sub examen. *Secunda*, ad *Genes. XIX, 24, 25*, de excidio *Sodomæ* disserit, totamque historiam doctissimo commentario persequens, illud tamen præcipue agit, ut uxoris Loti metamorphosin vindicet ab exceptionibus Clerici atque Hardtii. *Tertia*, ad *Numer. XIX*, legem de aquis lustrationis, simulque totum illud Mosis caput, summa industria illustrat, ac refutata Spencersi de origine istius legis conjectura, copiosam exhibet interpretationem hujus divini instituti typicam, ad Christum Spiritumque Sanctum applicans universa. *Quarta* Hierichuntis captæ historiam ex *Josua VI* exponit Cl. Autor, eaque occasione cum Pontificiis notat, petentes inde præsidium superstitionis suis processionibus, tum etiam Viringam, cujus collationem visionis Apocalyplicæ cum hac Hierichuntis captæ historia fundamento carere ostendit. Simul generatim monet, se prorsus dissentire ab iis, qui

qui historias veteris Testamenti ita interpretantur, ut designent ea fata Ecclesie Novi Testamenti. *Quinta* totam *Simonis* historiam persequitur, miraculaque ibi occurrentia tuetur contra audaciores quorundam conjecturas. Adjicit, quo sensu Simson haberi possit pro typo Messie, improbens tamen *Vitringæ* opinionem, qui longis ambagibus Simsonem fecerat typum Pauli Apostoli. *Sexta*, ex *1 Sam. II*, canticum *Hannæ* illustratur, iique, qui id ad fata ecclesie Novi Testamenti representanda trahunt, erroris convincuntur aliquot argumentis. *Septima*, ex *2 Sam. VII*, promissio *Davidi* per *Nathanem* facta uberius exponitur, & quomodo ea ad Messiam spectet, disputatur haud perfunctorie. *Octava* ultima *Davidis* verba *2 Sam. XXIII* lucem accipiunt. *Nonæ* ex *2 Sam. XXIII, 15*, *Davidis* votum pertractatur de bibendis aquis de puteo *Bethlehemi*, rejectisque mysticis multorum interpretationibus, censetur, votum illud *Davidis* non omnino carere peccato. *Decima* exhibetur totius *Psalmi XXI* analysis exegetica, cumque pulchre omnia, quæ hic dicuntur, in *Davidem* conveniant, statuitur, non totum hunc *Psalumum* de *Messia* agere, sed illam ejus partem, quæ *Johan. XIII, 18* inde adducitur, applicari ad *Messiam*, cujus quippe typus fuerit *Rex sanctissimus*. *Undecima* totus *Psalmus LXXXIX* eadem pertractatur methodo, & *duodecima* *Psalmus XXXII*. *Dissertatione XIII* analysis exhibetur exegetica *Jesaiæ IV, 2-6*, in cujus *Cap. VI, 1-7* commentarius proponitur *Diss. XIV*. Ac hic quidem de *Seraphim* luculenter disseritur, relatisque iis inter angelos, cum eorum sententia rejicitur, qui per *Seraphim* intelligunt *Spiritum Sanctum*, tum ii refelluntur, qui crediderunt, *Apostolos* aliosve *Novi Testamenti doctores* per *Seraphim* isto loco descriptos esse. *Diss. XV* vaticinium *Jesaiæ Cap. VII* de *Immanuele* ex *virgine nascituro* illustratur, idque in *Jesu* impletum esse, magna argumentorum vi contenditur. Cum vero hic potissimum *Judæos* habeamus antagonistas, horum objectiones copiose producuntur, nec minus studiose confutantur. *Diss. XVI* alterum *Jesaiæ* vaticinium, *Cap. IX, 5, 6, 7*, simili modo vindicatur a *Judæorum* contradictionibus. Pari industria *Diss. XVII* tractantur *Capita XI & XII* ejusdem *Prophetæ*, & postquam contra *Grotium* demonstratum fuit, omnino de

Messiã persona ac temporibus hic agi, mystici illi interpretes reselluntur, qui isto vaticinio exhiberi putant fata distincta successivorum temporum Novi Testamenti, quibus ducem se prae-buit Coccejus. *Diff. XVIII* totum *Caput XXV Jesaia* illustratur, simulque mira Cocceji interpretationes diluuntur. *Diff. XIX* & sequentibus Capita *XXXVI, XXVII & XXXV* tota elucidantur ejusdem Prophetæ. *Diff. XXII* Cl. Autor perlustrat ex *Jesaia Capite LXIII* sex priores versus, quos jam ante quinquaginta annos, quo tempore Doctoratus Theologici insignibus cohonestabatur, se publice interpretatum esse, refert. Agi hic docet de Messia, simulque diversas Grotii aliorumque complurium exegesefes accurate confutat ac diluit. *Diff. XXIII* Jeremiae vaticinium *Cap. XXIII, 5, 6* in Messiam convenire, docet: rursusque perversissimam Grotii glossam, quam vocat, conterendam suscipit. *Diff. XXIV*, ad *Ezech. X*, de *Cberubim* disseritur, defenditurque, eos esse Angelos, ac simul Viringæ & Hulsii opiniones de iis subjiciuntur examini. Denique *Diff. XXV*, ad *Danielis XII, 1 & VIII, 16*, disputatur de *Michael & Gabriele*, quorum illum esse Angelum increatum, Christum, hunc vero Angelum creatum, ostenditur erudite, labefactatis secus sentientium opinionibus.

VITRIARII INSTITUTIONUM IURIS PUBLICI, novis Notis a JOHANNE FRIDERICO PFEFFINGERO, Argentoratensi, Equestris Academiae Lüneb. Inspectore & Prof. Publ. illustratarum, Tomus III, Libri III Titulos priores exhibens.

Gothæ, sumptibus Jacobi Mevii (1725) 4.

Alph. 8¹.

ET si titulus hujus Tomi, æque ac Primi, qui A. 1712, & Secundi, qui A. 1718 prodiit, annum impressionis non præferat, patet tamen e subscriptione Dedicacionis ad Potentissimum M. Britannia Regem, GEORGIVM, eum superiori anno eo ipso tempore, quo Rex Hannoveræ commorabatur, lucem adspexisse. Cum vero de Tomo I in Supplem. Actor. Tomo VI p. 111, ubi de

de instituto operis uberius diximus, actum sit, nunc de tertio dicemus, secundum Supplementum Tom. IX Sect. II reservantes. Non repetemus Dedicationis prolixæ contenta, in qua ex omni historia ea repetit, quæ unquam Anglicæ genti gloriosa exsisterunt, adductis ubique testibus idoneis, & Rege moderno cum veterum Regum optimis apte composito. Convertimur potius ad ipsum librum, quo dum Vitriariani operis Libri III Tituli priores XVIII illustrantur, Imperatoris & Regis Romanorum, Imperiique Vicariorum, Electorum, Principum ac Statuum reliquorum, nec non ex parte immediatæ per Franconiam, Sueviam & Rhæni oras Nobilitatis, jura, privilegia, consuetudines, honores &c. ita exponuntur, ut imprimis in controversiis illustribus argumenta utriusque partis sincere recensentur, diplomata integra addantur, & in rei diplomaticæ emolumentum, tituli, nomina, loquendi formulæ in iis obvix accurate explicantur. His inseruntur subinde etiam alia data occasione, multo labore a Nostro digesta, quæ vel digito indicasse nobis suffecerit. Ita dum jura Ecclesiastica Imperatoris memorantur, de Juribus Principum Sæcularium circa sacra accurate agitur, & tum Concilia omnia ab Imp. & Regibus convocata, vel sub eorum præsidio & tutela habita, tum decreta a Magistratu politico de rebus sacris promulgata fusc recensentur. Porro cum Vitriarius asserat, jus civitatis tribuendæ soli Imperatori competere, Noster ex omnibus fere Germaniæ Provinciis urbes producit longe plurimas, quæ a Principibus, inconsulto Imperatore, suere conditæ. Aliter sentit de jure nundinarum, eoque prolixum producit Imperatorum catalogum, qui diversis Germaniæ urbibus mercatus jura concessere. De Academiis agens, quas erigendi jus penes Status, privilegiis vero, conferendi honores, comitiva Palatina Rectoribus prospiciendi, & reliquis, muniendi, penes Cæsarem esse, probat, non solum Germaniæ Academiis omnes, quibus & addita a Nostro Lugdunensis Batavorum, verum & Gymnasia & scholas illustriores accurate describit. Acta deinde noni Electoratus pleraque inseruntur. De fœderibus Statuum Imperii cum exteris ubi agit Noster, exempla inde ab Ottonis M. temporibus studiose conquistata producit longe plurima. Pariter quibus jus

p. 5-47.

54-74.

146-164

167-192.

227-245.

274-282.

400-433.

p. 459-477. eudendæ monetæ in Imperio concessum fuerit, tum quæ vectigalia 486-508. & quibus locis instituta, quique a vectigalibus Imperatorum Gratia 509-516. exempti, tum qui banno Imperii subjecti fuerint, longa exemplo- 518-552. rum serie docetur. Quæ ratione directorii inter Evangelicos inde 935-956. ab A. 1523 usque ad 1718 gesta sunt in Germania, insertis ubiq; Actis publicis, non minus copiose traduntur: quibus succedunt, quæ de 957-970. prærogativa & munere vexilliferi, inde ab A. 1040 in Germania 1010-1027. illustri, notanda sunt. Elegans quoque est tractatio de insignibus in sigillis maxime Regum ac Principum Germaniæ conspicuis; & 1054-1119. ubi de superioritate territoriali agitur, vastus nectitur eorum ca- talogus, qui eam Principibus, urbibus, monasteriis solenni for- 1160-1175. mula concesserunt. Simili ratione exhibetur Catalogus eorum 1176-1193. Imperii Statuum, qui jure de non evocando, vel de non appellan- conf. p. 670- do gaudent. Lectu denique jucunda sunt, quæ Cl. Autor de jure - 677. venationum clero & laicis inde a Caroli M. temporibus usque ad 1363-1388. Sigismundi Imp. ætatem concessio collegit; ut cetera taceamus, quæ imprimis de falis & argenti fodinis subjiciuntur.

Quodsi singularia passim obvia commemorare luberet, non deessent longe plurima. Legi merentur, quæ de Jure Stapulæ Lipsiæ nostræ concessio p. 205, de tempore, quo prænomen *Nor* Diplomatum præfigere consuevere Proceres Germaniæ, a p. 989 ad 997, de titulo Excellentiæ p. 1006 sq. de Archivo Imperii p. 1199-1205, de Ducatis eorumque valore in Imperio p. 1228 observavit Cl. Autor. At hæc aliaque longe plura prolixius edif- fere, in tanta novorum librorum copia, non licet. Ceterum restare adhuc videtur operis utilissimi Tomus unicus, quem ut pari felicitate absolvat Celeb. Autor, etiam atque etiam & vel eo nomine optamus, quod illi accessurum speramus indicem, qui in hoc quidem Tomo III, in nimiam molem excurrente, adhuc desideratur.

Schauplay der Hebzzeuge ic.

hoc est:

THEATRUM MACHINARIUM, AUTORE
JACOBO LEUPOLDO, Mathematico & Mecha-
nico

nico, Potent. Regis Polon. & Elector. Saxon. Consiliario
& Commissario rei metallicæ, diversarum Societa-
tum Scientiarum Membro.

Lipsiæ, sumptibus Autoris, 1725, fol.

Alph. 2 Tabb. æn. 56.

CL. Autor in hoc Volumine illas machinas delineat, quarum ad
onera elevanda & deportanda usus. Præmittit versionem
Germanicam Discursus eruditi, quem A. 1580 Argentorati in 4
edidit *Conradus Dasypodius*, sub titulo *Heronis Mechanici*.
Ipsam tractationem orditur a descriptione variorum modorum,
quibus cum homines, tum bruta onera ex loco uno in alterum
transferre solent. Quoniam vero hic etiam usus est vulgo sic di-
ctarum potentiarum mechanicarum. vectis scilicet, trochlea-
rum, axis in peritrochio, plani inclinati atque cochleæ, brevi-
ter quoque repetit principia statica, quæ in libellis de Mecha-
nica conscriptis vulgo traduntur, & a Nostro in Theatro Machi-
narum generali variis experimentis confirmata fuerunt. Pro-
greditur inde ad cylindros eorumque usum in transvehendis one-
ribus. Describit ex Vitruvio machinam *Ctesiphontis*, qua is co-
lumnas ad templum Dianæ Ephesinum adduxit. Eidem jungit
machinas alias agnatas, quibus saxa prægrandia ex lapidinis
aliorum promoventur. Agit hic etiam de curribus, & quid in
eis sit emendandum, nec non qua ratione viæ publicæ reparan-
dæ, docet: ubi etiam *Gæmervianos* de emendandis curribus me-
ditationes communicat, & quid sibi de iisdem videatur, candi-
de exponit. Describit varia curruum genera diversis usibus de-
stinata, una cum trahis, & ultimo loco machinas *Perraltii* ex
ipsius opere posthumo de pluribus machinis noviter inventis re-
præsentat, quibus absque frictione pondera elevantur, quartam
tribus jungens ex Notis ad *Vitruvii* versionem Gallicam. Mul-
tiplicem tradit vectis usum in ponderibus loco movendis, quem
Nosler ob frictionis defectum commendat. A vecte progredi-
tur ad fuculam, cujus multus in metallifodinis usus est. Va-
rias describit machinæ hujus species, & inter alia docet, quomo-
do saxa 700 vel 800 librarum & amplius ex lapidicina in urbem
Parisi

C. 1.

2.

3.

4.

5.

6.

- Parifiorum ope hujus machinæ fuere traducta, ibique in altum elevata, ex *Perraltiana* versione *Vitruvii* Gallica. Docet etiam ejusdem machinæ usum in navibus submersis ex fundo maris ad ejus superficiem adducendis & tormentis submersis ex aqua educendis.
- C. 7. Inde ad geranium sese confert, cujus in ædificatione ad elevanda pondera & in mercibus ex navibus onustis deportandis multiplex describitur usus. Geranio succedit polyspastus, qui egregium prorsus in attollendis ponderibus præstat usum, & cujus vires juncta fucula augentur. Hactenus descriptæ machinæ sunt pleræque simplicis admodum constructionis, nisi quod subinde fulcra non adeo simplicem requirant apparatus, ut convenientem nanciscantur firmitatem. Sequuntur varia machinarum genera ex rotis dentatis constructa & varia virium motricium applicatione agitanda. Et si enim omnes machinæ ita sint comparatæ, ut ab hominibus agitari queant, constat tamen, non unum eundemque esse modum, quo id vel manibus, vel pedibus, vel totius corporis pondere fieri possit. Explicatur porro cochlearum pro attollendis ponderibus maximis, sed ad exiguam altitudinem usus, quem cum communes, tum etiam perpetuæ exerunt. Et cum in obeliscis erigendis emineat artificium, quo usus est *Dominicus Fontana*, obeliscum *Vaticanum* erecturus, igitur Noster idem accurate describit, nec minus accurata delineatione illustrat. Subjungit descriptionem machinæ alterius, cujus ope *Franciscus Cavall. Fontana* columnam *Antoninianam* A. 1705 Romæ erigi curavit. Varias quoque delineat machinas, quibus homo semet ipsum ex loco humili in altum elevare, vel etiam vice versa ex alto in humilem demittere valet. Addit machinam vesicariam admodum curiosam, quæ sufficit ad 300 vel 400 librarum pondus solo aeris flatu a duobus hominibus elevandum; machinam aliam valde simplicem, qua pondus aere attollitur, embolum in cylindro evacuato deprimente; machinas denique nonnullas miscellas antea descriptis agnatas. Et quoniam in ponderibus elevandis humana utimur opera ad machinas agitandas, Noster colophonis loco disquirat, quantæ sint vires unius hominis in ponderibus attollendis. Ait itaque, sese reperisse, hominem robustum intervallo unius minuti absque ullius machinæ ope pondus

177
 dus 100 librarum ad 60 pedum altitudinem elevare posse. Quamobrem cum virium compendium cum temporis dispendio jungatur, inde infert, eundem intervallo unius minuti pondus 202 librarum non nisi ad altitudinem 30 pedum attollere valere & ita porro.

Johann Christian Schulenburgs unvorgreiflicher
 Vorschlag zur Vereinigung der
 Festzeit etc.
 h. e.

JOH. CHRISTIANI SCHULENBURGII
*Consilium de conciliatione diversorum celebrandi
 Paschatis institutorum.*

Francof. & Lipsiæ, apud hæredes Wolfg. Maur. Endteri, 1724. 4.
 Alph. 1 plag. 4, cum variis tabulis chronologicis.

Autor doctissimus, in celebri Gymnasio Bremensi quondam juventuti instituendæ præfessus, post vero Wildeshufen- sis ac nunc Zuakenbrugen- sis Pastor & Ecclesiæ minister, tractatum hunc occasione Festi Paschalis anni 1724, diversimodè a Protestantibus Germaniæ ac Pontificiis celebrati, concinnavit; ea methodo usus, ut sententiam suam brevioribus positionibus proponat, ejusdemque illustrationes atque explicationes prolixiores jungat, quibus ipsis & notæ alicubi locorum novæ & prolixæ subjectæ existunt. Atque in his quidem quamvis, interjectis satis multis digressionibus, crebrisque parenthesis & minutissimarum quandoque circumstantiarum evolutione; multiplicem lectionem atque eruditionem non minus Mathematicam quam Rabbini- cam demonstrare conatus sit; nos tamen de stylo atque metho- do Autoris judicium nostrum non interponentes, omillis etiam illis, quæ cum aliis circa negotium chronologicum commu- nia habet, brevi saltem ac nervosa recensione exhibere conabimur, quo scopus & consilium ejusdem præcipuum spectet. Exhibetur vero illud thesi VII, estque duplex atque alternativum. Pri- mo enim suadet, loco diei variabilis atque mutabilis, quem hactenus secundum Nicænorum Patrum decreta observamus, & mul- tis difficultatibus esse obnoxium, multisque controversiis occasio-

nem dedisse deprehendimus, certus aliquis & fixus dies nempe vel 1 vel 5 Aprilis dies (ex rationibus ibi allatis) vel aliquis alius ex iis, qui jam veteribus quibusdam placuerint, præfigatur atque determinetur celebrationi Paschalis Festi. Ad quod institutum commendandum non solum affert Protestantium quorundam Virorum celeberrimorum, & Romano-Catholici, Thomæ Pii Maphæi, consensum, verum & imprimis urget ex Celeberrimi Wideburgii Prof. Jenens. Dissertatione repetita 4 incommoda insignia, ex sola differentia meridianorum & temporis inde fluentis orta, quæ impediunt, quo minus quibusdam in casibus omnibus requisitis, quibus Nicæni Patres hujus Festi celebrationem circumscribere in animum induxerunt, satisfieri possit. Quod si vero hoc consilium non placeat, aliud subministrat: scilicet, cum prius dubitasset, utrum, cum Judæi nullum plane respectum habeant ad rationem Christianorum celebrandi Paschatis, bene faciant Christiani, ad celebrationem Paschatis Judaici respicientes; observassetque ulterius, nullo modo evitari posse, quin concurrat sæpius celebratio Festi hujus Judaico & Christiano ritu facta, quod ipsum ex intimis recessibus traditionum Judæo-Rabbinicarum circa hoc Festum observatarum probat; autor est suaorque, ut Protestantes in simili casu, qualis anno 1724 fuerat, potius Catholicis cedant, & cum protestatione quidem, se nullo modo ad optare cyclicum morem determinandi Paschatis, tamen ritu Catholicorum Pascha 8 diebus tardius, quam Astronomicæ regulæ & Canones Nicæni Concilii stricte observati permittant, celebretur: saltem ut confusiones in vita communi & Dialecticis ex diversa celebratione dierum oriundæ hoc modo tollantur. Ostendit tamen, immerito objectum a quibusdam fuisse Protestantibus, ipsos nuperrimò elapso anno 1724 Pascha suum una cum Judæis (qui semper, cum Plenilunium horis pomeridianis contingit, non ipsum diem, quo idem observatur, sed proxime sequentem feriatum habeant) celebrasse, quoniam idem sæpiissime a Gregorianis quoque factum atque impofterum fieri necesse sit, nec evitari possit, quin ipsi primarii dies feriati Judæorum & Christianorum subinde concurrant. Nisi forte & hæc regula introduci queat, ut etiam in Veneris atque Saturni diem

inci-

incidente Plenilunio, Paschatis celebratio differatur in Dominicam, quæ octiduo a proxime sequenti removetur, quia Iudæi duos semper dies pro primariis festivitatis celebrandæ habeant, atque adeo, plenilunio incidente in pomeridianum tempus diei Veneris, ipsi Saturni diem sequentem & Dominicam tanquam verum Paschatis diem observent. Quod quidem Nostri consilium quomodo se Protestantium Principibus sit commendaturum, nostrum non est definire. Illud vel obiter notamus, Cl. Autorem passim nonnulla lectu non injucunda interferere, ut de anni tempore, quo mundus creatus sit (scilicet respectu nostri hemisphærii borealis) ubi Auctori placet vernum; de generali Judæorum conversione ad fidem Christianam, quæ admodum probabilis & fere demonstrata ipsi creditur, & quæ sunt alia. Hoc dissimulare non possumus, præcipuum operi decus accessisse a binis epistolis Leibnitii ad doctissimum Autorem scriptis, & in fine annexis; in quibus non tantum de Arithmetica sua dyadica ejusque præstantia & usibus, sed & de aliis physicis, de natura substantiæ, temporis, spatii, item motu elegantissime more suo philosophatur.

Anatomische Tabellen etc.

hoc est,

TABULÆ ANATOMICÆ CUM ANNOTATIONIBUS & FIGURIS æRI INCISIS, IN USUM TYRONUM ANATOMIÆ EDITÆ A IOHANNE ADAMO KULMUS, Med. Doct. ejusd. & Phys. Prof. Publ. Ord. ac Imper. Acad. Nat. Cur. Sodalis.

Godani, apud Cornelium von Bergem, 1725, 4.

Plag. 12 Tabb. zn. 10.

CL. Autor in usum auditorum suorum A. 1722 edidit Compendium Anatomicum, in quo omnem corporis humani anatomiam in 28 tabulas succinctas digessit, ut diffusum hoc studium magno memoriæ subsidio tractari, brevique temporis spatio idea structuræ corporis humani distincta & quantum ha-

tenus datur, adæquata acquiri possit. Scripsit idiomate patrio, ut Chirurgorum quoque usui esse possit. Quamobrem cum multo applausu fuerit exceptum Manuale Anatomicum adeo utile, ut intra triennium altera editione fuerit opus; in usum potissimum Chirurgorum exterorum annotationes addidit, quibus ea explicantur, quæ in Tabulis brevitate gratia omitti debuerunt. Præmisit non modo recensioem celeberrimorum in re anatomica scriptorum; verum etiam inventores passim laudat & eorum scripta citat. Tabulæ, quæ nonnisi tribus plagulis constant, una cum titulo libri ac præfatione, charta augusta sunt excusæ; annotationes autem ordinaria, ut nonnisi octo columnarum plagulam adimpleant. In Tabulis æneis operam dedit, ut omnia probe distingui possint, servata similitudine cum suo prototypo. *Verheyen* Anatomiam tyronum captui parum respondere existimat ob prolixitatem; *Cel. Heisteri* compendium vero ob figurarum defectum. Cl. Autor non inodo prolixitati & figurarum defectui mederi studuit, verum etiam Tabulas suas ea ratione adornavit, ut formandis notionibus distinctis singularum partium corporis humani atque totius corporis ex iisdem compositi optime inserviant.

DESCRIPTIO ANATOMICA PHYSIOLOGICA alicujus fetus monstrosi; cui adjicitur observatio viri cujusdam aqua suffocati; quorum cadaverum singulas partes præternaturaliter constitutas debito modo exponit atque ulteriori eruditorum disquisitioni submittit

IOANNES ADAMUS KULMUS, Med.

Doct. atque Imperial. Acad. Nat.

Curios. Sodalit.

Gedani, typis Viduæ B. Joh. Danielis Stöllii, 1724, 4.

Plag. 6½ Tabb. æn. 3.

Monstrorum descriptiones anatomica multam lucem affundere possunt doctrinæ physiologicæ arduæ ac difficillimæ de generatione hominis. Quamobrem optandum foret, ut

tot

tot proflarent, quot passim monstrorum quoad formam externam descriptiones. occurrunt. Utilitatis hujus non ignarus Cl. *Kulmshur*, Medicus Gedanensis, Anatomicus industrius, nuper ad Professionem Medicam & Physicam in Athenæo Gedanensi admotus, cum anno 1724 d. 15 Febr. obstetrix quaedam in suburbio Gedanensi monstrum bicorporeum sexus femini ex matre mortua rescuisset, a Magnifico Praefensule Dn. *Ioanne Godofredo a Diesseldorf* obtinuit, ut idem cultro anatomico subicere liceret. Erat istud simplicibus secundinis obvolutum & ab humeris umbilicotenus invicem coalitum, ab umbilici autem termino utriusque gemelli abdomen usque ad pubem distinguebatur separatim. Capita erant duo, quatuor brachia, totidemque pedes, & locis consuetis duo ani geminaque genitalia muliebria apposita. Singulae partes optime erant efformatae & magnitudo binas natas 4 vel 5 menses adultas mentiebatur. Crispi capilli, colore fusci, prolixi pollicem latum multo excedebant. Alterum caput collo perquam flaccido nectebatur & proprio pondere facile ad humerum sinistrum reclinabatur. Cuticula in variis corporis & artuum regionibus admodum erat dilacerata. Dux in utroque monstri latere mamillarum papillulae, in uno remotiores a se invicem, in altero sibi propinquiores, ut duo gemellorum corpora sibi mutuo prope pectora coaluisse viderentur. Aperto abdomine in conspectum prodibant vasa umbilicalia simplicia, at insignia: vena umbilicalis, ubi sinum formaverat amplum, convenienter ab umbilico ad hepatis fissuram medianam excurrerebat, geminis ad latera arteriis stipata: urachi gemini clausi binis vesicis urinariis & duae arteriae umbilicales ramis iliacis utriusque individui vicinis iungebantur justo loco ad vesicarum latera interna, ita, ut dextra arteria ex iliaca sinistra & sinistra ex iliaca dextra emanaret. Hepar erat unicum, quantitate tamen continua duorum disjunctorum molem refarciens. Vesiculas felleas duas separatas & duas pariter recepit venas in sinum suum hac vice duplicatum, qui *Porta* appellatur. Duplices haec venae portae unicam saltem formabant sinuosam cavitatem in hepate variis ramis substantiae hepatis annexam, cujus bini ductus venosi san-

guinem ex vena umbilicali allatum duabus venis cavis infundebant; his transitum concedebat hepar, unicuique in quolibet latere, quibus æque ac tribus ligamentis suspensoriis diaphragmati alligabatur, uno anteriori ordinario, reliquis duobus lateralibus peculiaribus. Ligamentum ordinarium ab umbilico extortum usque ad ultimum ventris terminum excurrerat & septum quoddam unicuique abdomini intermedium constituebat, quo cuncta eorum viscera suo limite coercerentur. Ventriculi erant duo, sed admodum parvi, quorum œsophagi justo longiores utrumque hepatis latus sub diaphragmate ambibant parum reflexi. Duplicia quoque intestina, septo ligamenti hepatis intermedio separata. Tenia juxta ac crassa mesenterii suis propriis annectebantur, quorum diametrum diversam appendix vermiformis debito loco distinguebat. Reliqua abdominum viscera pariter duplicia debito loco, situ & figura conspiciebantur. Simplex saltem observabatur diaphragma satis robustum, utrumque abdominē a thorace dirimens. Ambitus ejus quaquaversum musculosus utriusque puellæ costis spuris adhererat, centrum vero tendinosum hepar sustentabat ea parte, qua abdomen respiciebat; altera, quæ thoracem spectabat, pericardio juncta, mediantibus quatuor tendinibus lumborum vertebriis annectebatur, per quorum divaricationes transitus patebat duabus in primis arteriis aortis; uterque œsophagus & ambæ venæ cavæ quatuor in locis septum hoc transversum perforabant. Receptaculorum chyli, ductuum thoracis aliorumque vasorum chyliiferorum vestigium sollicitè perscrutanti patebat nullum. Cor erat unicum, latum ac depressum, vasculis coronariis ornatum & valido pericardio inclusum. Quatuor adjectæ erant auriculæ: superius post cordis basin duarum eminebant auricularum apices; reliquæ duæ in aversa cordis parte conspiciebantur integræ, quarum dextra etiam in anteriori parte sub venæ cavæ dextræ trunco parum prominebat. Vasa cordis communia pariter duplicia. Duæ arteriæ magnæ ad cordis latera & utriusque puellæ spinam dorsi reflexæ; duæ venæ cavæ sub cordis utroque latere prorepentes sese occultabant; duæ arteriæ pulmonales, binis aortis per canales arteriosos junctæ,

Totidemque venæ hujus nominis sub venarum cavarum truncis superioribus ad pulmonum substantiam lateraliter incurvatae glandulis thymi arcto nexu adhaerebant. In corde transversum dissecto reperiebantur duo septa intermedia, longo intervallo a se invicem distita. Dextrum erat integrum; sinistrum vero uno amplo foramine ovali, quod pennam anserinam majorem facile admittebat, pervium. Tres distinguebant ventriculos. In dextrum hiabat uno foramine vena cava dextra, alterum orificium dabat principium arteriæ pulmonali dextræ. In medio ventriculo erat egressus aortæ dextræ & sinistrae una cum infertione venæ cavæ dextræ & sinistrae. Ex tertio denique nonnisi arteria pulmonalis sinistra egrediebatur. Utraque vena pulmonalis tantum in auriculas superiores hiabat, et hæc rursus in inferiores. Utraque aorta ac vena cava ad monstri utramque partem sursum ac deorsum solitis ramificationibus extendebatur. Mediastinum quadruplici constabat membrana, quarum duæ breviores, ast validiores, cor cum incurvato sterno in anteriori & posteriori corporis parte necebant; reliquæ duæ latiores idem viscus spinis dorsorum alligabant & utrosque pulmones in duas partes æquales dividebant, ita ut anteriores solummodo in primum conspectum venirent, posterioribus sub mediastinis prædictis lateralibus occultatis. Utrique pulmones in 6 lobos minores justo profundius fissos dividebantur, quorum portiunculæ abscissæ in aqua subito fundum petebant. Duæ erant glandulæ thymi insignes, duæ tracheæ. Cerebrorum partes optime erant formatae. Plurimi muscoli naturaliter erant conformati, in utroque autem abdomine deficiebant omnino muscoli recti, pyramidales & ipsa lineæ alba, tam antrosum, quam retrorsum, quorum tamen vicibus fungebatur novus quidam musculus triangularis, reliquorum trium abdominis musculorum tendinibus ab umbilico ad ossa pubis firmiter annexus: in collo muscoli sternohyoidei ac sternothyroidei aliam sortiebantur infertionem, non in utroque, ut assolent; sed in uno saltem sterni latere proxime ad claviculas proprias. Denique musculus digitorum pedis flexor profundus nullibi perforabat sublimem, quales tamen perforationes in flexoribus manuum

completæ videbantur. Sternum maxime erat difforme, in continua seriè ad utrumque latus incurvatum. Tota fere ejus substantia adhuc cartilaginea continebat quinque ossicula; 4 in parte anteriori, unicum in posteriori. In omnibus cranii suturis plura quam 30 ossicula triquetra reperiebantur, & in osse frontis diviso ac ossibus sincipitis atque occipitis fibrosæ striæ radiorum instar quaquaversum excurrentes. Ceterum notatu dignum, quod in lingua ductum salivalem novum a Cl. *Vatro* inventum perquisiturus Autor, incidit in ductum salivalem, quem eodem die 18 Febr. quo primum cultrum anatomicum monstro admovit, peculiari scripto Halæ publicavit Cl. *Coschwitz*, cum aliqua tamen differentia. Absoluta descriptione anatomica exacta, Noster digreditur ad disquisitionem physiologicam de generatione hujus monstri; sed non nisi in conjecturis acquiescit, quas nemini obtrudit. Dissertit deinde de ejusdem nutritione & circulatione sanguinis, tandemque de vita ipsius. Missis istis annotamus memoratu digna, quæ in altera observatione de viro quodam aqua suffocato occurrunt.

Ventriculus erat omnino flaccidus & clausus, spiritum vini adustum vilioris notæ paulo ante mortem haustum redolens. Apertus paucissimum tantum liquoris reddebat. Aperto thorace pulmones aere quidem, ast nulla plane aqua distendebantur, contra vulgarem sententiam. Cor erat prægrande, inferius depressum, non conis sed cunei-forme, cordibus phocarum simile: aortæ diameter duplo major quam alterius hominis, crassitie sua venam cavam facile superans. In ventriculo cordis sinistro sub valvulis venæ pulmonalis infixus erat substantiæ carnosæ calculus; transversum pollicem longus hujusque quartam partem latus. In capite sinus frontalis unicus & cranii ossa crassissima, adeo ut cavitas cerebri vix libram unam & semis caperet, quam alias 4 libras capere deprehendit. Suturæ cranii fere obliterate videbantur & in bregmate juxta futuram sagittalem multa foraminula suturarum vices gerebant. Cerebri substantia mollissima a sero ibidem copioso stagnante fere diffuebat: in anterioribus ventriculis videbantur striatorum corporum tractus, justo crassiores, minus tamen distincti; in tertio

ventriculo primo adpectu glandula pinealis nulla, neque nates, nec testes reperiebantur, sed crassa saltem membrana per ventriculi fundum extensa, sub qua glandula ista latebat, verum tam exiguae molis, ut quartam justae dimensionis partem haud aequaret. Vulva erat amplissima, pari membrana obducta. Nates & testes nec sub membrana occurrebant. In utraque oculorum orbita duplex cernebatur musculus trochlearis diversi principii per duplicatam trochleam; duplex quoque musculus Zygomaticus; geminus musculus patientiae, ratione insertionis & magnitudinis distinctus, & peculiaris quidam novus inter musculum splenium & complexum, capite gracilis, ventre largus, longo autem tendine duplicato primis vertebrarum dorsi spinis infixus. Ramus quidam venarum lumbarium sinistrae venae spermaticae sese associabat, quod nullibi adhuc se legisse, observat Autor. Sterni medium largo foramine erat perfossum, cum duplici cartilagine ensiformi; tres ultimae costae spuriae cujusvis lateris in abdominis musculis relictae; cuncti superiores dentes molares deficiebant, nullo vestigio apparente, quod adfuerint; processus pterygoideus sinistri lateris internus styloideus in modum prominebat; bina erant ossa sesamoidea in ultimo pollicis pedum articulo atque exiguum aliquod in carpi osse cotyloide.

LETTRES DE MR. DE ST. ANDRE A QUEL-
ques uns de ses Amis au sujet de la Magie, des Malefices
& des Sorciers.

h. e.

DN. DE S. ANDREA, CONSILIARII ET
Medici Ordinarii Regii, Epistolae ad amicos quosdam
datae, de Magia, Maleficiis &
Incantatoribus.

Lutetiae Parisiorum, apud Robert. Marc Despilly, 1725, 12.
pag. 19.

UT praesentes literas publici juris faceret Clariss. Autor,
non solum suaserunt amici, ad quos exaratae sunt, sed &
A a ipse

ipse necessarium iudicavit; siquidem ex his homines, qui prompte nimis diabolo adscribunt, si quid contingere videant, cuius causam pro intellectus imbecillitate assequi non valent, meliora edoceri, & personæ Ecclesiasticæ pariter ac Iudices, & Medici discere possunt, ut data occasione sese gerere debeant. Religioni etiam interesse putat, erroribus popularibus sese opponere in rebus, quæ eam essentialiter concernunt, & tacite ad superstitionem, impietatem, vel idololatriam ducunt. Divinitati enim insultari, si diabolo concedatur absolutum imperium in elementa, vel tempestates pro lubitu mutandas, potentia tonitrua excitandi, terræ motus, inundationes, incendia patrandi, fruges corrumpendi, homines æque ac animalia interficiendi, regna evertendi, quæ omnia non nisi Deo tribuenda. Ad idololatriam populo viam aperiri, si præ metu, quo percutiuntur, cultu intelligentias has venerentur, qui ipsis non competit. Religioni vim inferri, si dicantur incantatores in conventibus suis sabbathicis cacodæmonem adorare, sacrum chrisma & baptismum ejurare, ac Iesu Christo ipsiusque ecclesiæ renuntiare. Naturæ etiam angelorum contrariari, si usque adeo deprimatur diabolus, ut jumenti loco inserviat maleficis, pro vehendis illis per aera, ex una provincia in alteram, super maria transportandis, ut fervorum instar mandatis mancipiorum suorum sint obedientes, resque ineptas & vilissimas quandoque peragant. In his igitur Epistolis, quarum XII numerantur, inquirunt in causas effectuum extraordinariorum, demonstratque, nihil sæpe commercii ipsis intercedere cum cacodæmone, & omnia, quæ huic adscribuntur, esse vel naturalia, vel ficta, nisi in veteri aut novo Testamento asserta, & per ecclesiam confirmata fuerint. Exposita itaque Magiæ veteris seu sapientiæ differentia & magiæ illicitæ, in specie agit de pacto, conjuratione, maleficiis per figuras cereas, philtrea, ligaturas, injecta, de obsessionibus, incubis, succubis, modo detegendi autores maleficos, de conventibus sabbaticis, aliisque, & in his omnibus diabolum non concurrere, sed dependere effectus vel ab arte, vel a natura; subesse ignorantiam, vel præconceptam opinionem; concurrere casum, & imaginationem tam incantatoris, quam incan-

incantati, tradit. Ut ex tanta sarragine unicuique tantum exemplum allegemus, figuras cereas frequentius adhiberi dicit a maleficis, hominibus noxam illaturis, & plenos esse Poetarum & Historicorum libros ejusmodi relationibus. Allegat ex Hectoris Boethi Historia Scotiae Duffum, Regem, qui incognito morbo affectus, febre lenta detentus, sudoribus emaciatus & tantum non moribundus visus fuit, refertque, binas feminas maleficii suspectas & carceri traditas, crimen falsas, sepositisque figuris, quibus illae abufae erant, in loco temperato, Regem a sudoribus liberum, sensim refocillatum, & ex orci faucibus ereptum fuisse. Provocat insimul ad Campanellam, qui dolores acutos hominibus concitari posse, pro certo habet, per easdem ceremonias & imprecationes circa certa vegetabilia & animalia factas, quae cum figuris cereis fieri solent. Existimat autem Clariss. Autor, effectus, qui verbis, characteribus, & ceremoniis maleficorum adscribuntur, supponi tantum, non vero revera tales esse, alias nullum hominem de vita securum, & si qui alii, certe Principes, eorumque Ministros & Judices vindictae expositos esse illorum, quibus favere vel nolent vel non possent. Historiam Duffi, Regis Scotiae, apocrypham videri, utpote quam Boethus vel ex communi rumore recensuerit, vel ex documentis, parum fidei merentibus, probaverit; nullumque praeter eum alium extitisse autorem, qui ejus mentionem fecerit; immo eum sibi met ipsi contrariari; si enim feminae illae Regem occidendi animum habuissent, imaginem igni potius commisissent, quam permisissent, ut a magistratu tolleretur: nec Campanellam ipsum credere, effectum semper intentioni respondere. Posito autem, noxas inferri hominibus tali modo a maleficis, diabolum tamen ad hunc actum concurrere, negat, & sequenti potius modo rem succedere posse, credit. Spiritus, inquit, qui exhalant ex corpore incantatoris eo tempore, quo nocere homini intendit, a phantasia circa ideam interimendi hominem & vindictae cupiditatem occupata, adeo maligni & deleterii evadunt, ut propter turbas in sanguine, spiritibus & humoribus motas & propter actionem suam efficacem, quam in partibus, quibus adherent, nobilibus exerunt, morti trade-

re queant homines. Exhalationes enim hæ cum effluviis a cera prodeuntibus & ab igne calefactis unitæ si ad hominem perveniunt, dolores & cruciatus excitant, plus minus atroces, quo propius adstat vel remotior est homo ab incantatore, quo detiores sunt vapores vel benigniores exhalantes, vel quo majori minorive præditus est sensibilitate æger. Imaginatio etiam ipsius ægri sæpe multum operatur circa hoc negotium, qui, quando semel incantatum se esse credit, raro hanc deponit opinionem, nec vel validissimis remediis curari potest. Ex quibus concludit, omnia naturaliter & sine ope diaboli procedere.

JO FRID. WUCHERER, PHYS. DOGM. IN
Acad. Jen. P. P. Institutiones Philosophiæ Na-
turalis eclecticæ.

Jenæ, litteris & impensis Christ. Fr. Buchii, 1725, 8.

Alphab. I

Edidit iam ante aliquot annos Compendium Philosophiæ naturalis Clarissimus Autor, quod *Delineationem Physicæ æt-
ernæ* inscripsit. Sed tum quidem in Parte generali subsistit. Nunc pro Parte speciali novum plane Tractatum in lucem emisit, quo *Philosophiæ naturalis lineas et ratione cognatas tradit, ut vix quidquam omisisse sibi videatur eorum, quæ ad illius exhibendam faciem pertinere possint.* Præmissis enim principiis, ad præparandum intellectum necessariis, *Cosmologiam, Uranologiam, Geologiam, Meteorologiam, Mineralogiam, Phytologiam, Zoologiam & Anthropologiam* exponit, multumque in hoc operæ a se confutum memorat, *ut rerum a varietate, numero, viribusque commendabilium essentiam, proprietates, & quæ sunt alia, quæ posset, perspicuitate declararet, multaque suppleret, quæ opinione anticipata occupati Scriptores plerique omiserunt;* quanquam circulos quidem & lineas Mathematicas plane negligit, quibus nonnulli autores replere omnia consueverunt, in iis etiam doctrinis, ubi forte carere his subtilitatibus (juxta Cl. Wuchereri sententiam) potuissent. Divisit totum tractatum in Partes duas, generalem alteram, alteram spe-
cia-

cialem. In parte generali docet, mundi machinam incomparabilem neque æternam esse, nec casui, nec viribus mechanicis originem debere, sed causæ primæ, id est, Deo; simulque monet, ipsam illam mundi productionem elementa requirere, e quibus prodierit. Elementorum horum expositionem admodum esse arduam ait; ceterum *ad mundos, quas finxere recentiores*, se recipere non vult. Explicatis deinde principiis Aristotelicis, de materia, forma, & privatione, itemque mechanicis, quæ non adeo alto supercilio contemnenda judicat, de particularium figura, motu, situ, de Epicureis porro, Cartesianis, & Chemicis, ita tandem concludit: *Pures dantur hypotheses circa rerum naturalium principia; quarum recensioem uberiorem compendii nostri ratio non permittit. Sufficit, corporum naturam ita comparatam esse, prouti scopus, qui per illa obtinendus, videbatur exigere. Quilibet certe, qui recte perpendit, quacunque velit, corpora, eorumque qualitates atque vires, non potest non videre oculis, manibusque quasi palpare, quod talis ad sit corporum constructio, qualem requirit effectus, inde nexu sperandus naturali. Scopum istum ut adsequeretur creator rerum omnium corporearum; his vires quasdam & qualitates impressit, ad fines suos pertinentes. Sunt illa generis duplicis; quaedam nempe ita comparata, ut omnibus in universum corporibus; quaedam autem, ut certa tantum rerum creatarum speciei insint. Priores communes, posteriores speciales appellari solent. Communes numerat Clariss. Autor extensionem, figurabilitatem, divisibilitatem, mobilitatem, quiescentiam. Hisque explicatis, ad speciales, id est, ad qualitates tactiles, odorabiles, gustabiles, audibiles, visibiles; tandemque etiam ad insensibiles, sive occultas, progreditur. Partem specialem iterum in duas dividit sectioem doctissimus Wucherus, quarum altera de cælo & corporibus illius, altera de terra ejusque corporibus agit. In sectione hac secunda primo quidem loco de quatuor elementis vulgaribus disserit. Etsi enim probe novit, multa in ista elementorum recensione Aristotelica reprehendi posse, nihilo tamen minus de iis agere constituit; quod partim hæc elementa receptissima sint, partim negari nequeat, quod in multis corporibus detur aer, ignis, aqua,*

Et terra. Aerem putat esse congeriem particularum elastica-
rum, fluidarum, spirabilium, & rararum, eundemque efflu-
viis diversis esse repletum, gravem, & cum æthere permixtum.
De terra ita agit; ut primo quidem geogoniam Cartesii pro-
ponat, deinde, hac rejecta, terræ rotunditarem, inæqualitatem,
& motum in æthere attingat. Mox ad aquam progreditur, ubi
de ejus proprietatibus, itemque de acidulis, de thermis, de a-
quis medicatis & venenatis, de putredine, cui obnoxia est aqua,
de origine fontium (*ad quam Et aqua marina; per modum va-
porum, ascensum, Et aquarum pluvialium, nivis, rovis, nebu-
larum, descensum, conferre aliquid arbitratur*) de falsedine &
motu maris disputat. In explananda ignis ratione formali, non
subsistendum censeat in materia subtili & agitatissima, sed adji-
ciendas cum aliis autoribus particulas sulphureas, salinas, ter-
reas; id quod ex phænomenorum consideratione patere dicit.
Ab elementis transit ad meteora; eorumque denominatione &
divisione exposita, primum de vaporibus & exhalationibus ge-
neratim spectatis, deinde de meteoris aëriis, aqueis, igneis, em-
phaticis, disquirat. De ascensu exhalationum hæc ejus est sen-
tentia: *Solem suo calore agitare particulas aqueas, terrestres, sul-
phureas, diversimode inter se implicatas Et in terra quasi ho-
spitantes, easdemque a se invicem separare atque leviores reddere,
ut massa aerea, sua ponderositate, evehere eas atque attollere in
altum possit.* Sequuntur fossilia & metalla, deinde vegetabilia
& plantæ, postremo animalia. Sub finem Clariss. Autor insi-
gnem suarum meditationum usum, in dicta litteratorum,
exempli loco, ostendere conatur, allatis in eam rem regulis
quibusdam atque monitis; tandemque brevi quadam applica-
tione ad Deum, sive ad causam primam, independentem, omni-
potentem, benignum, sapientem, cultuque cum interno tum ex-
terno prosequendum, libellum suum finit. Præmisit etiam pro-
gramma, quo exercitationes publice in Institutiones suas Phi-
losophiæ naturalis habendas indicavit. In hoc programme
quæstionem tractat curiosam, *an circumspectio hominis, fulmi-
nis ictui evitanda, sufficiat?* Optimum autem atque omnium
tutissimum, adversus fulminis ictum, remedium hoc esse pro-
nuntiat

pronuntiat: *Age, quæ ratio præcipit, nec metue, quæ fata expectanda jubent.* Atque hæc sufficere videntur, ut Lector intelligens statuere de usu ac valore novi hujus Compendii Physiæ possit.

NOVA LITERARIA.

Prodiit Venetiis titulus iste novi operis proxime prodituri: *Ludorum Scientia publico beneficio illustrata.* Opus Johannis Rizzetti, Eminentissimo Principi S. Rom. Eccl. Cardinali de Polignac &c. dicatum. Ven. ap. Aloysium Pavinum 1725. in 4: accessit eidem titulo operis argumentum sequens: *Demonstratur in prima Parte, Fortunam in ludis jus non habere, quemadmodum a vulgo censetur; nam in illis, qui omnino fortuiti putantur, se Aleatores pari conditione colludunt, diu ludendo nil possunt inde sperare; ac si quis alterum prerogativa antecellit, diuturno ludendi exercitio certus est ille lucri, & iste damni. In illis autem qui fortuiti dicuntur ex parte, industria quoque in eisdem locum habente, quamvis Aleatores pari conditione decertent, diu decertantes officiantur lucro vel damno, prout majori vel minori sagacitate donantur. Quod autem curiosus est, in ludis fortuitis ars conjectandi eo perducitur, ut indubitato calculo determinetur, quid infalibilibiter aleatores longa ludendi opera acquirere vel omittere possint. Et hæc omnia præcipue exhibentur in Corollaris, quæ, ut facilius inveniantur, ab antecedenti Theoria litteris majusculis distinguuntur. In secunda Parte dirimitur Controversia cum Clariss. Daniele Bernoullio habita, in qua, subtilis erroribus, Methodus conjectandi perficitur, ut de singulis ludis in specie veram ac distinctam Ideam consequamur. Desiderandum, esset, ut ista Ludorum Scientia omnibus nota foret; nam publico præjudicio detecto tanta ludendi libido reprimeretur non sine bonorum conservatione, & Scientiarum emolumento, quod scopus præcipuus operis est.*

Mediolani prædiit jam Scriptorum rerum Italicarum Tomus in ordine septimus, sed numero octavus, quo Chronica maximam partem inedita, quæ ad sæc. XIII imprimis spectant,

clant, continentur. Nec diu desiderari patientur Cl. Editores Tomos quatuor sequentes, ex MSS. Codicibus fere omnes compositos, sperantque, se non modo fidem datam liberaturos sed & expectationem publicam superaturos. Imprimis vero gaudent, quod ad ea tempora pervenerint, in quibus major floruit Scriptorum copia, quos stylus etiam concinnior commendat.

Antverpia *Io. Bapt. Sollerius*, e Soc. Jesu, qui Autoribus Actorum Sanctorum solus nunc praest, Epistolam Kal. Sept. superioris anni dedit ad V. C. *Io. Fridericum Schannat*, typis etiam impressam, in qua graviter conqueritur, quod Vir Ill. *J. P. Ludewig* in Praefatione Reliquis omnis aevi MSS. & diplom. praemissa novum sibi bellum finxerit diplomaticum inter Benedictinos & Jesuitas, & hos omnes accusaverit, quod exercit. plo Germonii & Harduini omni vetustati bellum indixerint, & eo consilio describere coeperint Acta Sanctorum, ut in hoc argumento campum haberent omnia convellendi, exaggerandi literarias imposturas &c. Ostendit vero, haec sibi Sociisque gratis imputari, cum nihil aliud egerit *Papebrochius* in *Propylaeo*, quod ille pestilentissimum conatum, improbum & maleferiatum vocat, quam ut opera amici sui *Mabillonii* id consequeretur unice, ut regulae demum aliqua reperirentur, quo falsa diplomata a veris discerni possent; & ipsi Adversario fatendum fuerit, in Actis illis immanem asservari diplomatum & plenae fidei documentorum apparatus.

Prodiit & ibidem superiori anno vergente *Petri Boschii* S. J. Tractatus historico-chronologicus de Patriarchis Antiochenis, in forma quarta, partim proximo Mense Majo, partim Supplem. T. IX Sect. II, quae cum eodem Mense prodibit, a nobis recensendus. Eundem Autor ceu praeparatam Tomo IV de Actis Sanctorum Junii, eodem tempore, Autoribus *J. B. Sollerio*, *Jo. Pinto*, *Guil. Cuperio* & eodem *Boschio*, edito, praemisit, cujus Tomi Synopsis, ab Autoribus seorsum editam, Sectioni II Tomi IX Supplem. pariter inferemus.

No. V.
**ACTA
ERUDITORUM,**

*publicata Lipsiæ
Calendis Maji Anno MDCC XXVI.*

ARSACIDARUM IMPERIUM, SIVE RE-
gum Parthorum Historia ad fidem Numismatum accom-
modata per JO. FOY VAILLANT, Bellov.

D. M. & Regis Antiquarium, ac Sereniss. Ce-
nomanensium Ducis Gazæ Præfectum,

Tomus I.

Parisiis, sumtibus Caroli Moëtte, Bibliopolæ, 1725, 4.

Alph. 2. plag. 19.

Item

ACHÆMENIDARUM IMPERIUM, SIVE
Regum Ponti, Bosphori & Bitbyniæ Historia ad fidem
Numismatum accommodata per Eundem.

Tomus II.

Ibidem, sumtibus Ejusdem, 1725, 4.

Alph. 2. plag. II.

PArtem illam veteris Historiæ, quam ex scriptoribus La-
tinis Græcisque, maxime vero ex nummis digerendam at-
que illustrandam sibi sumit Cl. Jo. Vaillantius, multis
difficultatibus involutam esse, vulgo constat. Eas tamen
omnes ita superavit eruditus Autor, ut conatibus ejus omnino
favere, & singularem industriam laudare æquum sit. Periisset
vero hoc, quicquid est, docti laboris, nisi Bibliopola Parisien-
sis Carolus Moëtte opportune incidisset in has Historias manu
Cl. Vaillantii exaratas, easque suo ære a possessore redemisset:
neque tam elegantes nunc legeremus, nisi Cl. Carolus Valesius,

B b

Ha

Hadriani fil. Arsacidarum Historiam ad limam revocasset, & ab innumeris mendis repurgasset; alteram vero partem, nempe Achæmenidarum Historiam, alius Vir doctus emendasset. Horum itaque ope effectum est, ut puriori habitu opus hoc Vaillantii posthumum appareat: bibliopola autem operam dedit, ut pura satis charta, aptisque litterarum formis imprimeretur, insertis suo loco nummis necessariis. Singulatim enumerabimus omnia, quæ utroque Tomo continentur, postremo adjicientes, quæ jure meritoque in isto scripto lector desiderare posset. Et Tomo quidem *Primo* post Prælationem, cujus autor haud dubie est Cl. *Carolus Valesius*, primo loco legitur *Cæcis Chronologicus* Regum Parthorum, per annos ante & post Christum natum, Urbis Conditiæ, Imperii Seleucidarum Syriæ Regum, Arsacidarum, & singulorum Regum Parthiæ, digestus. Sequuntur duo *stemmata* prioris & posterioris familiæ Arsacidarum, & *Index* Parthorum Regum, una cum *titulis* eorum. Mox incipiunt *Annales Arsacidarum*, quibus perpetua serie origo, progressus & interitus Regni Parthici enarratur. Excipit deinde primaria libri tractatio, nempe ipsi Arsacidæ XXIX, nummis omnes (si quinque excipias, quorum nummi ad nos non pervenerunt, nempe *Phriapátium*, qui aliis *Pampacius* est, *Pbraatem I*, *Artabanum II*, *Pbraatacem* & *Orodem II*) illustrati. Ipsa numismata ex celeberrimis thesauris, Augustissimi Imperatoris, Regis Galliæ, Magni Ducis Etruriæ, aliorumque Principum aut eruditorum virorum desumpta sunt. Multa suppeditavit instructissimum ipse Vaillantii museum; multa etiam collectio Celeberrimi *Andreae Morellii*, qui usibus suis multos nummos Parthicos delineaverat, ut meminit in *Specimine* suo; quam delineatam collectionem postea dono dedit Cl. Vaillantio. Ita factum, ut vulgati jam pridem, & nunc primum editi nummi hic conspicerentur. Nempe hunc commentandi servat modum. Primo loco ponitur figura Regis cujusque, nummi modulo augmentato, ut oris, barbæ, oculorumque habitus, item insignia melius pernoscantur. Sequitur deinde historia Regis, quæ, ubi opus aut commodum fuit, aliis etiam numismatibus confirmatur & declaratur. Concludit denique vitam cujusque Regis, producendo ut plurimum eun-

eandem nummum, unde effigies Regis desuuta erat, vera forma vtroque modulo & aversa simul parte expressa: additis rationibus, quibus inductus sit; ut illi Regi adscriberet. Sit pro exemplo *Arsaces XXIII* sive *Vologes I*, quem vide pag. 249 ex nummo argenteo tetradrachmali collectionis Motellianæ majore formâ delineatam. Multis deinde res gestæ hujus Regis ex Tacito maxime & Dione Cassio enumerantur; & cum pag. 279 pacis, quam Corbulo cum Vologese sanxerat, quaque Romani Armeniam recuperabant, mentio incidisset, produxit Cl. Vaillantius p. 280 nummum argenteum ab Nerone in ejus rei memoriam cûsum, quem jam dudum Patinus ad Suetonii Neronem produxit. Denique pag. 293 vides ipsum nummum, cum aversa parte & integrâ inscriptione, ex quo facies hujus Vologesis desuuta erat; quem usque ad pag. 295 breviter explicat Regique suo vindicat. Hoc fere modo omnium Regum vitam resque gestas exsequitur & illustrat. Cui tractationi pag. 389 superaddidit *Appendicem de Persarum Regum* post Artabanum *Nummis*, & pag. 398 *Elementum Regum Armenia majoris*. Finem huic Tomo imponunt tres Indices, Autorum nempe, Nominum rerumque, atque Geographicus.

Tomus II, sive *Historia Achæmenidarum* paullo negligentius est habita ab eo, cui emaculandi provinciam obtulit Bibliopola. Habetur tamen & illic *Canon Chronologicus*, sed desiderantur *Annales*, desideratur etiam notatio cujusque anni, quæ in *Historia Arsacidarum* margini est adjecta. In reliquis eodem modo, quem supra indicavimus, proceditur. Recensentur autem primo *Reges Ponti* ab Artabaze usque ad Mithridatem, notissimum illum Romanorum hostem. In qua recensione solius Mithridatis historia centum & viginti tres paginas occupavit: quod, cum ea sit notissima & in probatis scriptoribus satis obvia, vix fuerat necessarium. Et tamen ex iis scriptoribus, qui obiter Mithridatis mentionem faciunt, vix unam alteramve observationem allatam videbis. Sequitur pag. 187 *Regum Bosphori* *Historia a Pharnace & Asandro* usque ad *Rhescyorin III*. Siquidem ad eum censum post Polemonem II etiam Mithridatem VIII, Cotym, Ininchimæum, Rhescyorin I (quod nomen apud alios

scriptores vitiose vulgo circumfertur; quod & illustr. Spanhemius olim observavit) Rhemetacen, Cotym II, Rhescyporin II, III, & varios Anonymos retulit. Pag. 295 incipit Historia *Regum Bithynia* inde a Dydalso primo rege usque ad Nicomedem III; quæ pars paucioribus nummis est ornata. Pag. 357 describitur status Bithyniæ, cum esset Romanorum provincia, & quomodo tunc temporis Nicomedienses, Nicæenses, Prusæi aliique Romanos Imperatores nummis suis decorarint, docetur. Quibus pag. 402 subjunguntur *Bithynia urbes clare*, quarumque memoria nummis conservata est. Tandem & hic Tomus finitur tribus Indicibus, quales ex Tomo I supra memoravimus. Multum igitur debet res litteraria Cl. Vaillantio, quod obscuriores illos Reges aliqua luce perfuderit: maxime, quod bene multos Parthicos nummos collegerit, eosque simul exposuerit luci, qui antea dispersim querendi, & tamen rariores inventu erant. Dolendum vero, quod ipse Cl. Autor ultimam manum operi imponere nequiverit, cum is forte multa melius constituisset, & infirmiora quæ nunc videntur, pluribus argumentis adstruxisset. Videmus enim, passim non ea, qua decet, religione consultos esse scriptores potissimum Græcos: & jam Cl. Valesius aliquot hujus generis errores detexit ac emendavit. Videmus etiam, nummos quosdam suis Regibus ex levissimis indiciis assignatos, e. g. ex habitu barbæ, nasi, oculorum: cum tamen nullus scriptorum prodiderit, quem nasum, quam barbam habuerit Polemo, Phraates, alii; ut merito Cl. Vaillantius aut quo indicio ista compererit, aut alias rationes addere debuisset. Reliqua tamen probe fatis confirmat, & nullibi eo recordiæ procedit, quo cum indignatione orbis eruditi processit famosus quidam ejus popularis. Ceterum cum jam pridem Historiam Parthorum per nunquamos desideraverint eruditi, non est nobis hoc loco dissimulandum, similem apud nos Historiam parasse quondam Virum vel de his ipsis Actis immortaliter meritum, *Christianum Wagnerrum*, Lipsiensem, qui tamen immatura morte A. 1693 die 26 Jul. præreptus, non sine maxima Litterati Orbis jactura, opus affectum, quod hodieque in Bibliotheca nostra Senatoria thesauri instar aservatur, relinquere coactus est.

TRA.

TRACTATUS HISTORICO-CHRONOLOGICUS
de Patriarchis Antiochenis tam Græcis quam Latinis,
imo & Jacobitis, usque ad sedem a Saracenis everfam;

Auctore PETRO BOSCHIO, Societatis Jesu
Theologo.

Antwerpæ, apud Jacobum du Moulin, 1725, 4.

Alph. 3 plag. 9.

Mirantur multi, qui fuerit factum, ut, quum Ecclesie regimen inter tot Patriarchas fuerit divisum, soli tamen Romano Præsuli id contigerit, ut eorundem veluti Princeps haberetur. Huic enim soli contigit, ut, quum reliquorum gloria quasi emarcesceret, hic celebraretur, & quicquid faceret diceretque, Oraculi instar observaretur. Neminem certe inter Græcos scimus, qui conjunctim vel Alexandrinos, vel Antiochenos, vel Hierosolymitanos, vel Constantinopolitanos Præsules descriperit, manifestæ fraudi obnoxii, qui in Byzantinis sub larvato nomine illud factitarunt. Tanta fuit segnities, ut vix nomina sola, eaque anxie requisita, supersint. Quum ex adverso eorum qui Romanorum vitas dedere, tot surgant, ut magnam ex iis solis Bibliothecam constituere queas. Quod nisi occulto cuidam facto adscribere velis, certe vel divini illud tribuendum curæ, vel insigni Pontificum artificio, illique tantum valido, ut omnes mortalium calamos sibi suas laudes provocarent. Quid igitur mirum, si Antiocheni Præsules iis tenebris hætenus fuerint contenti, quæ a Romanis pulsæ reliquis ad usque nostra tempora incubuerunt. Hæc vero tandem ætas gratam erga majores sobolem protulit, quæ nominis & memoriæ & meritorum studio summos remoti orbis Præsules & Patriarchas in ordinem collegit, & quicquid sparsum cernebatur, in uno veluti teatro conspiciendum dedit. Constantinopolitanorum facta præter catalogos Bandurianos & Fabricianos apud Georgium Cyprium Hilarianis notis illustratum habemus, ut taceamus, quæ sacrorum annalium Conditores, quasi ex beneficio in ipsos contulerunt. Præsulum Hierosolymitanorum seriem eruditissime Antverpienses, & sua & Pauli Theodorici opera exhibuerunt. Alexandrinos Eu-

sebius Renaudotius & Jo. Bapt. Solerius Act. Sanct. T. V Junii, nobili beneficiis dederunt. Antiochenſium nomina, quæ magnam partem hæcenus latuerunt, nunc tandem Cl. Joſephus Simonius Aſſemanus in ſplendida Bibliotheca Orientali Romæ 1719 & ſeq. edita, & hic Noſter, additis etiam geſtis & accurata Chronologia conſpicua, ſiſtunt. Non negamus, eorum quædam monumenta ſpârſim eſſe exhibita a ſcriptoribus Byzantinis aliisque Hiſt. Eccl. ſcriptoribus, qui tamen ſerme circa ſeculum VII ſubſtiterunt, quos apud Sañ. Baſnagium videas. Ipſe Cl. Boſchius aliquoties Blaſium Terzum, Syriæ S. editorem, citat, licet minus accuratum, cenſuris que ſuis ſæpius obnoxium, attamen opitulatorem, cujus, ſicut & Aſſemani Bibliotheca ſæpiſſime uſus fuerit. Dedicavit hunc Tractatum Illuſtriſſ. Yprenſium Epifcopo, Dni Jo. Bapt. de Smet, ſeque illud non tam ex more facere proſitetur, quam ex Præſulis merito, quo omnis eruditionis promptuarii exiſtimari queat. In alloquio agnoſcit, Tractatum hunc odioſum eſſe ac tetricum, quod propter difficultates Chronologicas dictum cenſemus, quum alias nil magis gratum nilque magis utile quam tale ſcripturæ genus cenſeri queat. Et ſane jucundius illud, atque expeditius Lectori futurum erat, niſi is, qui Boſchio præerat, jubendique facultatem habebat, ab hiſtoria abſtinere, ſolis que temporum notis extricandis ipſum infudare juſſiſſet. Quæ licet ipſe ſponte fuerit profeſſus, non tamen adeo aridum illud monumentum, quo minus perito Lectori magnam delectationem afferre queat. §. II. Progreſſus igitur ad ipſum Antiochenæ Eccleſiæ fundamentum, illud quidem in Apoſtolo Petro conſtituit, ex conſtanti veterum traditione, quam quum aliquantulum modo movere viſus fuerit Tillemontius, acriter ipſum aggreſſus, ait, imprudentiſſimæ temeritatis notam Eccleſiæ inuri, ſi falſa aſſeruiſſe arguatur, modo aſſertionem Tillemontianam Catholico Viro indignam, hæreticis que patrocinantem ſtatuit, pauloque poſt Batavum quendam, Tillemontio ſuffragantem, multo atrocius vexat, atque hæreticum ſurpiſſime cœcutientem, idèoque Romæ obrectatorem ſacrilegum & ineptum vocat. Inde progreſſus, ſedem Antiochenam a Petro A. Chriſti XXXIII conſtitutam putat, præeuntesque

tesque Henschenium & Janningium sequens, VII annos sedisse ex communi Catalogorum consensu tradit, quibus finitis sedem Romanam erexerit, quod ex Eusebio, Gregorio, Adriano II, Nicolaoque Archimandrita se probaturum putat. Inde vero etiam difficultates Apollonianas de mora Apostolorum Hierosolymitana duodecennali, quæ septennalem Antiochiæ sedem restrictura erat, facile solvit, quod non necessarium existimet, illam integro duodecennio concludi. Nempe ita sibi indulgent in Chronologia Præfulum, ut annos integros & iustra deglutiant, absorbentque, modo Petrus ubique regnet, quemadmodum Hispani in suo Jacobo faciunt, cujus gratia omnes rationes Chronologicas subvertunt. De gestis Petri Antiochenis nihil ob causam jam memoratam tradit, Basilium Seleuciensem adiri cupit, tum Theodoricum Pauli, Vice-Decanum Gorcomensem, Chronici universalis, sed nondum editi, Autorem; quos tamen veri aliquid allaturos, quomodo speres, quum non Entis nulla sint Accidentia. Hinc Evodium sistit, cujus Acta etiam ex Menæis & Martyrologiis depromita jejuna censet ideo, quod non definiant, Ignatius, an vero Evodius Petro successerit. Boschius Evodium tenet, Eusebio duce, ipsoque Ignatio in epistola, quam tamen melior pars falsam spuriamque censet, tuentibus illam nihilominus Hagiographis T. I Febr. ad Acta Ignatii p. 42. Inde conciliationem Baronianam, quasi simul Evodius a Petro, Ignatius autem a Paulo creati sint, eamque gratam Halloixio, respuit, sicut & alteram Henschenio excogitatam, quod Evodius ordinatus, Ignatius tantum designatus fuerit, quem tamen Hieronymus expresse ordinatum statuit, quod per *το' ναδ'ισατα* in Græco expressum erat. Ita juxta Boschium successit Evodius A. Christi XLVI. Maji, sedit annos XXVII, obiit martyr sub Nerone. Succedit Ignatius cognomento proprio Theoporus, non ob laudem dato, gente Syrus, A. LXVIII. Ætas incerta, dubiique plena, quæ de pueritia illius simplicitateque Servatori grata Nicephorus protulit, quum alii id ignorent. Vix sine temeritate anni XLIII illi assignantur; sedit ad A. CVII, quo die XX Dec. Romam martyr abiit. Sequitur S. Heros, Ignatii discipulus, cui succedit A. CVIII. Sedit usque ad A. CXXIX; XVII Octobr.

teste

teste Catalogo Græco Harlemiano MSto, quo Papebrochius feliciter usus est. Excipit ipsam Cornelius A. CXXIX, quem Blasius Terzi di Laurea in Syria S. ut operibus exemplisque raræ virtutis inclytum laudat; Boschio ad hæc incredulo, nec alicubi id a se lectum professo. Eadem de Erote, ignobili & a Theodorico Pauli sine teste laudato, dixit, nisi virtus illius inter persecutionum ruinas lateat. Sedit ille ab A. CXLII usque LXIX spatio longo, quo adversus Marcionitas & Tatianitas multa fortiter facere poterat. Hinc Theophilus, Vir sine dubio magnus, profanis hæreticisque metuendus. Ille sibi, more tum inter Præsules persecutionis tempore recepto, Maximinum successorem legit, quanquam dubitet Tillemont. Defunctus Episcopatu & vita, succedente Maximino usque ad an. CLXXXIX. Hic acerbè invehitur Boschius in Theodoricum Pauli, qui hunc Præsulem doctum, Catholicum & Thaumaturgum constituit, quum harum virtutum memoria apud veteres non extet. Nos licet de Theodorico concedamus, quod quædam confixerit: putamus tamen, Maximinum defendi posse, siquidem scripserit de *Questionetum inter Christianos agitata: πόθεν ἡ κακία*; tum de altera: *περὶ τῆς γενιτῆς εἶναι πῆν ὕλην*. Etiam si enim alicubi Maximo hæc adscribantur, attamen sub eo non nisi Maximinus latet, quum proclivis sit ad syllabæ unius incrementum discessus. Ceterum hunc Maximum laudavit Eusebius, interque τῶν παλαιῶν retulit, quorum ipse monumenta legerit: *πλεῖστα σώζεται ἀνδρῶν παλαιῶν ἐκκλησιαστικῶν ἐναρέτης σπεύδης ὑπομνήματα, ὧν γε μὴν αὐτῇ διεγνωμεν, ἢ τὰ Μαξιμῶς &c.* Quibus quidem verbis non nisi Maximinum hunc Antiochensem intellexit, cui Præsulis nomen non addidit, quia ipse non ut Præsul, sed Philosophus scripsit. Multa ex ejus libris depromsit Origenes, teste Wetstenio in Præf. ad Dial. Origenis. Aliter censente Huetio, cujus opinio cadet, si nostra suscipiatur. Hunc excipit Serapion A. CLXXXIX. Trithemius Anachoretam fuisse statuit, negat Boschius, quum ex Ἀσκητῶν λογῶν Anachoretam sibi fingere non nisi delirum capitis somnium esse queat. Benigne tamen accipiet Boschius, si Serapionis patria a nobis queat designari. Hanc notat Ælius Lampridius in Alexandro Severo, nempe urbem Arcenam

cenam in Phœnicia, quæ Græcis ἀρχή & Arca Cæsarea. Hic ante sacerdotium Rhetorem egit, unde & Eusebius ἀσκητὴν λόγον dixit. Inde Alexandri Severi teneram juventutem rexit, Matris Mammeæ consilio, unde & Christiani mōris amor in pectus illius influxit. Consentit temporum ratio, licet ea Halloixius, Boschius oculatissimus Scrutator, non viderit, quod huic Argō condonandum. Post Serapionem Ἀσκληπιάδης A. CCXI, sive, ut Boschius, A. CCXVII, quem Martyrē aliqui dicunt, licet non consummatum. De ejus exaltatione summopere gavisus Alexander Hierosolymitanus, gāudium litteris communionem testantibus expreslit, apud Euseb. L. VI C. VI. Post hunc Philetus ab A. CCXVII usque CCXXVIII, non ad CCXXIX, quod Pagius voluit: excipiente ipsum Zebeno usque ad A. CCXXXVII, cuius nomen varie detortum fuit. Erat enim Syris familiare, nec Regibus spretum, docente Vaillantio de Regibus Syriæ p. 316 A. 334. Mox Babylas ab A. CCXXXVII usque CCL. Qua occasione παρέργωγος de Actis Babylæ insertum legas, quo Tillamontius potissimum petitur, quippe in quo fictionem *relæes* suarum dignam apprehendit, compuncto simul Chrylostomo, cui copiosam Rhetoricam, sed pondere vacuum, tribuit. Huic παρέργωγος alterum jungitur, an duo fuerint Babylæ, disquirens, opinionemque Doctorum ita sentientium destruens. Sequitur Fabius, A. Chr. CCL usque CCLII, in Novatianismum propensus, teste Eusebio L. VI C. XLIV, sed ad correctionem pronus. Epistolæ Cornelianæ ad ipsum pars apud Eusebium, Syncellum, Labbeum, & nuperum epistolarum Pontificiarum Editorem Constantium reperitur. Successit *Demetrianus* ab A. CCLII usque ad LX, qui antecessorem zelo superans acrem se Novatianis exhibuit, fervidus religionis defensor, sique Theodorico Pauli & Blasio Terzo credendum L. I Syriæ C. XXXIII, etiam Martyr, Martyrium illi adscriptum solidis rationibus Boschius destruit. Poterat tamen in illam opinionem deduci recordatione cladis, quæ julo sedente per Regem Persarum urbi illata, deletis innumeris civibus, teste Anniano Marcellino L. XXIII C. V, quibus ipsum interfuisse Episcopum putarunt. Post eum *Paulus Samosatensis*, infamis ille gloriæ Servatori debitæ

P. 108.

defraudator, incessit A. CCLX mense Majo. Is humili loco natus ingenium superbum habuit, gloriaeque cupidum, nec a delitiis vanis scedisque alienum, qui corrigentes sese Praesules integrasque Synodos spernens, contumax A. CCLXX ἀποκριτῆρας, ut sicut poëtae Boschius hanc vocem interpretatus est. Quo loco Eusebii error, Synodum sub Aureliano collocantis, refellitur, quippe qui in temporum rationibus ineundis parum se accuratum exhibuit. Etiam si vero Episcopatu Paulus non cederet, attamen succedere iussus est Dominus in confinio anni CCLXIX & CCLXX, seditque usque ad CCLXXIII, ἀπασί τοῖς περὶ πρῶτον Ἐπιστολῶν καλῶς κεκοσμημένος, Eusebius L. VII C. 30. Reliquit sedem Timæo A. CCLXXIII usque CCLXXX, ut adeo temere a nonnullis expungatur. Ait Boschius, nil aliud de Timæo notatum esse a scriptoribus, quod gratis dicitur. Multa enim dicta sunt de virtutibus illius, deque turbis a Luciano, Pauli assæcla suscitatis, quæ per trium Episcoporum successiōnem durarunt. Timæo insisit Cyrillus A. CCLXXX usque CCC, Vir communi omnium laude maclatus. Martyrium non liquet, cuius locum vexationes Lucianæ implent; attamen S. Praesul opposuit Dorotheum felici nisu, quum, ut cuneus cuneum trudit, sic ejus virtutē & doctrina Lucianus ad meliora compulsus dicitur, de quo v. Acta Sanctorum T. I. Defuncto successit Tyraanus A. Chr. CCC usque CCCXIII, quo intervallo persecutiones Diocletianæ seruebant, multum evagante Hieronymo, qui circa annum CCCXXXIIX ipsum collocavit. Magnus tum Martyrum numerus ex Martyrologiis sistitur, quibus tamen ille non interfuit, nisi vel fugam vel occultationem ejus Martyrii laude cohonestes, aut graviora Martyrio perpeffum dicas, dum gregem lacerari vidit. Ferat æquo animo Cl. Boschius, si divinemus, ipsum inter carbonarios forte Sipyli montis latuisse, quod magnos tum fecisse Viros, exemplum Alexandri Episcopi Comageni prodit. V. Acta Sanct. d. XVI Mart. p. 420. Quo videtur respexisse Libanius Oratione ad Julianum, qua Christianis illudens dixit, se repulsam patiēdo ad carbonarios abiturum. Extrema Tyranni pacem A. CCCXIII datam viderunt. Eo defuncto sedem vacuam implet Vitalis A. CCCXIII

usque CCCXVIII, quod omnes censent. Conciliis Ancyrano & Neo-Cæsarensi interfuit inter A. CCCXIV & CCCXVIII celebratis, notabile nomen fecit Ecclesiarum instauratione, quæ persecutionum tempore ad incitas redactæ fuerant, nec tamen opus est, ut has Ecclesias cum Henrico Valesio in Basilicas commutemus, quod ipse *μεγαλορήμων* ubicunque Ecclesiæ vocabulum reperit, subiecit. Bonum habuit Successorem in Philogénio, caesarum Patrono, & uxorato, quod ab Eutychio Alexandrino neg. cum p. 450. Boschius non advertit. Arius ipsum *ἀκατάχρηστον* habuit, sed absit, ut hæretico ad stipulemur, laudemque doctrinæ dubiâ faciamus, quam Boschius ex Chrysolomi testimonio tantopere stabilivit. Hunc excipit Paulinus aliquis, sed nube veluti quadam involutus, quum, quod Pagius ante Boschium monuit, uno tempore tres fuerint, unus, qui Synodo Sardicensi depositus, alter Tyri Episcopus, & tertius Eustathianus, id quod miram utique difficultatem Valesio, Hanckio, Montacutio, peperit, ipsique Boschio, qui tres Paulinos Antiochiæ præfuisse dicit, notato Theodoro, cui, unum modo Paulinum memoranti, crimen falsi impingit, quasi Paulini nomen e diptychis Antiochenis erasisset, quod tamen ipsi necessarium non erat, quum Paulinus in Synodo Sardicensi depositus, ad Antiochiam plane non spectet, sed Dacus fuerit, ut ex fragmentis Hilarianis constat. Quibus a Boschio non consideratis, aut fragmento immutato, hunc tanquam primum collocat, eumque ab Arrianis falso calumniis profissum ait, fuisse autem ab A. Chr. CCCXXIII usque ad XXIV. Inde *πάρεργον* subnectit, de Romano, eumque sibi eundem videri censet ac Paulinum, ideoque binominem fuisse, ac suffragari sibi Godofredum, notis in Philostorgium & Pagium; ubi tamen forte rectius facturus erat, si illi Paulino Daco Romani cognomentum tribuat. Rogaremus hoc loco Boschium, ut seposito paulisper suo in hæreticos odio consideraret, Olai Wormii, eruditi Viri & deinceps in Regia Danorum Episcopi, opinionem in historia Sabellianismi expositam, fortiterque stabilitam, Paulinum Tyrium nunquam Episcopum Antiochenum esse factum, quippe cui Eusebius ipse Concilii Nicæni tempore libros Hi-

storiae Ecclesiasticae, ut Tyriorum Praefuli, dedicavit, aliter locutus, si in Antiochena cathedra ipsum conspexisset. Atque id ipsum post mortem Paulini confirmasse videtur lib. adv. Marcellum II p. 19, ubi quidem ait ipsum fuisse *τιμηθέντα τῆς Ἀντιοχείων ἐκκλησίας*: veruntamen *προσεβίω τε διαπρεπῶς τοῖς Τυρίων ἐπισκοπήσαντα, ἔτω δὲ ἐν τῇ ἐπισκοπῇ διαλάμψαντα, ὡς τὴν Ἀντιοχείαν Ἐκκλησίαν ὡς δικίαν ἀγαθῶς μεταποιηθῆναι αὐτῷ*, quae verba Zenobius Acciajulus male vertit: Paulinum PRIUS dignitati Tyri Ecclesiae praefuisse, quum tamen illud PRIUS in textu non extet. Unde Eusebii verba sic interpretanda: Paulinum in Ecclesia Antiochena maxime honoratum extitisse, vel ad regimen quoque illius expetitur, sicut ipsi Eugenio contigit: attamen ipsum actu Ecclesiam Tyriorum Episcopaliter rexisse, Ecclesiam vero Antiochenam, licet ibi non sederet, tanquam peculium proprium dilexisse. Inde ad Eustathium descendit, eumque ad A. CCCXXV refert, a quo Concilio Nicarno electum solenni suffragio dixit, secus censente Theodoro, cui plus credendum, quippe in sinu Ecclesiae Antiochena innotuit. Sede pulsum, vivente adhuc Constantino A. CCCXXXI epistola Athanasii ad Solitarios demonstrat. Post commemoratas Eustathii laudes parergon de S. Agroetio inserit, validisque rationibus ostendit, eum ineptissime Antiochena mitra exornari, diploma Sylvestri turpiter confingi, atque ne hoc quidem dici posse, quod tantum fuerit designatus. Eustathio Paulinum H subdit, eumque Arrianis impense faventem, & tamen fatetur, alium de eo silentium apud hos, qui seriem Praefulum Antiochenorum ediderunt. Neque tamen se adeo moveri ait propter Eusebium, Philostorgium, Suidam, quorum examinare sententiam longum fuerit. Sedisse ait eum sex menses ab anno CCCXXX non adulto; huic susseptum esse Eulalium A CCCXXXI usque CCCXXXII, cuius unicum pene factum refert, quod Aetium urbe pepulerit. Sequitur parergon de Eusebio, Antiochenum Praefulatum spernente, hacque modestia tumultus jam concitatos feliciter compescente. Quo absoluto Euphronium exhibet ab A. CCCXXXII usque ad XXXIII Ecclesiam gubernantem; mox Flacillum, qui ad A. CCCXLV ha-
 benas

benas sacras gessit, magno pretio habitus, Synodique Tyriae Praeses, et si Eulebio Nicomediensi & Caesariensi hunc honorem Epiphanius & Athanasius tribuant. Ejus multa inique gesta Theodoretus exposuit H. E. Lib. II Cap. XIX. Illum excepit Stephanus I A. CCCXLV, praeseditque Synodo Sardicensi A. CCCXLVII, a qua excommunicatus A. CCCXLIX, ob meretriculam Euphradae Episcopo suppositam, facinore tanto homini maxime dedecoro. Illius successor Leontius, mentula Castor, lupus animo, Athanasio infestus, defunctus sub finem anni CCCLVII, ordinato in illius vicem Eudoxio, Germanicæ primum Episcopo, & Arrianismum dudum professio, Constantii amico, cujus dum gratia ad scelus abutitur, exilio mulctatur, atque inde deponitur, non sine suo commodo, quum Constantinopoli Episcopatum postea adipisceretur A. LIX, LX. Cui licet surrogaretur Annianus, Ecclesiam tamen Antiochenam non vidit, quo feliciter Meletius per Synodum A. CCCLXI electus, nec tamen diuturnus, quum post mensem pulsus iterumque repetitus, ac de novo profligatus rursusque restitutus, tandem post celebratum Antiochense Concilium Constantinopoli exspiraret. Meletii relegati locum occupat Euzojus A. CCCLXI, Aarii familiaris, auctor formulæ fidei Arrianorum secundæ: carus Constantio, Aetii fautor, (cujus affectu, connivente Euzojo, Episcopum accipiunt Theophilum) Juliano invisus, colaphisque affectus, Valenti Imperatori acceptior, cujus ope Alexandriae Patriarcham Arrianum constituit. Eo sedente partes Eustathianæ ex machinationibus Luciferi Calaritani Paulinum Episcopum accipiunt, hominem turbulentum, hujus nominis tertium, qui & Arrianis & Melétianis æque infensus erat, quasi vero hominum, non salutis aut Christi causa in religionis negotio ageretur. Acerbum sese præstitit, omnesque concordia incedendæ rationes sprexit, donec sensum partes contentionum pertaxæ, hæcrescentesque a mutuis odiis aliquid remitterent, idque eo usque, quoad Paulinus occumberet, A. CCCLXXXIIX. Eodem intervallo Apollinaristæ Episcopum habuere Vitalem, de quo Epiphanius & Tillemontius T. IX, qui tamen Patriarchæ nomen nunquam obtinuit. Ita sequitur Euzojum Theodorus Heraclensis Thrax, qui omni-

bus Antiochenſium Eccleſiis præſuit, exceptis duntaxat una Paulini Eufſathiani & altera Meletianorum, quæ Palæa dicebatur. A. CCCLXXXI, teſte Theodoro, in Thraciam abire juſſus, quem excipit Flavianus in Synodo Antiochena adulto anno CCCLXXXI, conſecratus a Diodoro Tarſenſi, & Acacio Berrhoenſi menſe Auguſto, confirmatus in Synodo Conſtantinopolitana A. CCCXCII, ſolis Meletianis præſuit uſque ad pacem factam cum Eufſathianis A. CCCXCII. Obiit A. CCCCIV. Paulino in ſuis partibus ſucceſſit Eungrius A. CCCLXXXIX, & obiit A. CCCXCII, nemine ſuccedente. Vir probus ac Hieronymo unice carus. Sed hæc hæc haſtenus; quæ plura de ſequentium ſæculorum Patriarchis recensenda ſuperſunt, Supplem. T. IX Sectioni II, quæ ſub prelo eſt, inferemus.

IMPERATORUM IMPERII QUE PRINCIPUM ac Procerum totiusque Nationis Germanicæ Gravamina adverſus Sedem Romanam totumque Eccleſiaſticum Ordinem, inde a tranſlata ad Germanos Imperatoris dignitate uſque ad tempora Caroli V adornata, neceſſariis illuſtrata Obſervationibus a JACOBO FRIDERIGO GEORGII.

Francofurti & Lipſiæ, 1725, 4.

Alph. 3 plag. 9.

Opus eximium & lectu oppido dignum Cl. *Georgii* exhibemus, qui cum quendam ejus prodromum A. 1719 Jenæ ſub præſidio Viri de Eccleſia & Rep. Litteraria immortaliter meriti, *Jo. Franc. Buddel*, Eruditorum examini ſubjeciſſet, ex eo tempore juſtum Commentarium concinnavit, quo non modo Gravamina omnia inde a Carolo M. ad Carolum V (ſeu potius iſum Ferdinandum I) contra Papam & univerſum ordinem Eccleſiaſticum publice propoſita ex optimæ fidei ſcriptoribus (quorum fere ducenti in fine numerantur) produxit, notisque admodum appoſitis illuſtravit, verum & litium, quæ Imperatoribus cum Pontificibus interceſſere, luculentam ſimul hiftoriam expoſuit. Nos pau-

pauca a Cl. Autore bene monita pro more nostro hinc inde delibabimus. Religionem Lutheranam ad pacem Reip. & felicitatem procurandam multo aptiorem esse Catholica, contra Palavinum evincit. Ab Henrico IV Imp. graviter erratum observat, quod de perfidia Saxonum conquestus fuerit apud Pontificem, qui exinde iudicis sibi inter Imperatorem & subditos partes sumpserit. Cumque huic injunctum esset a Cæsare, ut se ipsum abdicaret, ne utiquam id probat indicio esse, quasi Pontifex a nemine iudicari posset, verum id factum esse ex more Romanorum, quo receptum, ut quibus Imperium certa de causa abrogandum esset, hi dignitati & existimationi suæ consulentes, per se & quasi sua sponte magistratum deponerent. De Paschali II notat, quod primus, omisso in publicis documentis anno Imperatoris, sui tantum regiminis annum apposuerit, eoque & hanc subjectionis notam deleverit. Innocentium IV Bulla illa, qua Fridericum absque ulla fere ratione in Concilio Lugdunensi excommunicavit, ab ipso Harduino Concil. Tomo VII p. 381 publicata, proprium jugulum petiisse docet. Nam cum ille inter alia diserte scribat: *quod si Ecclesia cum in aliquo laeserat (quod non credebatur) parata erat corrigere, ac in statum debitum reformare. Et si diceret ipse, quod in nullo contra justitiam laeserat Ecclesiam, vel quod nos eum contra justitiam laesissimus: parati eramus vocare Reges, Praelatos & Principes, tam eccles. quam saeculares ad aliquem tutum locum, ubi per se vel per solennes Nuntios convenirent; eratque parata Ecclesia de consilio Concilii sibi satisfacere, si eum laesisset in aliquo, ac revocare sententiam, si quam contra ipsum injuste tulisset &c.* ipsum fateri patet, i Ecclesiam ipsamque Pontificem aliquem contra justitiam laedere adeoque errare posse; 2 a jure Conciliorum non excludendos esse Principes saeculares; 3 Concilio subesse Pontificem, ejusque nutu revocare debere injustas a se latas sententias. Cum e Ludovici IV Imp. gravaminibus notat, quod inter alia accusaverit Pontificem, quod pedes sibi osculari more Diocletiani & Alexandri, crudelissimorum tyrannorum, permittat, de ritu hoc hodiernum solenni, quem primus admisse creditur Valentinus Pontifex, non proletaria refert. Calixtum III observat in Epistola ad Fride-

p. 12-19.

29.

38.

80.

145.

170.

250.

- Fridericum III expressis verbis fateri; *possumus & nos ut homines aliquando labi atque errare, in his maxime, quæ facti sunt.*
252. Æneam Sylvium notat decreta Basileensis Concilii antea contra Pontifices tuentem, mox cum Pontifex factus esset, annatas ab illo damnatas, exegisse a Diethero Atchi - Ep. Moguntino, cui cum pallium 20650 aureis Rhenensibus redimere nollet, adversarium excitavit Adolphum Nassovium. De sanctione Gallorum pragmatice docte quoque & accurate agit Autor. Imprimis vero prolixè de gravaminibus Noribergæ post Reformationem inquis commentatur, ubi inter alia legi merentur, quæ de Festis diebus paulatim in Ecclesia multiplicatis accurate collegit. Quibus denique appendicis loco tum gravamina a Georgio Saxonie Duce in Comitibus Wormatiensibus A. 1521 proposita, tum articuli, secundum quos Ferdinandus I Imp. reformationem institui desiderabat, subnectuntur.
- 297-327.
327-520.
430 sq.

COMMENTARII PRO HISTORIA ALBERTI II Ducis Austriae, cognomento Sapientis, scripti ab ANTONIO STEYERER, Societatis Jesu Sacerdote.

Lipsiæ, apud Th. Fritschium, 1725, fol.

Alph. 4 plag. 4 an.

Fidem suam librasse videntur Scriptores, qui ea, quæ Titulus spondet, in ipso opere reapse præstant, efficiuntque sua industria, ut, quod Actorum filiis familiare verbum est, rubro cum nigro apte conveniat; ex quo facile colligere est, Autores, qui non admodum prolixè in fronte promittentes, ipsa scriptura, & ea, quæ sunt polliciti, & longe plura & ampliora exhibent, non modo singularis modestiæ laudem ferre, sed & præter id, in quo fecerunt officium, liberales in reliquo & in libros suos munificos dici posse. Hoc elogio mactandus est Rev. Steyererus, Societat. Jesu Sacerdos, cui librum res Austriacas mirifice illustrantem *Commentarios pro Historia Alberti II* inscribere placuit; quos qui putabit illius Ducis sapientiæ fama inclinati res gestas unice explicare, nã ille perlecto capite I, quod Alber-

tum

tum II exponit, jucundissime falsus erit; offendet enim c. 2 res Joannæ, Comitissæ Ferretarum, uxoris Alberti II c. 3 res Rudolphi IV Fundatoris, Ducis Austriaci, quem filium genuere Albertus & Joanna; c. 4 res Catharinæ, quam Carolo IV tunc Moraviæ Marchione, postea Augusto & Bohemorum Rege, & Margaretha Valesia prognatam, Rudolphus Fundator sibi matrimonio junxit; c. 5 res Friderici V Alberti II Filii natu secundi, in ipsa adolescentia fati functi; c. 6 & 7 res Filiarum Alberti II, Catharinæ & Margaritæ, quarum illa ante annum 1363 principem exuta, in D. Claræ cœnobio intra muros Viennenses sacrum velamen induit, hæc primum Mainhardo, Ludovici Bojaricæ Ducis, & Margaritæ Maultschicæ Tyrolensis Comitissæ, Filio, postea vero, Mainhardo anno 1363 defuncto; Joanni Henrico, Moravici limitis Præfecto, Joannis Lucemburgici, Bohemicæ Regis filio, Caroli IV Augusti fratri, nupsit; offendet, inquit, horum Principum omnium res, brevi narratione expositas, sed ita ubique charitarum historiarumque veterum, maximam partem ineditarum, autoritatibus in Additionibus munitas firmatasque, ut nihil desiderari diligentæ possit. Ut autem constet Tituli, qui nonnullis forte præter modum angustus videbitur, ratio, sciendum est, Reverendo Autori olim placuisse, omnem Historiam Austriacam, qua ampliori luce egere videtur, id est, initio facta a Rudolphi I Cæsaris natalibus ad obitum usque Imperatoris Friderici vulgo III, agnomine Pacifici, describere, & in justos Commentarios redigere, ita quidem, ut cuilibet Tomo præfigatur nomen Principis unius ex illis, quos stirpis hujus Serenissimæ propagatores veneramus, infertis gestis Uxorum, Prolium, Nepotum, qui aut improles decessere, aut licet sæcundo matrimonio gavisi sint, ante hæc tamen tempora cum posteris suis defecere. Tribus illis sæculis nomina occurrunt sex, quorum sæcunditate dominus inclita perstitit: Rudolphus I videlicet, Albertus I Albertus II, Leopoldus Probus, Ernestus Ferreus, Fridericus III Cæsar: sex adeo Tomis erant adornandi a Doctissimo Steyerero Commentarii, quod opus ingens sane & laboriosum, quanta industria, constantia animi, sedulitate, judicio & felicitate aggressus sit, satis loquitur Tomus hic Commentariorum, tertius ordine,

ut opinamur, sed cui primo tam felici esse licuit, ut elucubratus in lucem publicam prodierit. Persuadet nobis laboris, quem Clarissimus Autor rebus Alberti impendit, ratio, quæ ad reliquos Satores Austriacos pertinent, maximam partem jam esse congesta; ut adeo dulcis nos soveat spes, fore, ut reliqui quoque Tomi in dias luminis auras producantur, licet animi dubii haud obscura vestigia alicubi deprehendisse nobis videamur; sane illis, quæ excellens opus morari possent, aut generoso contemptu spretis, aut invicto animo superatis, debet hanc operam Noster Genti, quæ non est excelsior ulla, debet hoc sibi præmium, suæque diligentiz, enascituram inde ex merito gloriam, debet hoc societati suæ, de aliis bonis literis præclare meritæ, tam insigni exemplo ad hæc etiam studia excitandæ, debet denique idem communi patriæ, cuius historia condere, & emendare non omnibus datum est, sed iis, quibus illa veneranda veteris memoriæ sacraria tam feliciter referre licet, uti eidem Clarissimo Viro, Autori nostro, contigit.

Si speciminis loco, ut fert nostri instituti ratio, nonnulla adducenda sunt, salivam ut moveamus palato harum deliciarum appetenti, copia & ubertate preminur; ita ubique documenta inedita probatissima, verissimæ probationes, doctissimæque conjecturæ & clarissimorum scriptorum emendationes occurrunt, & quod proprie dicimus, utramque paginam faciunt; obsequendum tamen est mori, & exemplis, ut in manus veniunt, utendum. Alberti II annus natalis in nullis monumentis, quæ Nostro suere ad manus copiosissime, legitur. Quid noster Reverendus Autor? ostendit ex idoneis autoribus, Albertum fratribus Rudolpho, Friderico, Leopoldo postponi, præferri autem Henrico Mainhardo & Ottoni, ex diplomate Anni 1310 12 Cal. Maji monstrat, ista tempestate Albertum nondum ad annos legitimos pervenisse, id est, annos quatuordecim vivendo non exegisse, ex quo sequitur, ante annum 1296, 12 Cal. Decemb. non fuisse natum; exeunte anno 1295 Albertus Pater veneno hausto graviter decumbere coepit & ægre, oculo etiam uno amisso, sanitatem recuperavit, minus idoneus interea ad augendam sobolem; anno autem 1297 filia edita est ab uxore Alber-
ti

ti Elifabeta; denique anno 1298 XI Cal. Decembris Tabulæ editæ sunt, qua Albertus, cæso Adolpho, Imperator, filiis suis Rudolpho, Friderico, & Leopoldo, ditiones Austriacas concessit in feudum, nulla iterum mentione facta Alberti II: ex quo colligitur anno eodem, mense Decembri progenitum esse Albertum, in posteriorem enim aliquem annum rejicere Alberti natales vetat, quod generandis fratribus tribus junioribus, Henrico, Mainhardo & Ottoni, quos anno 1301 viros fuisse constat, tempus naturæ legibus præscriptum non superesset. Nulli dubitamus, fore, ut aliquando doctissimæ diligentissimæque conjecturæ idoneo testimonio corroborentur. Albertum ante nuptias ad regimen Ecclesiæ Passaviensis, majori tamen suffragiorum parte in Gerhardum a Walse inclinante, esse electum, antiqui affirmant pariter atque recentiores, atque inter hos Viri longe gravissimi, Cuspinianus, Lazius, Hundius, Pontus Heuterus, Gansius, Schönleben, alii. Noster falsitatis hoc arguit ex ætate Alberti immatura, Chronologiæ ratione, & ipsa Walseanorum procerum in Duces Austriacos observantia; & quæ de Ecclesiastica dignitate referuntur, Alberto Saxoni tribuenda esse, scriptoribus synchronis firmat. Carinthiæ Ducatus, quem Rudolphus Cæsar an. 1282 filiis Alberto & Rudolpho, ab his deinde abdicatum A. 1286 Mainhardo Tyrolensium Comiti contulerat, ad Albertum nostrum & fratrem Ottonem rediit, Henrico Carinthorum Duce, nullo relicto filio, defuncto anno 1331, si audiamus Megiserum, Lazium, Fuggerum ac Valvasorium, at quanta in ista Historia nomina, sin Nostrum, Necrologiorum & Chronicorum Manuscriptorum fide suffultum, anno 1335. Carinthia ab Austriacis occupata, Margaretham Maultaschiam gravissimum bellum molitam esse, narrat Megiserus, commisisse prælia, cepisse urbes, diruisse castra nonnulla, alia obsedisse, donec a socero pacem amplecti juberetur. Et quidni narret hæc bonus Vir? Nicolai Claudiani sarrago Rerum Carinthiacarum eadem tradit, sed & chartæ veteres idem testantur, nempe mandatum Alberti II Ducis, quo Conradum Krayg Carinthiæ Prætores nominat A. 1339 5 Cal. Julii. Sed latissimam errorum a Megisero commissorum seriem collectam in unum exhibet Clarissimus Steyererus, & do-

p. 9.

8e.

99.

- diffime, cum istud Alberti Ducis diploma confectum, tum expeditionem Maultaschiæ, recentioribus celebratam, ementitam esse ostendit, ex quo apparet, neque vetustorum monumentorum apparatus rem confici, nisi ea etiam mentis acie quis polleat, ut, quid distent æra lupinis, acutum videns discernere possit. Eadem *æra* *Bela* utitur Noster in examinando diplomate Caroli IV. Imperatoris, quo aliud Ricardi Regis, Ottocaro Regi Bohemiæ olim datum, confirmasse dicitur; & quod Goldastus in Commentario de Regno Bohemiæ in Appendice documentorum edidit, multisque argumentis demonstrat, hoc idem aliis, quæ dubia aut nulla fide edidit Goldastus, esse annumerandum. Vetus fabula est, Joannam, Alberti II Uxorem, Ludovicum Bavarum Imperatorem, propinato toxico, peremisse, quam ab Andreæ Presbyteri Argentinenfis auctoritate, licet Joannam nominatenus haud designet, originem accepisse, verisimile est; sed mirifice dissidere Autores, & labi omnes, egregie demonstratum dedit noster Autor. Rudolphus Dux natus est Anno 1339, quod non argumentis historicis, aut testimonio privato, sed publico, propriaque in sigillo confessione, modo prorsus singulari probatur; ubi tamen nonendi sunt Lectores, sphaema typographicum irrepsisse, & loco Anni MCCCXXXIX legi MCCCCXXXI, quod & ipsa res loquitur, & ipsum sigillum n. XII æri incisum satis testatur.
683. Natali principis Austriaci jungamus alterius Austriæ Principis eporthalem diem nemini memoratum, Margarethæ puta, filix Alberti II: est ille XIX Calend. Febr. Anni 1366, ex Monumentis Gemnicensibus præclare erutus. Magna fuit Alberti Ducis in fundatam a se Cartusiam Gemnicensem munificentia, cujus historiam ex monumentis præclarissimis secundum temporis ordinem digestam hic vix ac ne vix quidem expectaveris. Sed & catalogus venerabilum Antistitum illius Cartusix, ab humanissimo doctissimoque Viro, Leopoldo Widemanno, Patre Gemnicense, communicatus, paulo post legere est. Ferretanorum & Montisbellicardensium Comitum stirpem longe accuratius, quam Guillimannus in Historia Austriaca manuscripta fecerat, traditam alio in loco reperies. Quæ de Academiæ Viennensis antiquitate & origine traduntur, Hafelbâchium, Lazium, Edêrum; erroris

roris negligentiaque convincunt. Pretium suum merentur Catalogi Rectorum Viennensium ab Alberto de Riggerstorff seu de Saxonia, qui primus A. 1363 laudatissimæ Vniversitati præfuit, ad Joannem usque Cuspinianum, qui A. 1500 fasces tenuit, Præpositorum Cathedralis Ecclesiæ Viennensis, nec non Decanorum ejusdem Ecclesiæ & quæ alia non ad Austriacorum sed Viennensium res pertinentia afferri possent. Nolumus esse prolixiores, cum movere salivam, non sitim studiosorum rei patris reslinguere fuerit animus.

p. 451.

527.

543.

**MISCELLA HISTORIÆ PALATINÆ, CUM
maxime vero Bipontinæ, inservientia: GEORGIUS
CHRISTIANUS JOANNIS publici juris fecit.**

Francofurti ad Mœnum, sumtu Frid. Wilh. Försteri, 1725, 4.
Alph. 2 plag. 2.

CUM Celeb. Editor *Danielis Papei* Historiam Palatinam, cum notis suis A. 1717 editam & ad eundem Annum productam, nova rerum inde usque ad annum superiorem gestarum appendice augere constituisset, non modo curas posteriores in editionem illam, verum & alia quædam, Historiæ maxime Bipontinæ (quam ab eo tempore, quo Bipontum a Carolo XII, qui Lyceum illic aperire decreverat, ad docendam Historiam vocatus fuit Autor, singulari studio coluit,) inservientia, præmittere operæ pretium duxit, Exstant itaque hoc volumine primum Animadversionum in *C. L. Tolneri* Historiam Palatinam specimen duo, quorum primo res Historicas, secundo Genealogicas Ducum Bipontinorum examinat, & multa industria, prolatis subinde diplomatibus, emendat. Cum vero non dissiteatur, plura etiam parorata sibi in opere illo, alias laudatissimo, animadversa, optamus, ut cetera quoque non invidet eruditis, & stemma imprimis Bipontinum, quod accuratius se evoluturum promittit, in lucem ecat, sperantes, id hoc minus ægre laturum Celeb. *Tolneri*, quod ipse idem jus in alios Scriptores, quos frequentèr cõtingit, statuendum censuit. Quanti verò momenti sint Nostri ob-

p. 132.

servationes, vel ex ultima liquet, in qua, dum Tolnerum asseruisse refert, Jo. Casimirus C. P. in Cleburg A. 1652 d. 25 Dec. occisum in Polonia, demonstrat, eundem potius Mense Junio ejusdem anni in Suecia vitam placida tranquillaque morte finivisse. Succedunt *Balthasaris Venatoris*, Viri literatissimi, sed in turbis Palatinis infinitas ærumnas perpeffi, postea Consilarii aulici Bipontini (cujus vitam a Nostro luculenter descriptam legere juvabit) Apospasmata, Epistola nempe de misero Germaniæ, præcipue vero Ducatus Bipontini, tempore belli tricennalis statu, anno primum 1637, & Civitatis Bipontinæ Querimonia de debito non debito adversus Pallantii Moriamæi iniquissimas exactio-nes, A. 1649 vulgata, sed inventu rarissima, quibus illorum temporum facies graphice depingitur; subjuncta ex MSto Adlocutione ad Collegas Consiliarios, plena bonæ frugis. His demum ab Autore nostro tum ejus curæ posteriores ad *Parcum*, quibus ea, quæ ad illum de scriptis res Palatinas illustrantibus præfatus erat, supplet, inter alia Conf. *Frid. Ben. Oertelii* nostri Dissertationeæ de Ruperto commendans; tum ea, quæ ab A. 1717 in Palatinatu religionis imprimis causa gesta sunt, fideliter ac diserte descripta, subjiciuntur.

MEMOIRES DU REGNE DE PIERRE LE
Grand, Empereur de Russie, Pere de la Patrie.

i. c.

COMMENTARII HISTORICI REGIMINIS

Petri M. Russorum Imperatoris ac Patriæ Patris;

Autore JOANNE NESTESURANO-

JO, Barone.

Tomi II.

Hagæ Com. ap. R. C. Albertum, & Amstel. ap. Heir.

Uytwerf, 1725, 12 maj.

Alph. 2 plag. 3.

DUm Petri, & factis & virtutibus verè Magni, Russorum Impe-
ratoris, morte præmatura extincti, mirandam rerum gesta-
rum

rum seriem opere digno descriptam expectamus, offerunt se nobis Commentarii a Russo quodam, ut traditur, scripti, a veritate quidem ut plurimum haud alieni, publicis tamen documentis, si obvia ubi vis demas, & interiore factorum causarumque cognitione deslituti, ut adeo tanti Herois imaginem ex rebus ipsis elucescentem vix tenui penicillo adumbratam conspiciamus. Tomus I complectitur Historiam eorum, quæ ab origine Russorum usque ad Petri M. tempora obtigerunt; II res gestas, Petro M. imperante, usque ad annum 1706, quas Tomo III, mox typis vulgando, se ad mortem ejus deducturum, Tomo IV autem rei Nummaria notitiam, & Tomo V exactam terrarum Russicarum descriptionem, rejectis erroribus vulgaribus, expositurum, Autor pollicetur. Ceterum cum pluribus, sat aliunde notis, immixta quædam deprehenderimus scitu non injucunda, ne cuncta insuper habuisse videamur, nonnulla hinc seligere haud abs re fore putamus. Gentes Septentrioni proximas diluvio universali haud correptas, opinatur Autor, unde factum, ut a reliquarum moribus alieniores deprehendantur. Wlodimirus II solennia inaugurationis primus introduxit, unde Czari titulo a Clero decorabatur. Cum Daniel, Magni Ducis nomine primum insignis, circa annum 1300, sedem suam transtulisset Moscuam, exteri ex eo universum populum Moscovitæ vocare ceperunt. Basilus, Demetrii filius testamento Gregorium fratrem, filio Basilio præterito, & Gregorius iste, filiis duobus exclusis, istum Basilium, testamento successores nominarunt. Jo. Basilides quoque id dedit precibus uxoris Sophiæ, ut filium Gabrielem, præterito nepote Demetrio, ex Joanne primogenito prognato, heredem nuncuparet. Feodor sive Fridericus Alexiades, morti proximus, multis frustra dissuadentibus, salutem populi supremam legem existimans, seposito fratre Joanne, minorem natu, Petrum I Regni successorem destinavit. Fœderis formula, qua Romanorum Imperator Maximilianus I axiomate *Imperatoris & Dominatoris omnium Russorum* decoravit Basilium, heic sistitur. Basilus, Joanne fatus, uxorem priorem, sterilitatis infirmulam, reluctante licet, monasterio inclusit. Joannem Basilidem tyrannidis falso accusatum, Noster censet, *Iusti* potius & *Boni* nomine dignum, cum artes manufarias, nauticam & commercia curæ cor-

T.I. p. 2.

14.

20.

25.

31.

469.

40.

63.

67. 180.

dique

- dique habuerit, quæ vero sævitiam redolere videantur, ex genio
 populorum, cum quibus ipsi bellandum, quosve Imperio rege-
 bat, dijudicari debeant. Principi jus summum circa sacra com-
 petere, nec Russorum moribus illud fuisse inauditum, demon-
 stravit Basilides, dum sacra munia in monasterio Alexandrino
 sæpius obiret. Patriarcharum inter Russos autoritas ad summum
 evecta est, imperante Michaelē Fedrovizio, qui parentem, sum-
 ma hac dignitate Clericali pollentem, cui debebat Imperium, de
 rebus gravissimis consultare, ipsique in solennibus publicis pri-
 mum semper locum concedere consuevit. Alexii Legatus ad
 Clementem X Pont. Romanum, quamvis Romanensium sacris
 ipsemet esset addictus, pedes tamen Pontificis deosculari recu-
 savit, indignum illud Majestate Domini sui fore dicitans. Nunc
 ad Petri M. tempora delabimur. Cubanskius, Prætorianorum
 (*Sretlizen*) præfectus, Regno inhians, ut filium jungeret Catha-
 rinæ, Petri M. sorori, annitebatur; sed Sophia, soror altera, sce-
 lus subodorata, ipsum filiumque, ad epulas solennes invitatos, ac
 in itinere captos, truncari capite curavit. Galliczynius, violenta
 Sophiæ consilia haud probans, Autor ipsi fuit, ut Joannem fra-
 trem germanum, quem sterilem putaverant, ad matrimonium
 ineundum induceret. Hoc enim modo Petrum, spe successione
 delusum, vitam Ecclesiasticam amplexurum, Joannis autem li-
 beros olim, velut ex adulterio prognatos, regno minus habiles
 futuros, sibi persuaserat; verum Petro paullo post connubium ine-
 unte, Galliczynii consilia successu destituta sunt. Ipse Galliczynius,
 ob atrociores conjurationem postea detectam, Kargam in exili-
 um abire jussus; ac Sophia, ex fuga in Poloniam retracta, cœno-
 bio, ipsiusmet sumtibus exstructo, est inclusa. Ceterum causas,
 cur Petrus divortium fecerit ab uxore prima, frustra in Commen-
 tariis hisce quæsieris: injurium vero Autorem pæne deprehen-
 dimus in Batavos & Germanos, quos nimis curiositatis incusa-
 re haud veretur. Petrum non timor, quod vulgo jactabant Sueci,
 sed rumor, hostes cum valido 50000 exercitu Archangelopoli
 appropinquare, permovit, ut paucis diebus ante prælium pro-
 pe Narvam commissum, ad hostes a finibus arcendos festinans, i-
 tineri se daret. Victores hoc in prælio Suecos Russorum Cle-
 rus

rus fortilegii criminis accusabant, unde precibus ardentissimis, hunc in sinem compositis, S. Nicolaum armis suis propitium red-
dere conabantur. Quam alienus fuerit a sanguinis humani pro-
fusione Petrus M. vel exinde patet, quod saepius illustres Viros,
gravioris criminis reos, velut homines iudicio destitutos, factum ad
scurræ aulici officium obeundum damnaverit. Sueci ipsa Ducum
Curlandiæ sepulchra rapinis violaverant, unde Russi, ne suis id
olim imputaretur, Mitavia occupata, curarunt, ut inventarium de
statu, qualis tum erat, Suecis præsentibus, conficeretur. Mardefel-
dius, dux belli inter Suecos, a Potentissimo Rege *AUGUSTO* clam
monitus, ut pace jam conclusa pedem referret propè Kalisium, ne-
cius quippe hæcenus illorum, quæ a Rege suo fuerant conventa,
artem suspicatus bellicam, bono consilio aures præbere recusabat,
unde ipse quodammodo cladis suæ autor exstitit.

P. 419.

563.

601.

ANNOTATIONES IN SUETONIUM DO-
disimi D. JACOBI PERIZONII, Professoris
Lugduni Bat. celeberrimi, exhibet M. CHRI-
STIANUS PHILIPPUS KOEL-
NERUS.

Wratislaviz, apud Mich. Hubertum, 1725, 8.

Alph. 1 plag. 9.

QUæ rationes Editorem harum Annotationum impulerint, ut Perizonii curas luci publicæ exponeret, cum ipse aperire noluerit, nos quidem divinare non possumus. Hoc tamen scimus, si ipse Celeb. Perizonius hujusmodi scriptis orbem onerare voluisset, potuisse illum singulis septimanis in singulos auctores observationes bibliopolis tradere. At is reverentius habebat famam suam; neque illam unquam hujusmodi tumultuaria scriptione læsisset. Nihil enim aliud continent hæ Annotationes, nisi breves quasdam explicationes verborum, antiquitatum quarundam, & si quæ sunt alia; quæ prima statim fronte produnt, esse ex Scholis sive lectionibus Perizonianis totum hoc opus consistit. Circumferuntur nempe hodieque similes Annotationes Gronoviorum, Cuperi, Schultingii aliorumque in varios

E e

Sci-

Scriptores, quas ipsi Autores nunquam eo consilio effuderunt, ut aliquando eo habitu cum orbe erudito communicarentur; sed tantum privato discipulorum suorum usui destinarent. Multæ etiam ex iisdem Annotationibus a male feriatis hominibus suppositæ sunt. Quas si quis post fata autorum typis describere jubet, nã iste injurius est in inanes Virorum eruditorum, & exemplum posteris prodit optimi cujusque famam lacerandi. Quis enim ex eruditis schedarum suarum securus esse poterit, aut quis eas omnes ita conscripsit, ut ab alio quovis, sine lima nôstra, cum aliis communicari possint? Viderit itaque Cl. Editor, quam gratiam apud eruditos initurus est, cum Viri doctissimi non satis limatas adnotationes edidit. Maxima enim pars non nisi vulgaria continet, & quæ vel Pitiscus ille dudum docuit. Pauca, quæ luce digna videri possent, non nisi tironibus proderant, qui ne ipsi quidem inopia talium observationum laborant. Accedit denique, quod omnia valde negligenter tractata & innumeris mendis conspurcata sunt. V. gr. pag. 43 citatur monumentum *A-negranum*, cum haud dubie *Ancyranum* esset scribendum. Pag. 481 pro *exsilio* scribendum esse *exilio* docetur; ubi pro *exordio* scribendum esse *exodio* exprimere debuerunt. Et talia quidem infinita occurrunt.

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI

Pœcile, sive Epistolæ miscellaneæ.

Tomii II Liber I.

Halæ, in officina Rengeriana, 1726, 8.

Plag. 10.

NOVUM nuper exorsus est Clarissimus *Heumannus*, Collega nôster perindustrius, *Pœcilei* suæ Tomum, cujus en Librum primum! Hujus *prima* Epistola illustrat quatuor Græcorum librorum titulos, quorum Latina versio in usu est falsissima. Docet igitur ex ipso Xenophonte, ejus opus de *Κύρος παιδεία* perperam nominari *de institutione Cyri*, cum *παιδεία* ibi designet *vitam, virtutes atque instituta Cyri*. Hac occasione etiam profitetur, se opus illud Xenophontis contra, ac Cicero olim indicavit,

cavit, habere pro historia verissima. Deinde eos docet errare, qui Aristotelis libro *περὶ ἑρμηνείας* Latinum præscripserunt titulum *de interpretatione*; cum ibi *ἑρμηνεία* nihil sit aliud, quam *elocutio Logica*. Tum Luciani librum, *βίβλος περὶ πρῶτης* inscriptum, hoc Latino titulo insigniri jubet: *Sectarum Philosophicarum affectio*, demonstratque, Sectas Philosophorum Græcis appellatas fuisse *ἑῖς*. Denique multis contendit, M. Antonini Imp. libros *εἰς ἑαυτὸν* verti Latine debere: *ad se ipsum* sive *Soliloquia*: qua occasione pluribus exemplis probat, τὸ *εἰς* sæpe poni pro *πρὸς*, & τὸ *in* sæpe pro *ad*. *Secunda* Epistola judicij Autoris exhibet de aliquot libris Theologicis, eaque cum severa, tum libera, & quidem de *Lutheri Colloquiis mensalibus*, de *Seckendorffii Historia Lutheranismi*, de *Dallai opere de usu Patrum*, deque ejus libro *adversus Latinorum de cultus religiosi objecto traditionem*, de *Chemnitii Examine Concilii Tridentini*, de *Alex. Mori Notis ad N. T.* de *Sarpis Historia Concilii Tridentini*, de *Joan. la Placette libro de Scepticismo Rom. Ecclesia*, de *Philasrii libro de heresibus*, de *Witsii Oeconomia sæderum*, de *Elswichii libro de reliquiis Papatus*, de *Conringii Concussione fidei Pontificia*, denique de *Schuzii Vita Cbytræi*. *Tertia* Epistola observantur duo veterum Poetarum fragmenta in Cicerone & Seneca, quæ adhuc fuerunt Criticorum oculos, simulque & Gellii & Senecæ loca aliquot emendantur. *Quarta* exhibetur emendatum & illustratum carmen Petri Apollonii Collatini *de duello Davidis & Goliath*, cujus primam editionem nos in his Actis commemoravimus A. 1692 p. 558. *Quinta* multis argumentis contenditur, relationem Eusebii de cruce cælesti a Constantino M. inspecta falsam profus esse, atque Imperatorem illum summx Eusebii simplicitati ea narratione suaviter illusisse. *Sexta* catalogus representatur clarorum hominum, qui ex variis nationibus vel nomen vel cognomen gesserunt *Bonorum*. Occasione hac illustratur locus *Joan. 1, 47: An potest a Nazareth esse aliquid BONI?* doceturque, *ναζαρέθ* hic loci idem esse, quod *excellens & eximium*: cujus notionis exempla producuntur e Xenophonte, Æschine, & Aristotele. *Septima* investigatur etymologia nominis *Pedantæ*, ostenditurque, ei nomini originem dedisse *Pedanum*

quendam, Italiae Saeculo XV Grammaticum: unde rectius dici *Pedanum* & *Pedanismum*, quam *Pedantam* & *Pedantismum*. *Octava* refellitur primo argumentum Pontificiorum, a prudentia ecclesiastica petitur, quo recte vetari Laicis judicant lectionem S. Scripturae: deinde docetur, auctoritatem Papae decidendi controversias fidei non fundamento infirmissimo, ex quo facilius probetur, Petrum, Russorum Monarchiam, esse caput Ecclesiae. *Nona* & subsequentibus duabus e codice M. S. optimae notae emendantur *Poggii Florentini libri de varietate fortunae*, nuper Lutetiae mendosius publicati ac minus perfecte. *Duodecima* recensetur *Symposii Laclantiani* editio, quae A. 1607 Romae prodit cura Iosephi Castalionis, ac simul Italica illius *Symposii* versio, ibidem A. 1603 prelo subjecta a Jacobo Castahone, Iosephi patre. Sequitur decimo tertio loco Dissertatio *de stella Magis praehicenti*, in qua nova plane proponitur illius historiae interpretatio. Scilicet postquam ostendit, Magos illos e vaticinio Danielis cognovisse, illo ipso tempore nasciturum esse Iudaeorum Messiam; eosque orta nova stella per somnium a Deo edoctos esse, stellam hanc esse indicem ac veluti praedonem novi Iudaeorum Regis, simulque Iudaeam petere iustos; iudicat, eos & Hierosolimam & deinde Bethlehemum petiisse, atque huc noctu delatos, cum domui, in qua Maria Deipara erat, proximi starent, subito eandem stellam, quam in Persia viderant, in caelo observasse, iustoque ob id per suos gaudio statim intrasse illam domum, ac ibi reperisse sanctissimum infantulum. Negat enim, stellam Magorum ducem fuisse itineris, cuiusque Matthaeus refert, *stellam praecessisse Magos*, id interpretandum censet sensu plusquam perfecto. *Stella*, inquit, *quam viderant in Oriente, praecesserat eis*. Confirmat hanc suam sententiam alio Matthaei loco *Cap. XXVIII, 7*, ubi Christus dicitur discipulos suos *praecessisse* in Galilaeam, non quod is itineris ducem se iis praebuerit, sed quod ante eos illuc venerit. Simul refellit sententiam non neminis, qui arbitratus erat, Magos illos fuisse viros literatos, a Iudaeorum Archisynagogis aut praesidibus ex illorum gente & Synagoga, e regionibus transjordanensibus, e Syria praecipue, in Iudaeam ablegatos ad quaerendum suum diu desideratum

p. 137 seq.

tum Messiam. Vltimum locum tenet dissertatio *de sanctitate Regum*, in qua postquam ex antiquis monumentis docuit, Reges appellari solitos fuisse *sanctissimos*, naturam ac partes *sanctitatis regiae* investigat. Consistere igitur in eo censet Regum sanctitatem, ut (1) tanta prosequendi sint reverentia, qua maiorem erga ullum hominem concipere non possimus: quia nimirum non solum sint patres ac domini suorum civium, sed ab ipso Deo civitatibus praefecti, adeoque summi Numinis sunt vicarii; (2) prorsus sint inviolabiles; (3) singulari Dei providentia & servantur & defendantur.

EVERHARDI FEITHII ANTIQUITATUM *Homericarum Libri IV.*


Amstelodami, apud Sal. Schouten, 1726, 8.

Alph. i pag. 6.

IAmadum desiderata fuit nova huius libri, cuius auctorem Bælius *Dictionario* suo inserere dignatus est, editio. Cum igitur primæ editionis, A. 1677 factæ, nullum bibliopolis superesset exemplar, & altera editio, in *Tesouro Antiq. Græc.* Gronoviano *T. VI* facta, paucorum reperitur in bibliothecis; laudem profecto & gratias meretur novus Editor, tam utile opus reducens in scenam literatam. Est autem nova hæc editio prioribus accuratior. Sublata enim sunt, ut Præfatio docet, menda typographica: locis Homeri additus est & librorum & versuum numerus: imo addita sunt nonnulla, quæ diversa typorum forma exprimuntur: ac denique Index accessit eum rerum, tum verborum. Ad ipsum opus quod attinet, quicquid de prisca religione, priscaque ritibus ac moribus, sive publicis sive privatis, scriptum reliquit rex pœtarum, hic admodum concinne suos redactum sub titulos reperitur, magno lectorum commodo. Ac libro quidem *primo* exhibentur Antiquitates sacræ, *secundo* politica, *tertio* domestica, *quarto* militares, adjunctis de agricultura, de venatione, de musica, de saltatione, deque variis ludorum generibus commentationibus accuratis. Reperies itaque hic, quæ tradidit Homerus de Diis Græcorum, de locis & ministris sacris.

de precibus ac votis, de sacrificiis, de sepultura, de lustrationibus, de divinationibus. Occurrunt deinceps Homérica loca de Regibus, eorumque insignibus, judiciis & pœnis: de contractibus civilibus, de hæreditatibus, de nuptiis, de liberis ac servis. Tum offendes convivia veterum, vestitum, ornatum, domicilia. Postremo de armis, navibus, obsidionibus, præliis, pace ac fœderibus, ducit Homero, disseritur. Hæc commemorasse sufficiat. Non est enim nostri moris, libros veteres uberiori recensione persequi, maxime illos, quos jamdudum excepit applausus eruditorum communis.

PARELII DUO CUM PARTE HALONIS Iridem inversam representantis, die 7 Febr. Giesse Haforum observati a D. JO. MELCHIORE VERDRIES, Med. & Physic. P. P. O.



Die

Die septimo Februarii, hujus anni, acerrimum frigus, quod ante aliquot dies coeperat, magno rigore perdurabat: cœlum mane, oriente Sole, erat, ad sensum, serenum & illime, ventus borealis, mercurius in barometro eo altitudinis constitutus, ut cœlum serenum significaret & promitteret. Post horam nonam, cum negotiis gravioribus districtus mutatum aliquo modo cœli statum non perciperem, ab amico nuntium accipio, conspici in cœlo iridem. Mirabar nuntium & vix possibile credebam, eo cœli statu, qui adhuc videbatur serenus, in conspectum venire iridem. Interea actutum in locum me confero, ubi liberius prospicere cœlumque tueri possem, accurrit simul dictus modo amicus, & statim oculis nostris se silit segmentum quoddam halonis iridis coloribus elegantibus atque satis distinctis conspicuum: crura versus regionem verticalem protendebantur, ut iris inversa videretur. Cœlum ea parte erat serenum, rariori tamen vapore albicante pellucido, ut videbatur, obductum. Cum vero eo loci processissem, ubi orientalem cœli plagam Solemque ipsum conspiciere dabatur, elegantissimum oculis occurrebat phænomenon. Sol jam ad 17 gradus supra horizontem positus extraordinario & admirando fulgore mirum in modum exsplendescibat, magnaque & pulchre ex flavo albicante corona cinctus comparebat. Ad latera Solis, in ipsa illa corona, apparebat utrinque Parelius pulchre albicans & radians, ita ut corona in illo loco, ubi Parelii conspiciebantur, ab alia quasi secari videretur, quamvis circulum magnum horizonti parallelum, qui alias cum ejusmodi phænomenis observari solet, licet solcite & studiose questum, observare non potuerim. Cœlum utcumque adhuc erat serenum, magnoque splendore oculorum aciem præstringente illisque officiente repletum, vapor tamen aut nebula rarior per aerem universum dispersa videbatur, quæ sub ipsa observatione, in forma lamellarum aut foliorum oblongorum, instar nivis, confestim decidebat, ut terra quasi nive vel pruina contegeretur, urgente simul frigore penetrantissimo. Cumque Solis radii liberius adhuc transirent & omnia collustrarent, totus aeris tractus, pulcherrimo spectaculo, non tantum mirum in modum illuminatus, sed innumeris radiantibus quasi speculis refer-

rus lumen intendebat & dispergebat. Cum postea locum altiorē conscenderem, ipsa phænomena adhuc constanter comparabant: observabam tamen vapores & nebulas per ventum Euro-Notum, qui vento Boreali, mane adhuc flanti, successerat, magna cōpia advehi totumque hemisphærium iisdem, imprimis circa horizontem, jam repletum, ut omnia circumcirca optica densitate valde obscurata apparerent: sicut & mercurius in Barometro jam ad decem fere lineas descenderat. Cum per aliquod temporis spatium phænomena intuerer, aerem, advectis successive densioribus vaporibus & nebulis, magis obscurari videbam, ita ut & Soles spurii, cum primis circa limbum, rubicundum colorem exhiberent, corona vero & segmentum halonis magis magisque diluerentur, donec post horam decimam, cœlo jam albicante nubium tractu obducto, omnia disparerent.

Ipsa phænomena, prout illa cum amicis aliisque pluribus concurrentibus hominibus conspexi atque delineavi, adjecta figura exhibet. Diametrum coronæ Solem cingentis 45 grad. deprehendi, unde Sole 17 grad. supra horizontem elevato, pars hujus coronæ inferior sub horizonte ortivo latebat. Supra coronam, ut figura com monstrat, halonis segmentum, iridis coloribus pulchre radians, in oculos incurrebat, ea plane tum magnitudinis tum distantie proportione, quam figurâ ostendit, sicut & ordo colorum iridis primariæ colorum ordinem imitabatur. Interior erat purpureo-cœruleus, hunc sequebatur viridis & hunc flavo-rubicundus.

Ex enarratis hisce, quæ hæc phænomena circumstabant, conditionibus satis superque perspicitur, aerem tum temporis vaporibus & particulis glacialibus fuisse refertum; cum lamellæ & foliola glaciæ per aerem volitantia & decidentia potuerint conspici. Illos vapores fuisse rariore, quamdiu scilicet phænomena conspici poterant, neque alte super invicem coacervatos; cum lucem copiose & abundanter transmiserint, serenitatem non interceperint & cœli colorem oculis non eriperint. Fuisse quoque terræ propiores, cum nebulæ instar deciderint atque horizontem obscuraverint. De modo, quo secundum léges opticas illa phænomena fuerint producta, cuilibet iudicium liberum esto.

PRO-

PROBLEMA ARITHMO-TECHNICUM, Arithmophilis ad dijudicandum, utrum illud pro possibili an impossibili solutu habendum sit, propositum a JOH. WILHELMO THEOD. LEICHNERO, Erfurtensi, Ph. M. & Dicast. Electoral. Erfurtens. Adv. Ord.

Sex invenire numeros tales, ut si eorundem primo quicumque numerus integer pro lubitu assumitur; secundo autem dicti numeri pro lubitu assumti quadratum; tertio ejusdem cubus; quarto ejusdem biquadratum; quinto ejusdem surde-solidus & sexto tandem ejusdem Quadrati-Cubus multiplicetur, hisque productis in unam summam collectis illius pro lubitu assumti numeri Bisurde-solidus addatur, hec posterior summa semper per 5040 sit divisibilis. Sen: Invenire sex coefficientes numeros, qui in sequenti quantitate Algebraica: $x^7 + ax^6 + bx^5 + cx^4 + dx^3 + ex^2 + fx$ pro a, b, c, d, e, f substituti producant semper numerum per 5040 divisibilem, quemcumque numerum (ubi quis tamen eundem) pro x substituat.

Cum nullus dubitem, plerosque & tantum non omnes, ipsos etiam Arithmo-technites hoc problema pro impossibili solutu esse habituros, operæ pretium duxi, idem publice proponere, certioresque Arithmophilos insuper facere, esse quendam qui non solum pro solutu possibili reputat, sed & ipsam solutionem intra non longum temporis spatium invenire spondet, si ii qui ejus impossibilitatem sibi nimium persuadent, præmium centum nummorum uncialium vicissim spondeant, quemadmodum reciproce ipse centum aureos Hungaricos iisdem se soluturum sancte promittit, si dictum problema stipulandum intra tempus solutum dare nequiverit. Rogatos igitur vult Arithmo-Dædalos, ut quam proxime mentem suam hoc super problemate declarare hæud dedignentur, quod vel per literas privatas, enata occasione ad me supra nominatum deferendas, vel etiam, si ita lubet, publicas, his Actis inferendas, fieri poterit. Si autem fortean etiam alii nonnulli solutionem dare in se suscepturi sint, eos se

dicti præmii ex æquo participēs redditurum promittit, hac tamen conditione, ut si in solvendo problemate deficiat aliquis eorum, tantam multam, inter solventes ex æquo itidem dividendam, solvat, quantam pecuniæ partem alioquin accepturus fuisset. Quod si etiam impossibilitatis persuasi plus pecuniæ in casum solutionis offerant, semper duplum oblatæ pecuniæ in casu succumbentiæ rependendum in se recipit. Poterunt autem sat commode quamplures, qui impossibilitatis sunt persuasi, conjunctim ad solvendum in casu soluti problematis prædictum præmium obstringere; uni enim vel duobus, tribus &c. nimium procul dubio id videbitur.

C. A. HAUSEN MATH. P. P. SOLUTIO
problematis, modo propositi.

In casu proposito est $a = 21$, $b = 175$, $c = 735$, $d = 1624$,
 $e = 1764$, $f = 720$; sit $x = 2$. $\mathcal{U} x^7 + ax^6 \mathcal{U} c$. sit $40320 = 5040 \times 8$.
Sed etiam generaliter $x^m + ax^{m-1} + bx^{m-2} + cx^{m-3} \dots + gx$
admittit coefficientes ejusmodi, ut summâ dividi possit per
 $1 \times 2 \times 3 \times 4 \dots x^m$; Sit enim $m-1 = A$, $m-2 = B$, $m-3 = C$,
 $m-4 = D$. $\mathcal{U} c$. & erit

$$a = A + B + C + D \mathcal{U} c.$$

$$b = AB + AC + AD + BC + BD + CD \mathcal{U} c.$$

$$c = ABC + ABD + ACD + BCD \mathcal{U} c.$$

$$d = ABCD + \&c. \quad \&c.$$

Quibus valoribus substitutis divisio procedet. Sed hujusmodi problemata hodie nihil habent difficultatis, unde & demonstrationem omitto.

JO. FRIDERICI WEIDLERI INSTITUTIONES
Geometriæ subterraneæ.

Vitembergæ, apud viduam Gerdesiam, 1726, 4.

Plag. 10 Figur. 1 plag.

CL. Weidlerus, Mathematicum superiorum in Academia Vitembergensi celeberrimus, qui nuper iter ad Belgas, Anglos
Gal

Gallosque ingressus est, explicat hoc libello artificia fodinas metiendi, haecenus fere solum a pragmaticis tractata, eademque ex genuinis puræ Matheseos principiis demonstrare nititur. Quem in finem, præmissa Geometriæ subterraneæ & partium ejusdem descriptione, postea terminos technicos, & instrumenta finitorum, & eadem componendi rationem illustrat. p. 1-24. Et cum magneticæ acus ad miniculis imprimis juventur specuum mensores, de eadem & ejus virtutibus & vitiis, horumque remediis, copiose p. 16 disquirat. Hinc de triangulo rectangulo, tanquam primario artis fundamento, & perpendicularum & basium tabulis, divisioni mensurarum fossoribus usitatarum aptatis, agit, ipsasque tabulas p. 33 sq. exhibet. Dimensionem autem fodinarum, compasso pensili & jacente, item absque magnetis in ferrifodinis instituendam, p. 51, nec non resolutionem numerorum in cavernis repertorum p. 53, & ichnographiam mentionum sub terra factarum p. 60 uberius exponit. Similiter de mensione subdiali p. 63, & ejus pictura p. 64 ex instituto differit. Atque ex his derivantur tandem subsidia pro investiganda distantia punctorum subterraneorum, ab aliis intra & extra terram datis, p. 66, & monstrando proximo ad specus accessu, p. 73. Reliqua opusculi pars destinata est vexatissimo difficillimoque de venis & fibris metallicis argumento, p. 75, & explicandis legibus orthographicæ & scenographicæ fodinarum picturæ distinctius ob oculos ponendæ, p. 79 sq.

SATURNILABIUM, ID EST, INSTRUMENTUM Astronomicum, quo in Systemate Saturnio positiones Saturni & Satellitum ejus inter sese, ut & eclipses eorum atque occultationes mutue ad quodvis tempus sine aut concurrente calculo facile, exacte ac prompte exhibentur & producantur. Opera ac studio **LOTHARII ZUMBACH DE KOESFELD**, Med. Doct. illustr. Carolinæ Cassellis Mathemat. Prof. Ordin. Regiæ Scient. Societ. Boruff. Membri.

Amstelodami, sumptibus Gerardi Valck, Chalcographi, 1726, 4.
Plag. 9. Tabb. xii 2.

PLura jam elapsa sunt lustra, ex quo Cl. Autor, rei Astronomicæ peritissimus, instrumentum excogitavit, cujus ope absque calculo methodo facillima planetarum loca ad datum quodcumque tempus determinari possunt, & cui *Planetolabii* nomen ir didit. Edidit ejus descriptionem A. 1696 Lugd. Bat. in 4 (plag. 14½. Tabb. xii 4) qui Tractatus, instrumenti & constructionem & usum continens, ad nos non pervenit, adeoque in his Actis non comparuit. Quoniam postea *Gerardus Valck* hoc instrumentum in usum astrophilorum parare cœpit; ideo Cl. Autor A. 1700 Amstelodami in 4 aliam dedit *Planetolabii* editionem (6½ plag. 2. Tabb.) quæ solum instrumenti usum declarat. Accessit A. 1716 *Jovilabium*, de quo diximus in Actis ejusdem anni, & nunc demum *Saturnilabium*, ut astrophilis ex assè satisfaceret. Quoniam systema Saturnium oculo armato pene plura phænomena sistit, quam septem illi veteres planetæ nudo oculo visibiles; ideo Noster non modo docet, quomodo ea per instrumentum quoddam, verum etiam quomodo per tabulas in hunc finem a se supputatas facile determinari possint, præsertim cum spem non vanam esse sibi affirmet, fore, ut tubi breviores & commediores iis detegendis sufficiant, quæ nunc non patent, nisi oculo tubo optico longiori & excellentiori armato. Dubio procul per tubos hosce breviores intelligit *Newtonianos* catoptrico-dioptricos, quos ipse inventor *Newtonus* in Optica & ex eadem *Wolffus* in Elementis Dioptricæ describit. Hactenus Satellites Saturni nemo mortalium vidit, excepto *Hugeniano*, præter Gallos atque Anglos Astronomos. His igitur sese debere observationes & hypothefes ac mensuras Systematis Saturnii sponte profitetur Autor. Sibi nihil vindicat, quam quæ ex iis deduxit plurima confectaria atque fabricam instrumenti & supputationem Tabularum. Ob raritatem observationum adeo difficilium, quæ in paucissimorum potestate sunt, jure postulat, ne imperfectiorem in præxi *Saturnilabii* animadversam soli instrumento aut Tabulis magno labore supputatis tribuas. Brevis est instrumenti admodum simplicis descriptio: maximam sibi partem usus ejusdem

dem & Tabularum vindicat. Docet itaque, quomodo inventa longitudine Saturnii Satellitis media, & adhibita, si ita visum fuerit, æquatione luminis reflexi *Rameriana* vulgo in Satellitibus Jovis admitta, distantia apparens ab orbita Saturni inveniatur & typus positionis Satellitum ad Saturnum, tum inter sese designetur. Decem mox proponit regulas, juxta quas phasæ annuli Saturnii determinentur hoc ævo, quando vel rotundus apparet, vel latissimis anis instructus, & ulterius progressus monstrat, quomodo phasæ intermediæ in diversa annuli dilatatione & expansione, ac in varia inclinatione apparente diametri majores eclipses tam ad orbitam Saturni, quam ad Eclipticam delineentur ad datum quodcumque tempus. Docet tandem, quomodo Satellitis cujuscunque proxime futura conjunctio prope vera cum Saturno post datum tempus reperiatur, repertum una cum loco Saturni heliocentrico exactius determinetur, eclipses prædicantur eorumque momenta describantur. Quatuor primos Satellites per umbram quoque annuli eclipsari posse ostendit: etsi autem istæ eclipses rarissime contingant, eas tamen præcognoscere docet, propterea quod sint curiosissimæ. Et quoniam non omnes Satellitum Saturniorum eclipses terricolis visibiles, ideo quoque monstrat, quomodo distinguatur, num sint futuræ visibiles, nec ne. Ultimo denique loco aperit, quomodo umbra tam annuli, quam globi Saturnii sitis & positio versus dextram vel sinistram Saturni tempore, quo Satelles in umbram immergitur, aut emergit, optice in plano chartæ delineetur. Quoniam Planetolabium suum juxta hypothèses & mensuras *Bullialdi* construxit & circulo æquante usus, coronidis loco menet, idem posse construi juxta hypothèses & mensuras quascunque alias, cujas rei specimèn extat in Cl. *Doppelmayeri* parte tertia Scholæ mechanicæ *Bionis*, & præterea docet, quomodo anomalia media ex arearum æqualitate *Kepleriana* corrigatur, ut locus verus adhuc in Planetolabio indicetur verus.

TRIAS DISSERTATIONUM PHYSICO-MEDICARUM, Chorographiam Medicam potissimum spectantium
Ff 3 tium

titum, Autore CHRISTIANO MICHAELE
ADOLPHI, Phil. & Med. Doctore, Facult. Med.
Assessore, S. R. I. Academ. Natur. Curios. Col-
lega, & B. M. V. Collegii Collegiato.

Lipsiæ, apud Joh. Christ. Martini, 1725. 4.

Plag. 10.

Merito inter desiderata Medica refertur a Georgio Hieron. Velschio in Somnio Vindiciani & Joh. Antonide van der Linden in Manuductione ad Medicinam Aerologia & Chorographia Medica. Interest enim Medico, certo in loco medicinam facienti, secundum ipsius Hippocratis ductum exacte considerare aerem, & quæ ejus sunt affectiones pro urbium & locorum situ, telluris & aquarum indole, atque pro diverso Solis & ventorum accessu & recessu, ut de salubritate & insalubritate loci judicare, morborum, epidemiorum maxime & endemiorum, causas expiscari, & de præsidiis, quæ his opponenda sunt, in tempore cogitare possit. Hæc secum perpendens Clarissimus Autor, ad Chorographiam Medicam perficiendam animum applicuit & tres Dissertationes conscripsit, quas in Academia nostra olim defendit, in præsentem fasciculum collectas, quarum I de Aere, Aquis, & Locis Lipsiensibus, II de salubritate Silesiæ, & III de Incolatus montani salubritate agit. Ut de I Dissertatione speciminis loco quædam dicamus, interiora Lipsiæ pariter ac exteriora, circumjacentia scilicet loca, ad examen vocat Clariss. Autor, regionem, situm, ventos, aquam, tellurem, campos, præta, sylvas, hortos describit, soli fecunditatem, coelique clementiam laudat, & quæ commoda ex ijs in incolas redundent, recenset. Aeris bonitatem inter alia ex effectibus probat, dum laudabilem Lipsiensium temperiem, ut plurimum sanguineam, notabili sæpius, maxime in foeminis, phlegmate permixtam, cutem bene coloratam & floridam satis, non rubicandam nimium, nec adeo pallidam, flavam vel luridam, vocis claritatem, mulierum fecunditatem, acuta incolarum & festiva ingenia ad studia & artes aptissima, suaves mores & elegantes, ac animi vim cum prudentia conjunctam. Liceat quædam Autoris verba huc transcribere, qui-

quibus in laudem Lipsiæ assurgit: " Tacemus jam, inquit, " amœnium atque gratissimum vivendi genus atque conditionem " ingenuam, quæ vivitur hic, gentis genium ad omnem humanita- " tem compositum, festivitatem ac urbanitatem, ingenuam liber- " tatem, cultum bonarum artium, propensionem erga omnia ho- " nestâ, abundantiam omnium eorum, quæ ad victum cultumque " pertinent, & quæ in commendationem commoditatis & sua- " vitatis venire queant; multa enim, quæ in delitiis haberi so- " lent, & multis aliis negata, indulgentia almæ naturæ indulgit, " quæque forte non sunt hujus regionis, importantur ubertim, " ut frui cujuscuque fere regionis commodis bonisque Lipsien- " ses possint, iis communibus factis. Nihil a libi usquam tam ra- " rum carumque invenitur quicquam, quod Lipsiensibus non " domesticum etiam esse possit. Eximia est varietas, voluptatum " rerumque omnium condimentum. Notum apud nos atque " notabile est, percelebrem illum summæque exultationis at- " que autoritatis Lipsiensem Jctum, J. B. Carpzovium, ex quo " ex aula Dresdensi, relicto splendidissimo ibi officio, rediit, albis " studiosorum eum accedentibus adscripsisse: *Extra Lipsiam non " est vita, & si est vita, non est ita; aut: Extra Lipsiam vivere " est misere vivere.* " Quænam admodum autem nulla est plaga; cu- " jus felicitatem nulla flagellet calamitas, ita nec reticet Autor " Clarissimus ea, quæ in opprobrium Lipsiæ objiciuntur, effluvio- " rum puta & exhalationum ex adeo diversis corporibus copiam, " fossarum squalorem, atque putredinem, solum uliginosum & " pingue, declivem urbis situm, aquarum indolem minus laudan- " dam, ventos humidos admodum familiares; frequentes nebulas " atque nebulosas tempestates, inundationes, &c. quæ aerem hu- " midiore & putridum, adeoque minus salubrem indicant; re- " media tamen simul allegat, quibus, quæ metuendæ inde sunt no- " xæ, facili negotio præcaveri possunt & solent, dum nempe fossæ, " quæ urbem cingunt, repurgantur, putei & canales exterguntur, " plateæ ab omnibus quisquiliis mundantur, medicamenta spiri- " tus excitantia & in majorem motum conjicientia, ac humores " quietos, lentos, viscidos, & vappescentes incidentia assumuntur, " victus laudabilis eligitur, aquæ potabiles colantur & decoquuntur,

exerc.

exercitationes corporis non negliguntur, & aer matutinus, vesperinus & nocturnus evitatur, urbanus vero cum rusticano frequentius mutatur. Unde concludit, aerem Lipsiensem non adeo esse infalubrem, ut a plurimis habetur & creditur.

CHRISTIANI WOLFII, CONSIL. AULICI
Hassiaci, Mathem. ac Phil. Prof. primarii in Acad. Marburg. Prof. honorarii in Acad. scient. Petropol. Societ. Reg. Brit. & Bor. Sodalit., Oratio de Sinarum Philosophia practica, insolemni panegyri recitata, cum in ipso Academiae Halensis natali 28 d. 12 Julii A. O. R. 1721 fascēs Prorectorales successori traderet, Notis uberioribus illustrata.

Francof. ad Mœnum, apud Joh. B. Andr. & Henr. Hort, 1726, 4.
 Plag. 15.

ET si vulgo credatur, Philosophiam practicaam *Sinarum* parum singulare & minus sublime continere; aliter tamen videtur Cl. *Wolfii*, qui ea fini cum in Oratione, tum in potis uberrime adspersis, interiorem *Philosophia practicae Sinesis* rationem delineavit, & cum sua consensum commonstravit. Nos non attento ordine, quo ab Autore singula proferuntur, ea exhibemus, quæ lectori harum rerum curioso non ingrata futura speramus. *Confucius* A. 551 ante Christum patre *Xoleam he*, Praefecto ditionis *Ceu*, viro septuagenario, natus jam sexto ætatis anno a puerilibus abstinuit lusibus & decimo quinto lectioni librorum ac meditationi se totum dedit. Legit autem imprimis annales antiquissimorum imperatorum, scientiæ morali atque civili inventientes, quod factorum & eventuum nexus inde luculenter perspiciatur. Historiographi enim, antiquissimo gentis more ab ipso Imperatore electi, res omnes eodem, quo geruntur, tempore in annales referunt, qui, ne affectui aliquid detur, in publicam lucem non proferuntur, nisi familia imperante extincta. *Confucius* cum de iis, quæ legebat, per rationes statuere non posset, experimentum eorum in se ipso sumsit, nec scripto verbo præ-

præcepit, nisi quod primus ipse moribus & vita expresserat: im-
mo ne experimenta politica sumendi occasio deesset, magistra-
tum aliquoties gessit. Atque hanc studiorum rationem conti-
nuavit usque ad extremum vitæ halitum; quem annis ætatis 73
lethargo 7 dierum extinctus reddidit. Sensit autem continuo
in studio virtutis profectus, quos ipse discipulis candidus expo-
suit. Anno ætatis trigesimo id erat consecutus, ut in suscepto vir-
tutum sapientæque studio firmiter persistens, nulla re externa
animi inde suum advocari pateretur. Anno quadragesimo hon-
estatem intrinsecam in quolibet casu obvio absque hæsitatio-
ne discernere poterat, & quinquagesimo rationes illius in na-
turis rerum obvias perspexit. Sexagesimo rationi obtempera-
bat facile; quamvis adhuc reluctante appetitu sensitivo; tandem-
que septuagesimæ longæ meditationis & victoriæ sui ipsius
fructum percepit, consensum appetitus sensitivi cum rationali.
Singularia circa theoriâ moralem atque civilem, quæ suis con-
formia agnoscit Cl. *Wolffius*, hæc fere sunt, ipso interprete. Princi-
pium ultimum honestatis intrinsecæ *Confucius* atque *Sinis* anti-
quissimus. Noster vindicat consensum microcosmi cum macro-
cosmo in libera actionum determinatione; idem omnino cum
suo. Obtinetur autem iste consensus; secundum Nostrum, si actio-
nes liberæ per easdem rationes finales determinantur, per
quas determinatæ sunt naturales. Atque in hoc consensu actio-
num liberarum cum naturalibus consistit perfectio naturæ huma-
næ; ad quam perinde juxta *Confucium* atque *Wolffium* tendere de-
bent omnes nostræ actiones. Actiones naturales cum macro-
cosmo consentiunt; quamobrem si quoque liberæ ad consensum
cum naturalibus redigantur, integer microcosmus cum macro-
cosmo consentit. Agnoscit *Confucius* perinde ac *Wolffius*, homi-
nem esse partem universi, atque adeo hunc consensum esse de na-
turæ rerum, & hominis præsertim naturæ, & ipsi rationi con-
forme. Quamobrem idem urget convenientiam cum natura
rationali; actionum humanarum normam. Perspexit etiam *Con-
fucius* veritatem principii rationis sufficientis; ejusque usum ad
moralia extendit. Notionem perfectionis a *Wolffo* evolutam con-
forme est, quod non modo actionis internæ cum externa; verum

etiam spontaneum appetitus sensitivi cum rationali consensum ad virtutem requisiverit, atque adeo porro a virtute abhorreere judicaverit, quod metu superioris vel spe præmii extorquetur. Immo non sufficere visum est *Confucio*, ut legi naturali conformia agamus, propterea quod intrinsicam eorum moralitatem perspiciamus, & ut virtutem amemus aut voluptatem ex ea percipiamus, sed id omnino requisivit, ut læti agamus, quod est officii nostri, gaudio elati super occasione virtutem exercendi. Atque adeo *Confucius* perspexit, quæ tantopere urgent libri hostri Symbolici, formula præsertim Concordiæ. Ceterum ab hæcenus dictis alienum non est, quod perinde atque *Wolffius* continuum esse jubet ad majores indies perfectiones progressum, & *Yaonis* atque *Xunni*, Imperatorum legislatorum, quorum dicta & facta sibi potissimum imitanda proposuit *Confucius*; exemplis in regulam versis, urget in ipsis imperantibus modum obligandi optimum per metum filialem, a nexu individuo inter Regis exemplum & populi imitationem pendentem. Immo Noster contendit, quod jam Imperatores antiquissimi *Yao* atque *Xun* ante *Confucium* differentiam inter partem animæ superiorem & inferiorem, cujus adeo ingens momentum facit *Wolffius* in Philosophia practica omni, inlar magni principii morum fuerit inculcatum, modo ipsorum terminos intelligas. Monet nimirum, Sinas appetitum vocare *cor* & appetitum quidem sensitivum *cor hominis*, rationalem vero *cor rationis*. Probat etiam, quod *Sina* probaverint passionum cum ratione concentum, qui ipsa reductione appetitus sensitivi cum rationali continetur, & cujus pars est lætitia virtutis sociæ. Quæ admodum itaque hæcenus *Confucius* cum *Wolffio* in theoria morali atque civili consentit, ita non minor reperitur consensus in praxi, quam uterque tuetur, & quæ principis theoreticis modo recensitis consentanea. Urgebat *Confucius*, ut primo omnium loco ratio probe excolatur, cum ad distinctam boni malique cognitionem pervenire debeat absque metu superioris ac sine spe præmii virtuti operam daturus. Metus nempe hic intelligitur servilis, qui metu pænæ extorquetur, minime autem filialis ex amore profectus, quem ubi præmium accendit, ipsum illa sa virtute, *Wolffio* judice, in actionem bonam influit. Incul-

culcabat vero *Confucius*, boni malique notionem perfectam nemi-
 nem esse assequi posse, nisi rerum naturis ac rationibus perscrutatis,
 & culturam rationis continuam præcipiebat, quod appetitus in
 ordinem redigi posse negaret, nisi homo in vero boni amore,
 vero mali odio stabiliatur, verum boni amorem autem verum-
 que mali odium locum non habere agnosceret, nisi perfectam
 boni malique notitiam assequatur mentis ratiocinio, rerum na-
 turis ac rationibus perscrutatis. Cognito boni malique discer-
 mine, intentionem esse rectificandam urgebat, mox appetitum,
 boni amore, mali odio contracto, corrigendum esse præcipiebat.
 Animo composito, corpus quoque esse perficiendum. Ubi quis
 se ipsum emendaverit, tum ad familiam gubernandam eundem
 admitti debere. Tandem denique eum, qui familiam recte in-
 stituere norit, ad regni administrationem aspirare posse doce-
 bat, nisi exemplis præcorum Regum atque Imperatorum, qui
 iidem erant *Sinarum* Philosophi. Motivo utebantur *Sine* glo-
 ria, quam diversam esse ab ambitione, Cl. *Wolffius* probat non mo-
 do ex notionibus, sed Dei quoque exemplo. Ducit nempe glo-
 ria voluptatem ex eo perceptam, quod a nobis bene facta ab aliis
 agnoscaitur. Plurimam *Confucius*, sicuti *Wolffius*, in praxi mo-
 rum tribuit exemplis, quæ *Sine* singulari quadam ratione propo-
 suere. Nimirum de personis, quorum merita in pretio erant,
 paradoxa narrabant discipulis, ut ætoniti mirarentur, quid ipsas
 impulerit ad tale quid faciendum, ubi diu multumque in qua-
 renda ratione, at frustra, desidassent, quid ejusdem subesse,
 tandem exponentes ad imitationem in casibus similibus calcas ad-
 diderunt. Convenit quoque *Confucius* cum *Wolffio* in methodo
 conjectandi aliorum mores. Jubeat enim, ut 1. observentur actio-
 nes, examinata earundem cum lege conformitate, 2. ut inquiratur
 finis operis, ac inde judicetur, quo animo quove consilio agatur,
 quod justum atque honestum est, 3. ut tandem sciscitemur, in quo
 acquiescat, qui bona intentione legi conformia facit, num forte
 parum volens & quasi per vim coactus faciat, an vero ex ipsa vir-
 tute & honestate operis voluptatem capiat. Immo quam *Wolffius*
 possibilem judicavit methodum sinceritatem animi a simulatione
 discernendi, eam a *Sinis* multis retro seculis in praxi fuisse de-

ductam probat per regulas iudicibus ad explorandam litium sinceritatem præscriptas. Cum enim nullus penes *Sinas*, Dei cognitione distincta destitutos, esset iuramenti usus, iudices observare iubebantur, 1 verborum compositionem ac loquendi morem in actore litem movente, 2 oris totiusque vultus compositionem, 3 modum respirandi, dum litem actor proponeret, 4 quam expeditæ sint actoris aures, an scilicet a iudice interrogatus perplexe perturbateque, vel aliena & ambigua responderet, num incerti sint oculorum motus nictusque, si quid in his subdoli minusve sinceri apparet. Imprimis autem *Wolffius* extollit duplicis *Scholæ*, parvulorum nempe atque adulatorum institutum. In schola parvulorum, quæ parte animæ inferiori nitebatur, pueri promiscue omnes ab octavo ætatis anno usque ad decimum quintum, rationis usu carentes, sensuum ministerio ducebantur flectebanturque, ut consuetudinem in bono contraherent. In schola adulatorum annum decimum quintum egressi, qui vel olim alios regere debebant, nullius imperio ipsimet subiecti, vel sub imperio alterius sponte facere debebant a superiore præcepta vel præcipienda, docebantur, quomodo unusquisque se ipsum regere debeat, ut sponte faciat, quod laudem mereatur, sponte fugiat, quod turpitudinis labe notatur. Qui igitur natura stupidi ex schola adulatorum arcebantur, exemplo imperantium & obsequio intelligentium ad obedientiam adducebantur, ut sic ipsorum quoque actiones non solo poenarum metu extorquerentur, sed ad virtutem propius accederent. Ad eundem scopum tendebat reverentia erga superiores & sapientes, studiose inculcata, & superiorum & sapientum studium indefessum, quo se redderent reverentia dignos. Praxin cum theoria coniungendam esse, *Confucius* sedulo inculcabat, persuasissimus, meditationi exercitationem minime jungentem errori & confusione fieri obnoxium, nihilque assequi præter umbras rerum & inanes ac sæpe falsas imagines. Quamobrem Philosophi nomine non dignabatur nisi eum, qui praxin cum theoria conjunxisset, ut eo præstantior haberetur, quo virtute anteciret alios. Utebantur autem *Sinæ* iisdem principiis heuristics, quæ a *Wolffo* commendantur. Nam i. notionēs rerum moralium & politicarum a factis derivarunt & ne notionēs essent incompletæ,
in

in factis alienis minime acquirere, sed ipsi suis moribus expressere ea, quorum notionem expetebant, eodem modo de ejus possibilitate convincendi. 2 Ex iisdem factis judicia, quæ *Wolffius* vocat, intuitiva deduxerunt: quæ ut cæta consequerentur, ad facta aliena principium rationis sufficientis applicarunt, non modo judicantes, quænam ex actionibus consequantur, verum etiam in rationem inquirentes, cur fuerint secuta, quænam sequantur semper, quænam non nisi sub certis conditionibus, utque iudiciorum certitudinem assequerentur, experimenta eorum in se ipsis sumserunt, quæ attentione ad casus alienos fuerant consecuti. 3 Imprimis etiam magno, quod *Wolffius* tantopere in arte invenendi commendat, principio reductionis summo ingenii acuminis, notionem imperii ad notionem familiæ & notionem ordinis in imperio ad notionem ordinis cæli reduxerunt. Et hinc jam *Fobius*, imperii conditor, ex cæli terræque contemplatione sibi normam præscripsit ad populi & Reip. rectam administrationem, & cæli terræque ordinem atque constantiam admiratus, illum perquam sollicitè imitari studuit. Statuit autem hanc legem supremam, ut inter superiores & inferiores, seniores & juniores, imperantes & parentes, supremum monarcham atque imperium eadem censeatur relatio, quæ inter parentes atque liberos intercedit. Ex hac relatione deducta sunt præcepta moralia atque leges *Sinarum*. Cum Cl. *Wolffius* universalem urgeat omnium actionum consensum, vultus quoque, oris, gestuum, totiusque corporis compositio una cum actionibus, quæ principalem accidentaliter comitantur, cum principali consentire debent, atque inde decorum deducit. Consensum istum quoniam *Confuctus* quoque urget, *Confuctiana* autem, quamvis a posteriori derivata, perinde ac *Wolffiana*, inter se cohæreant, quis per se intelligit, quod eundem quoque fontem decori statuerè debeat. Ob universalitatem consensus actionum omnium *Wolffius* in maximam vel in minimis infimisque rebus curam prædicat maximum ad veritatem & sinceritatem in studio virtutis adjumentum: eadem vero multis in *Confuctio* exemplis confirmatur a discipulis, qui maxima sollicitudine dicta factaque *Confucti* collegerunt. Et quemadmodum

Wolfius ad virtutis culturam requirit, ut boni propositi ad conspectum, cujuscunque objecti obvii recorderis; ita *Confucius* eidem regulæ satisfecit, magna ingenii felicitate a rebus quibuscunque obviis ansam de virtutis studio cogitandi arripiehs. *Sinae* ab antiquissimis temporibus ritibus valde delectati, eosque in schola parvulorum docuere. Immo integer extat apud ipsos liber Rituum, qui inter classicos sapientum refertur. Cum *Wolfius* in moralibus notionem ceremoniarum seu ritus evolveret, singularem earum in promovenda virtute usum reperit, atque adeo dolet, quod interpretes librorum classicorum *Sinenſium*, R. P. *Franciscus Noel*, ab eo vertendo abstinuerit. Latere autem in ritibus *Sinarum* sapientiarum ac prudentiarum sublimis principia, exemplo probat. *Sinae* nimirum, ut infans ingenio præstans nasceretur, referente *Lieu Hiam* in libro de mulierum instructione, feliciter successu curabant, ne mulier prægnans objecta turpia adspiceret vocēsque lascivas audiret; ut autem e contrario vespere Musice Præfectus, qui erat cæcus, quo sonos rectius dignosceret, duas libri carminum odas de recta rei domesticæ disciplina, ipsa auscultante, decantaret ac res honestas narraret. Cur eventus respondere debuerit votis, *Wolfius* ex principiis physicis atque metaphysicis prolixè adstruit. Quodsi quaesiveris, unde sit, quod non modo interpretes nihil singulare in scriptis *Confucii* ejusque dictis & factis sibi visi fuerint deprehendere, verum etiam auctores, qui de rebus moralibus non nisi maxime vulgaria & male coherrentia memoriæ prodiderunt, quasi ex tripode pronunciarint, non eam esse *Sinarum* sapientiam, cujus gratia *China* sit adeunda; Noster inonet, anno ante Christum 212 Imperatorem *Xi Honan ti*, infensissimum litteratorum hostem, quorum multos vivos sepeliri jussit, libros omnes præter medicos & judicarios Vulcanò consecrasset. Integro ferè seculo post, anno scilicet 139 ante Christum, demum Imperatorem *Vu ti*, bello & litteris clarum, fragmenta & reliquias incendi librorum colligi jussisse. Prolatos itaque fuisse libros semijustos, parietibus iteni & sepulchris abditos, quamvis semiesos, & præterea grandes natu fuisse consultos,

tos, si qui forte, quæ memoriæ quondam mandaverant pueri, etiamnum tenerent. Ex his igitur fragmentis confectos esse libros imperii *Sinensis* hodie classicos. Quemadmodum itaque ex rudibus de opere architectonico iudicium ferre nequit, nisi architectus consummatus, attentione adhibita, quæ ad tam arduum molimen sufficit; ita quoque de Systemate Philosophiæ moralis ac civilis *Sinarum* iudicium ferre minime valere, nisi qui scientiæ moralis atque civilis interiora intimius perspexerit, nec in examine suam desiderari patiatur aciem atque industriam. Quod vero ipsi licuerit esse tam felici, ut additam *Sinarum* sapientiam in apricum proferret, rationem hanc reddidit; *Sinas* habuisse nonnisi notiones claras, quas cum altero verbis communicare non licet, nisi easdem jam habuerit; quem in finem *Confucius* iusserit meditationi exercitationem jungi. Se autem philosophiæ practiciæ perficiendæ operam daturum distinctis studuisse actionibus, atque multa a priori ex notionibus generalibus deduxisse, quæ *Confucius* cum suis a posteriori affectus fuerit, & nexum imprimis veritatum moralium, antea non attentum, monstrasse. Etsi autem hac ratione minori temporis spatio veritates morales perspicere detur, methodum tamen experimentalem *Confucii* conjungendam esse monet, cum ad notiones confirmandas, tum ad ampliandas, tum denique ad fundamentales quasdam venandas. Quoniam *Sine* distincta Dei cognitione fuere destituti, adeo ut motiva nonnisi a moralitate actionum intrinseca derivaverint; ipsorum facta dictaque probare contendit Autor, quantum valeat natura in studio iustitiæ civilis, quam Theologi vocant, vel virtutis philosophicæ, quam Autor appellat. Ut vero de arduo inter naturam & gratiam discrimine demonstrativa ratione decidere liceat, Noster distinguit inter virtutem philosophicam, pietatem philosophicam & virtutem christianam. Discrimen petitur a motivis, quibus voluntas determinatur. Virtuti philosophicæ conveniunt motiva ab intrinseca actionum moralitate derivata; pietati philosophicæ, quæ ab attributis divinis beneficio luminis naturalis agnitis petuntur; virtuti denique christi-

flianæ, quæ ab attributis divinis, de quibus supernaturali Spiritus S. operatione convicti sumus, & ab opere redemptionis regni gratiæ definiuntur. Unde liquet, pietatem philosophicam esse gradum quendam intermedium inter virtutem philosophicam atque christianam. Hinc etiam deducit *Wofius*, quod, cum Christianus Dei gratia regentis fide divina teneat, quæ homo extra coetum Christi degens lumine naturali assequitur; magna inter utrumque sit differentia; etsi iisdem utantur motivis, cum assensus illius sit firmior, motivum firmitus, consequenter & propositum firmitus gignens, nec tam facilem sub circumstantiis singularibus locum relinquat exceptionibus. Fieri tamen non posse observat, ut regentis non constanter jungat motivis, a moralitate objectiva actionum & providentia Dei in regno naturæ petitis, ea quæ ab opere redemptionis & providentia in regno gratiæ petuntur. Quamobrem etsi actus externus hominis regentis atque irregentis idem sit, adeoque eandem cum lege divina conformitatem habeat; quoniam tamen ad actiones humanas non motus corporis, verum etiam mentis actus interni referuntur, actionem externa specie eandem in immensum differre posse. Atque sic tandem concludit, naturam gratiæ insigniter perfici & vires animæ ad gradum majorem evehi, ut jam gratiæ viribus fieri possint, quæ naturæ viribus superiora erant.

NOVA LITTERARIA.

Vir doctissimus, *Johannes Fridericus Schannat*, qui in eruendis veterum monumentis, iis imprimis, quæ res Fuldenfes concernunt, singularem hactenus operam posuit, nuper admodum novum opus prædidit, quod, siue rerum reconditissimarum selectum, siue etiam typorum & figurarum elegantiam spectes, curiosis Lectoribus apprimè se commendabit. En titulum: *Fuldischer Lehn-Hof, siue de Clientela Fuldensi beneficiaria, nobili & equestri; Tractatus Historico-Juridicus, cum elenco Vasallorum primi & secundi ordinis. Francof. ad. Manum. 1726. fol.*

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii Anno MDCC XXVI.

HISTOIRE PHYSIQUE DE LA MER.

i. e.

HISTORIA PHYSICA MARIS, AUTORE
LUDOVICO FERDINANDO Comite
MARSILIO.

Amstelod. sumptibus Societatis librariz, 1725, fol.

Alph. 2 Tabb. æn. 40.

A Longo jam tempore locum inter eruditos primi ordinis sibi vindicavit Illustrissimus atque Excellentissimus *Marsilius* Comes, hinc ab anno MDCLXXXII non rara ejus in Actis hisce, ubi varias ejus lucubrationes non sine plausu nostro percensuimus, mentio facta est. Sed cum totum replere illius pectus credidimus vastum opus, quo istum omnem complexus est, ecce novo conatu in maris abyssum descendere totumque expiscari non gravatus est rerum altius conditarum strenuus sectator; inde opus natum est, quod plurimum annorum labore indefesso, & ingeniosa industria, pluribus experimentis factis, ita absolutum est, ut deesse nihil videri queat, premendum tamen ab Autore, nisi Regiæ Parisiensis Academiæ approbatione, & celeberrimi Boerhavi (cui, quod & operis edendi curam in se suscepit, plurimæ debentur grates) monitis incitatus tandem in lucem protrahi permisisset. Occasionem industriæ præbuit doctissimi Comitum institutum emetiendi terraquei globi, quo intimam ejus formam & organicam, qua factum esse credit, fabricam retexeret, quod certo non posse fieri intellexit, si non ante maris rationem propriam,

Hh

&

& formam constituit. Occupari in opere jam cepit ab anno MDCLXXX, quando in regia Constantinopoli agens, angulum urbis canalem sedulo perscrutatus est, quem labore in anno MDCLXXXI, ubi iterum eo divertere iussus est, repetiit, quæ tentamina tunc quidem facta, partim typis evulgavit, partim scripta domi asservat, olim forte edenda. Nemo ante doctissimum heroem nostrum idem, quod hoc opere præstitum est, moliri sustinuit, si eos excipias, qui, quæ in usum vitæ ex mari petuntur, sectati sunt, & ipse Boyleus, doctus homo, in diversa maris altitudine definienda substituit. Et experimenta quidem plurima fecit in fluminibus Provinciæ Gallicæ, unde postea ipsum mare ingressus est. In quinque partes opus omne dispescit, ita ut in prima maris fundum exquireret, & pelvim formaret, in qua aqua fluctuat; in secunda de ipsa aqua mixta agitur; tertia varios aquæ marinæ motus & fluctus examinat; quarta plantas marinas, earumque vegetationis negotium evoluit; quinta vero, quæ adhuc desideratur, maris vivarium & animalium marinorum historiam pertexere constituerat. De his omnibus quæcunque dicta sunt, propria scriptoris experientia subnixæ reperies: suspectum enim judicavit cum rectè sapientibus, in re dubia aliena fide stare; quicquid ergo apparatus ad penitus singula noscenda pertinet, in partes vocavit, nunc Chyinicis operationibus, nunc microscopiis aliisque instrumentis felicissime usus. Priorum quatuor partium sibi propositam ita pertexuit telam, ut maris fundi rationem ex ipso terræ modo & forma, proportionem rite constituta, reddat, atque vel gibbis variis, montium more, exurgere, vel cavis deprimi & inæquale reddi, supponat, quemadmodum in tabulis pictam ejus superficiem exhibet. Inter alia in secundo Libro aquam maris non falsa modo acredine invisam docet, quod vulgo traditur; sed amaro bitumine, ex carbonum fossilium venis manante impuram, quod mari infunditur, postquam per cuniculos terræ cum aqua ab igne concitatum, actum est, quodque nulla arte ab aqua secernendum, nec colando, nec distillando, nec præcipitando, sanitati hominis noxam infert, & sapore ingratum, nauseantem facit stomachum, diversis tamen maris profunditatibus diversa

diversa quantitate admixtum, quod innumeris factis experimentis tentatum & confirmatum est, ita ut nihil pratermissum sit a philosopho, chymico, mechanico. Ipsi vero Chymicæ artis alumnis succulenta suggestit argumenta, quibus hæcenus multis modis perplexam doctrinam de marina aqua planiorem & magis distinctam reddit. Motum omnem maris, variasque ejus undas, ex tribus Autor repetit causis, ex inæqualitate fundi, vel marinæ pelvis, & in eandem effusis torrentibus, in se illis, unde aqua varie fluctuat & jactatur; ex pressione aeris varie ventis agitati, qua undis factis vi varia resistit & urget; & demum ex fluxu & refluxu aquæ marinæ, quem ad Lünæ vices mutatas Autor refert. Quarta pars operis plantarum marinarum naturam & varias species exhibet: in earum vero historia mera videtur nova pandere sagacissimus Autor. Cum terra natis plantis componuntur marinæ, nec quicquam fere in illis esse docetur, quo hæc destituantur; cortex, pulpa, medulla, redduntur marinis omnia & vindicantur, nec flores, quibus ornentur, desunt, qui a Nostro depicti intuentium oculos voluptate non perfunctoria perfundunt; imo nec seminibus carere, quibus, in cavernis marinis satis, germinent, solerti industria repertis, novo ausu Autor statuit, eaque profert, de quibus nemini ante conjicere datum est. Sed e tam præclaro opere pauca vel leviter attigisse suffecerit: quod si enim, quæ in illo curiosa singulis fere paginis obveniunt, commemorare velimus, veremur, ne novus nobis contendendus liber esset. Ex his vero intelligitur, quantum sibi promittere Lector posset, si quintum quoque Librum, qui historiam animalium marinorum complecti debebat, argumentum amplissimum nec satis hæcenus exhaustum, absolvere dignetur Illustrissimus Autor, nunc quidem in magno illo opere Danubiali, cujus nuper primus Tomus prodit, occupatissimus. Nos certe cum bonis omnibus optamus, ut Deus O. M. Viro incomparabili, in vergente jam ætate constituto, annos viresque largiatur, quo, quæcunque parat in commodum rei litterariæ, felicissime tandem ad furem perducatur.

JO. POLENI AD REVERENDISS. ABBA-
tem D. GUIDONEM GRANDUM *Epistole duae;*
in quarum altera proponuntur nonnulla de telluris
forma: in altera vero quedam de causa
motus muscutorum.

Patavii 1724, 4.

Plag. 4 tabb. æn. 2.

CUM de figura telluris hodieque discrepent doctissimorum
Virorum sententiæ, aliis formam sphaeræ, si montes &
valles neglexeris, satis exactæ, aliis figuram sphaeroidis tantillum
versus polos oblongatæ, aliis denique figuram sphaeroidis circa
polos paululum depressæ, telluri attribuentibus, id egit in priori
Epistola Clarissimus Autor, iterum ac sapius in Actis nostris lau-
datus, partim ut doceret, inter argumenta, quæ afferri pro di-
versis illis sententiis solent, nulla esse, quibus vis convincendi
inest, partim ut novam ostenderet viam, qua fortasse propius
accedere ad veritatem liceat. Fatetur, argumentum de telluris
forma proxime ad sphaericam accedente haud quaquam spernen-
dum a Lunæ defectibus duci, in quibus telluris umbra in luna-
rem discum incidens forma circulari apparet; sed negat, pu-
sillum telluris a sphaerica figura defectum ex isto phaenomeno
percipi posse, neque id ob stare judicat, quo minus sphaeroidis,
sive oblongatæ aliquantulum, sive depressæ figura competere
telluri queat. Et licet Childræus, in *Britannia sua Baconica*,
testimonia Tychonis Brahe & Keppleri adducat, animadvertenti-
um, phaenomena alicujus defectus Lunæ visa fuisse indicare,
telluris figuram oblongatam, sive ovi similem esse, parum ta-
men huic observationi tribuendum censet: *namque sectio*, inquit,
transversa conii umbrosi telluris (quod recte animadvertit Jo.
Casp. Eisenschmidius) in regione lunari longe major ipso lunari
disco cum sit, & propterea margo umbra in luna deficiente cum
non nisi partem exiguam integra, qua fieri posset, sectionis ex-
bibeat, cumque gibbosa sit luna superficies, frustra perfectus ab-
solutusque (vel si nulla essent in lu. is confinis spuria umbra)
termi-

terminus transversa sectionis conii umbrosi telluris in obumbrata luna facie inquiretur. Neque vero plus roboris inesse iudicat causæ physicæ, quam idem Childræus ad sententiam suam comprobandam affert; puta quod ad utrumque polum nix hyemæ cadat magna copia, quæ congelietur, neque æstivo tempore tota liquecat, unde a mundi origine ad hæc tempora magnos cumulos accessisse regionibus illis necesse sit. At gravius argumentum adversus sphericam telluris formam illud numerat, quod suppeditant vires gravitatis, atque observationes nonnullæ, quibus constare dicitur, horologiorum pendula in torrida Zona paullo tardius, quam Lutetiæ Parisiorum, moveri. Hinc enim sequi videtur, gravia sub æquatore minus gravia, atque ideo a centro remotiora esse, quam sub polis, hoc est, figuram spheroidis depressæ competere telluri nostræ, Cum tamen alii sint, qui varias illas pendulorum velocitates, non a varia gravitate ponderum appensorum, sed a virgarum longitudine varia, pro varietate caloris, deducant, (observarunt enim, æstivo tempore ferreas virgas longitudine sua extendi, hyemali vero tempestate fieri breviores) non ita facile sphericam telluris figuram ob phænomenon illud in aliam mutandam arbitratur. Similiter de illis observationibus iudicat, quibus videtur ostendi, meridianorum in telluris superficie mensurorum gradus, a meridie versus Septentriones tendendo, minores inveniri. Alii enim, contraria prorsus ratione, gradus illos augeri ab æquatore ad polos volunt; nec male a quibusdam asseritur, exiguam illam graduum differentiam in mensurandis gradibus non admodum distantibus detegi non posse; quia error ex fabrica & usu instrumentorum differentiam hanc superat. Unum restat adversus sphericam telluris figuram argumentum, a motu terræ atque hinc orta vi centrifuga desumptum; quo magis enim a polis æquatorem versus acceditur, eo major fit vis centrifuga, propter majorem celerioremq; motum; hinc necesse videtur, ut marium summa superficies (cui solidarum terræ partium superficiem quam proxime respondere non ambigitur) circa æquatorem utique tumidior reddatur, hoc est, ut ipsa terra figuram spheroidis depressæ induat. Ad hæc ita respondet Cl. Autor,

ut doceat, cum strata telluris inæquali densitate prædita sint, posse illam densitatem atque ab ea dependentem vim centripetam ad vim centrifugam ita ubivis esse attemperatam; ut, vel posita vis centrifugæ causa, spherica telluri figura conservetur; id quod etiam geometricè, adhibito schematismo, demonstrat. Jam ut rationem quoque illam paucis attingamus, quam propositæ liti dirimendæ condicibilem Vir doctissimus existimat, persuasum ipsi est, posse in gradibus circulorum ad æquatorem parallelorum explorari differentias multis quidem partibus majores, quam sint illæ, quæ dicuntur varios inter meridianorum gradus intercedere. Primo igitur posuit, telluris figuram eam esse, quæ ex rotatione ellipsis circa majorem axem progignitur; assumtisque iis mensuris, quæ in commentariis de magnitudine ac figura terræ a Cassino & Maraldo definiuntur, invenit, uni gradui circuli paralleli ad latitudinem graduum 48 deberi exapedas Paris. 37769. Deinde posuit telluris formam genitam ex Ellipsis circa minorem axem rotatione, adhibitisque mensuris, quibus utitur Gravesandius in Physices elementis mathem. reperit, uni gradui ejusdem paralleli (sc. ad lat. grad. 48) convenire exapedas 38546. Quod si ergo duo loca sub eodem parallelo, quorum alter ab altero distet gradibus 5 aut 6 illius paralleli, summa diligentia determinantur, eorumque intervallum in exapedis quam accuratissime inquiratur, putat constare debere, *num ambitus illius paralleli minor sit, quemadmodum fert prima hypothesis; an vero major, ut postulat secunda; an denique intermedia cujusdam quantitatis, spherica telluris formæ faventis.* Hæc de priori Epistola Cl. Poleni, sub cujus finem addita est Observatio defectus lunæ, qui contigit prid. Kalend. Novemb. 1724. In altera Epistola hoc ipsi propositum est, ut experimentis atque ratiociniis mechanicis ea confirmet, quæ circa musculorum motus, ope analytici calculi, elegantissime soluta dedit Jo. Bernoullius in sua *de musculorum motu* Dissertatione. Ad quod efficiendum, quo machinarum apparatu fuerit usus, quomodo conjunctis, ope teretium clavicularum, 16 regulis orichalceis, catenam construxerit, quomodo illam super lignea mensa, plana & rotunda, extenderit & firma-

firmaverit, quomodo pondera applicuerit, quomodo curvaturam catenæ invenerit, atque ita porro, cum longum esset hoc loco sufficienter docere, ex ipso doctissimo Autore curiosum lectorem addiscere malumus.

THE LIFE OF LEOLINE JENKINS &c.

i. e.

LEOLINI JENKINSII, ADMIRALITATIS
*Angliæ, ut & Curia prerogativa Cantuariensis Judicis,
 Caroli II Regis Angliæ Secretarii Status & Legati ad
 Pacem Colon. & Neomagensem &c. Vita, Epistolæ
 & alia monumenta; Autore WILHELMO WYNNE, Equite.*

Tomi II.

Londini, apud Josephum Downing, W. Taylor, W.
 & J. Innys & reliquos, 1724, fol.
 Alph. 16 plag. 4.

Quo rariores Virorum inter Anglos Illustrum de publicis rebus, quas moderati sunt, Commentarii & Epistolæ prostant (neque enim præter *Templi & Arlingtonii* Epistolæ multas invenias alicujus momenti); eo majores debentur gratiæ Cl. Editori, quod has Illustris *Leolini Jenkinsii* scedas, ab iis, quos ubique fere comites habuit, sibi liberaliter communicatas, ab interitu vindicavit, iisque luculentam Autoris vitam præmisit. Quam ut breviter exponamus hoc loco, natus fuit *Leolinus* noster Patre cognomine, viro mediocris fortunæ, sed integro vitæ scelerisque puro, A. 1625, juvenisque admodum delatus in Academiam Oxonensem, paucis post annis ad exemplum comilitonum arma capere pro Regia causa, nondum tamen studiis desertis, tandemque, mutata prorsus rerum facie A. 1648, solum vertere coactus est. Iter inde ingressus cum Anglis quibusdam, quorum studia moresque moderabatur, in Gallia, Belgio & Germania celebriores Academias lustravit, rursusque post triennium

p. 1.

2.

3.

6.

- p. 8.
10. ennum in Angliam; tandem restituto feliciter Rege Carolo II, A. 1660 Oxonium rediit, ibidemque mox Collegio Jesu, cujus antehac alumnus fuerat, præpositus, Doctoris Juris honores impetravit, legesque publice aliquandiu magna cum laude explicavit. Inde ut se practicæ magis vitæ pararet, suasu veteris amici, Sheltoni Archiep. Cantuar. cujus Theatro Oxonii excitando condendæque Typographiæ assidue invigilaverat, Londinum se contulit 1663, atque in numerum Advocatorum de Arcubus receptus, mox Judicis Curiæ rei navalis seu Admiralitatis Angliæ munus consecutus est 1664, in quo ita se gessit, ut oraculi loco, dignusque haberetur, qui A. 1668 Curiæ prærogativæ Cantuariensi pariter Judex præficeretur. Missus sequenti anno a Rege in Galliam, ut matris Regiæ hæreditatem, quam Henrietta filia, Duci Andegavensi nupta, sola sibi ex lege Gallorum asserebat, Regis nomine cerneret, & mox re feliciter gesta reversus, in unienda Anglia & Scotia jussu Regis multam operam, sed, Scotis obnitentibus, nequicquam posuit. Orto deinde inter Belgas atque Anglos Gallosque, gentes sæderatas, bello, Noster principe loco ablegatus est Coloniam ad tractatus pacis A. 1673, ac pacem cum Belgis, separatim Templii opera sancitam, stabilivit, iterumque 1675 Neomagi in pace illa universali concilianda pars maxima fuit, prout ex Epistolis ejus abunde patet.
- 23-40. Non lubet hic cum Autore in ea excurrere, quæ pro Jenkinsio, cujus in præjudicium tum Burnetus, quem & alibi refutat Noster, tum ipse Templius (qui res Angliæ eodem tempore curabat Hagæ Com. unde Neomagum subiinde excurrens, communem cum Jenkinsio causam egit) nonnulla protulisse visi sunt, magna veritatis specie edisserit. Suffecerit illud animadvertere, quod Templius falsus fuerit, nullas facile computationes aut choreas celebratas fuisse, quibus non interfuerit ipse, cum raro contra illic comparuerit Leolinus; se sero cubitum ivisse & surrexisse, illum vero hora octava vespertina lectum petiisse, reliquisse quarta matutina; unde dictum invaluerit, mediatores omni momento ad agendum alacres ac vigiles (*that the Mediation was always on Foot, to go on with its Business*); memoratque præterea Noster, Templium munera a belligerantibus ejus
29.
36. opera

operâ conciliatis oblata prompte accepisse, Leolinum & Gallo-
rum aliorumque munera, quæ obtrudebantur, generoso animo
repudiâsse omnia, nec adduci ullo modo potuisse, ut utensilia
& apparatus aureum & argenteum, finita legatione liberaliter
a Rege suo oblatum, aliorum exemplo legatorum, acciperet.
Lecti, imprimis, dignæ sunt regulæ, Mediatori Legatoque &
Ministro status observandæ, quas passim Epistolis Leolini inter-
fectas, huic vitæ eodem conspectu inseruit Cl. Biographus. Re-
vocatus inde in Angliam 1679, & Consilarii & Secretarii Status
intimi anno sequenti, provinciam adeptus, eam difficillimis
temporibus sustinuit, donec aula pertæsus, 1684 missionem im-
petraret, invito quidem Rege. Et quamvis a Jacobo II rursus
in aulam e secessu evocaretur, pariterque pristino officio ad-
moveretur, valetudinem tamen mox adversam, ut sæpe antea,
expertus, Cal. Septembris 1685 diem obiit supremum Hammer-
smithi, unde deductus, prout jussit, Oxonium & in templo
Collegii Jesu, cui & maximam partem hæreditatis cum Biblio-
theca reliquit, honorifice sepultus est. Etsi vero nec uxorem,
nec liberos haberet, & præterea bonus esset, pater familiaris,
perque complures annos summis muneribus præfectus, neuti-
quam tamen immensas opes reliquit, quod & ut supra dictum,
in accipiendis donariis scrupulosior, & in Legatione, prout
decebat, splendidus, & in pauperes fuisset effusissimus. Fuit præ-
terea insigni pietate, ita quippe in fidei dogmatibus confirmatus,
ut Courtinus, Gallicus in tractatibus Coloniensibus legatus,
aliquando affirmaret, *se, nisi sciret, Leolinum rei gerendæ satit-
aptum, multisque aliis doctrinæ præditi instructum, facile per-
suaderi posse, ut crederet, eum tota vita nihil aliud egisse, quam
ut Patrum scripta legeret.* Itaque fide in Deum atque Regem
erat incorrupta, præterea justus, gravis, moderatus, affabilis,
ad promovenda amicorum commoda promptissimus.

Post vitam hanc, interjectis quibusdam Jenkinsii Dissertati-
onculis, quæ maximam partem Jurisdictionem Admiralitatis Ang-
liæ spectant, succedunt Epistolæ, quæ ab A. 1673, quo coeptus
est Tractatus Coloniensis, usque ad Mensem Majum anni sequen-
tis, quo Noster in Angliam reversus, rursusque ab initio anni

1676, quò pax Noviomagi tentari cœpit, ad Mensẽ Augustum
 anni 1679 iusto ordine disposita, partem maximam Voluminis
 I. & alterum totum occupant, integram negotiorum seriem
 exhibentes. Multum illa prodesse poterunt publicis rerum admi-
 nistris, tum quod tractandi rationem omnem, Mediatoris impri-
 mis officium ac prerogativam, aperte produnt, tum quod ma-
 gnam partem cœremonias & stylum curia concernunt, quo per-
 tinent litera plenae potentiae, & salvi conductus, in quibus tituli
 Principum, sigilla, verba denique omnia sollicitè examinari
 fuerunt, tum Legatorum compellationes (ut *Excellentia*, quae
 non nisi Regum & Electorum legatis primi ordinis concessa,
 ceteris Germaniae Principum Legatis, ut & secundariis Electo-
 rum, negata constanter fuit) salutationes item ac resalutationes,
 ordo sessionis, praecedentiae, imprimis Mediatorum, primae
 propositionis in tractatibus, subscriptionis in ipsa conclusione
 pacis & reliqua. Jam pauca, quae nobis, obiter librum volu-
 tantibus, notatu digna visa sunt, memorabimus. De Arlingtonio
 refertur, eum ineunte anno 1675 in Regni Senatu Papisino,
 dilapidationis rerum & prodicionis a Gilberto Gerardo, sed
 Buckinghamii suggestionem, accusatum, tanta gravitate, pruden-
 tia, moderatione animique minime perturbati constantia integro
 horae spatio pro se orasse, ut multo majorem ex hac una oratio-
 ne famam & existimationem, quam rebus per integrum decen-
 niun bene pro Rege & Republ. gestis sibi pepererit. Raptum
 Fürstenbergii Principis, quem conventus Colonienſis pro Le-
 gato Electoris rite agnoverat, Colonia Bonnam ac inde Vien-
 nam abstracti, accurate & graphice describit Autor, vimque
 factam detestatur, quae res pluribus deinde Epistolis materiam
 praebuit. Hanc injuriam cum ægerime ferrent Galli, quorum
 ille causam pro virili tuebatur, accessit paucis post septimanis
 nova offensa, eo quod 48000 coronatorum, quos Galli Colonia
 Vesalian ad stipendia praefidiarum solvenda destinaverant, in ipsa
 porta Colon. a Kiehmansœckio, Caesareo ductore, detinerentur:
 quod damnum ipsi denique Colonienſes, qui indemnitate lega-
 ti promiserant, resarcire coacti sunt. Ut vero Fürstenbergium
 ideo maxime haec fata expertum putat Noster, quod illi arcanum
 fuisset

T. I. p. 433.
 T. II. p. 189.

T. I.
 p. 275 sq.

280.

296.

482.

320.

fuiſſet cum rebellibus Hungaris Zerinio & Tettenbachio com-
 mercium; ita obſervat, cum Legati ceteri fere omnes cauſam
 ejus agerent apud Cæſarem; ſolas Belgas adduci non potuiſſe, ut
 pro illo intercederent, obtinentes, ſallum illum inter ſerventi-
 ores ſermones fuiſſe Odykio Coloniae, ſe a quindecim annis la-
 boraviſſe, ut hanc Rempublicam peſſundaret. Quantum Gallia
 inhiaverit ſemper Belgio Hiſpanico, ex eo liquet, quod jam A. 1635
 inter Gallos Belgasque Fœderatos de illo partiendo conventum
 eſſet (cujus quidem pacti mox poenituit Belgas); & ex inſtructio-
 ne Mazarini patet, idem tentaviſſe Gallos in pace Monafterienſi;
 hiſto in ipſa pace Neomagenſi ruruſus id agebant Galli, ut Belgis
 hoc conſilium perſuaderent. De Civitatibus Imperialibus obſer-
 vatur, quod ad Electores literas ſcribentes, membrana, ad cete-
 ros vero Germania Principes, charta utantur; Celleſem tamen
 Ducem Noribergeniſum literas, in charta exaratas, repudiaviſſe.
 A. 1678 die 4 Aprilis Legati Gallici Mediatoribus Anglis condi-
 tiones ſatis arroganter nomine Regis ſui proponebant, quibus
 vel ante diem 10 Maji acceptis, pacem, vel rejectis, bellum
 optare Gallorum hoſtes poſſent; & quamvis terminus fuiſſet
 productus, obſervatur tamen in ſequentibus Autoris Epistolis,
 Gallos conſtanter illis inhiſſe, & oppido paucis mutatis,
 pacem demum Fœderatis extorſiſſe. Nec unum hic extat
 Gallici ſalus exemplum, quo pertinet, quod, cum Galli, cum
 Cæſareis de pace tractaturi, propoſuiſſent, ut conventus
 apud Mediatoreſ inſtitueretur, Cæſarei vero, ut ſe ipſos potius
 convenirent Galli cum Mediatoribus, modeſte poſcerent, Col-
 bertus indignabundus reſponderet; *nunquam ſe in hoc negotio
 requiſituros Cæſareos, nec Regem ſuum obviam iturum Caſari,
 niſi centum millia militum ducentem.* Quantum Brandenburghi-
 cum Electorem Fridericum Wilhelmum afflixerit jactura pro-
 vinciarum Suevicarum, ex eo intelligitur, quod Conſiliarios
 ſuos, inſtituta ea de re conſultatione, hiſ denique verbis com-
 pellaviſſe fertur; *quod ſi pereundem eſt tandem, operam ad mini-
 mum date, ne quid exiſtimatio mea damni patiatur;* quibus
 dictis, in graviffimum deliquitum incidit. Hiſ Epistolis, quæ Colo-
 nienſes tantum & Neomagenſes Tractatus ſpectant, ſubjiciuntur
 poſtre-

p. 369.

T. II.

p. 278.

308.

326.

538.

610.

643-792.

postremo alia quaedam, quae maximam partem tum varia Angliae jura civilia & ecclesiastica, tum imprimis jus Albinagii, quale vel in Gallia vel Anglia obtinet, occasione hereditatis a Matre Regia relictae, de qua supra, concernunt. Sunt tamen & in his litterarum nonnullae, e quibus duas tantum memorabimus. Altera *Athanasio Davies* inscripta est, quem, ut exemplo D. Athanasii veritatem strenue inter maximas persecutiones tueatur, nec se dimoveri a fide Ecclesiae Anglicanae patiat, hortatus, inter alia narrat, Hugonem Grotium, Belgam licet, ita tamen Ecclesiae Anglicanae addictum fuisse, ut eam ceteris omnibus praetulerit, amicisque commendaverit, uxori imprimis, quae Parisiis constanter frequentaverit cultum privatum exulantis Regis Caroli II. Altera Latine exarata dirigitur ad *Cl. Bosium Professore in Academia Janensi* (i. e. Jo. Andr. Bosium in Acad. Jenensi Professore) qua eum rogat, ut, quoniam Josephi Opera mox prelo subicienda sint in theatro Sheldoniano Oxonii, eas, quas cum pluribus probatae notae Codicibus MS instituisse feratur, collationes, impensis prius omnibus, quas fecerit, ipso sponse Spanhemio, restitutis, ad se mittere Coloniam dignetur.

P. TERENTII AFRICI COMOEDIAE SEX,
ad fidem duodecim amplius MStorum Codicum & pluscularum optima notae editionum recensitae, & Commentario perpetuo illustratae. Accedunt interpretes vetustiores, AEL. DONATUS, EUGRAPHIUS, CALPHURNIUS, quorum iste maxime e duobus manu exaratis libris, ille iidem e binis MSS. nunc primum integer, hic e codice MS. & veteri editione integrius quam antehac eduntur; additis observationibus, quibus loca obscuriora & depravata vel tentantur, vel restituntur. Porro FR. LINDENBRUCHII observationes in P. Terentii Fabulas & Donati Commentarium emendatius quam in superioribus edd. exhibentur, demum Indices locupletissimi. Curavit ARN. HENR. WESTERHOVIUS.

Tomi II.

Hagæ. Comitum, apud Petrum Gosse, 1726, 4.

Alph. 12. plag. 8.

Quantopere olim doctissimis viris *P. Terentius* placuerit, Varronis, Ciceronis, Plinii, multorumque præterea testimonia demonstrant. Erant jam illis temporibus, qui ab hominibus Afro tam eruditas Comædias conscribi posse, vix sibi persuadebant, sed earum auctorem aut *C. Lælium*, aut *Scipionem Africanum* faciebant. Quæ opinio, licet falsa fuerit, abunde testatur, veneres & facetias Romanas Terentio non minus, quam Græcæ Menandro cognitæ fuisse. Atque hæc auctoritas Comici & gloria non nisi cum communi litterarum interitu, quem barbaræ gentes afferbant, intercidit. Restauratis litteris, novum etiam Afri nostri decus enituit: adeo, ut ex heroibus illis, quibus conservatorem Græcæ Romanæque eruditionis debemus, nullus sit, qui eum in deliciis non habuerit. Unde accidit, ut eo tempore viri elegantioribus Musis dediti solenni elogio *Terentianorum* ornarentur. Et qui in Academiis humanitatis studia docebant, ii Terentium explicare publicis legibus tenebantur. Sed hoc demum & superiore sæculo, ut multos alios bonos scriptores, ita & hunc optimum Latinitatis autorem inepti quidam homines a fastigio suo detrahete cœperunt. Non, quod probæ ejus editiones deessent (facile enim octoginta editiones numerabis, quæ vel nostra & patrum memoria prodierunt) sed quod prava partim religio quædam, partim optimæ cujusque artis fastidium animos occupaverat. Si qui tamen fuerunt, quos minus culta facies Comici, aut defectus perspicuarum annotationum deterruit, iis jam nunc bene consultum videmus per *Cl. Westerbovium*, qui hanc nitidam & charta typisque abunde conspicuam editionem adornavit. Ad eam rem impulsus est jam olim autoritate *Celeb. Perizonii*, & auxilio fuerunt viri Clarissimi, *Car. Andreas Duckerus*, *Abr. Gronovius* aliique permulti. Adhibuit tredecim circiter codices MSS. Donatum etiam ceterosque vetustos interpretes ad similia documenta aut editiones obsoletas recensuit. In promptu fuerunt tam libri plures

impressi, quam notæ ineditæ Gerhardi Falckenburgii, Isaaci Vossii (ut videre est pag. 106 & 108) Jani Gruteri, Th. Pulmanni & aliorum. Consuluit de locis dubiis viros doctissimos, in quibus etiam Amplissimus Vir Cornelius van Bynckershoeck. Et, quod peculiare est huic libro, Cl. Abrahamus de Rouw singulari diligentia laudatorum scriptorum loca, ne vitiose, quod facile accidit, citarentur, denuo autoribus evolutis examinavit, verosque librorum capitumque numeros, ubi forte peccatum erat, restituit. Porro, beneficio Amplissimi Mœringii novum Indicem nactus est, qui jure suo Lexicon Terentianum nominari potest, quem Cl. Editor cum affine suo, laudato Abr. de Rouw, a capite ad calcem recensuerunt, multisque locis aut emendarunt, aut locupletarunt. Denique in Donato emaculando usus est haud infelici opera Cl. Abrahami Wielingii, qui luxata multa restituit, & obscuriora loca egregie emendavit atque illustravit. Ut ergo paucis & ex veritate mentem nostram super hac editione exponamus, ita censemus. Homines elegantes, qui veteres scriptores cum voluptate perlegere volunt, habent hic nitidam editionem, quæ vel invitos ad legendum incitare, hæsitantibus etiam, dum ex multorum notis in unum Commentarium conjectas observationes exhibet, passim succurrere possit; at qui altius in litteras interiores penetrare, & Criticam suam, ut ita loquamur, cupiditatem exsatiare cupiunt, iis, ni fallimur, aptior erit ea, quam Celeb. Bentlejus cum maxime adornat, editio. Hæc vere a nobis dici, rem ipsam dabimus autorem; indeque non temere conjicias, idem, quod diximus, Cl. Editoris fuisse propositum, sed ne latius evagemur, ea saltem, quæ ad primam Comædiam (ubi intentio & studium nondum fuere defatigata) Andriam videlicet præstita sunt, perlustrabimus. Act. I Sc. II vers. ult. ubi nunc editur; *neque tu hoc dicas, tibi non prædictum*, malebat cum Donato; *neque tu haud dicas*, atque duas negationes negare etiam apud Latinos, exemplis ex nota Ach. Statii ad Tibull. IV eleg. VII; Bronkhufii ad Ejusdem IV. eleg. I vers. 127 & Gravii ad Cic. III ad Attic. epist. VII repetitis demonstrat. Act. IV Sc. III vers. 3 ex MSS. & edd. aliquot prætulit; *verum ex ea nunc misera quem capis Laborem*, ubi alii

Dolo.

Dolorem ediderunt, quæ vox alterius solennis Glossa est. Act. V Sc. IV vers. 32 distinctionem mutat, scribens: *Is hinc, bellum fugiens, meque in Asiam persequens, proficiscitur*; cum alii sine distinctione, *Is hinc bellum fugiens* conjugant. Et propter verbum *proficiscitur* verissima est distinctio Cl. Westerhovii; quod ni adesset, recte *hinc bellum fugiens* diceretur, ut apud Plaut. Menæchm. Act. V Sc. II vs. 117: *Sed quis hic est, qui me tæpillo hinc de curru detripit, & apud Livium II cap. XXI: mortuus est Cumis, quo se post fractas opes Latinorum ad Aristodemam contulerat*; & apud Sallust. B. Jug. cap. LXI n. 4: *qui Romæ fuerat, & inde Massivæ de nece judicium fugerat*. Sed ut bene distinguat, ita nihil admonet de verbo *persequens*, quod sine dubio in *prosequens* mutandum est. Aliter judicabunt, qui in Prologo vers. 25 ex MSS. rescriptum vident: *Ut pernoscat, & quid spes sit reliquum*, cum alii habeant, *ecquid*. Sane sensus respuit *quid*, & exempla producta prorsus aliena sunt: MSSis autem solis in his minutis obsequi, valde periculosum est, eo magis, quod perpetuo hæc, *Equis, Ecquid* atque *Et quis Et quid* confundant. Fortasse hujus confusionis exemplum in ipsa hac Andria reperire licuisset Act. V Sc. II extr. ubi editur: *ecquid te pudet*. Certe in eximiis Terentii membranis, quas Ampliss. noster Baudisius ex bibliotheca Senatus hujus urbis depromtas nobiscum communicavit, utrumque, more consueto, exhibetur: *ecquid & quid te pudet*. Similiter judicabunt de mutata distinctione Act. II Sc. V vers. 17: *Ego illam vidi virginem, forma! bona Memini videre*, cum alii simplicius: *forma bona memini videre*. Nec multo magis placebit Act. V Sc. II vers. 23 sollicitari receptam lectionem, mutando *Tamen*, quo recte Simo *quod* Davi *Tamen est* respondet, in *Tantum*. Sed hæc de Emendationibus. Addimus, in membranis illis, quas consulimus, Act. III Sc. II vers. 27 pro his: *sed nibilo secius mox deferent puerum buc ante ostium*, legi: *Sed nibilo minus mox referetur buc puer ante ostium*. Act. III Sc. III vers. 17 membranæ: *Quasi si illa sit tua*, ut Comici soleat; vulgo: *Quasi illa tua sit*. Act. IV Sc. IV vers. 45 idem codex: *ab! necdum omnia*; vulgo: *anne tu omnia?* Taubmannus & Lindenbruchius corrigebant: *ab, ne tu omnia*. Et cum

cum in eo simus, tentabimus ex Conjectura alium locum in Act. II, Sc. VI, ubi vers. 7 Simo: *Quid Davus narrat?* Respondet Davus: *Aequo quidquam nunc quidem*, nullo sensu; neque probabile quidquam eruit Perizonius, & Glossa est, quod ex Palatino MS. laudant. Fortè scribendum: *Aequo quidquam, nec (ac non) quidquam*, hoc esset *nihil*, aut saltem *neque bona, neque mala*, commodissimo sensu. Act. III Sc. V vers. 9 vix latinum circumfertur: *aliquid jam inventurum; ut huic malo aliquam producam moram*, quod significare deberet, ut hoc malum differam. Minima mutatione scriberemus: *ut huic malo aliquam præducam moram*: sic erit *præducere moram* idem, quod alibi *prætere moram bello*. Verum in viam redeundum & de Expositionibus Cl. Westerhovii etiã dicendum est. Nimirum p. 34 probe explicat, cum Weitzio, quid sit *percutere animum*: pag. 36 cum eodem ostendit, quid sit, *Rejecit se in eum*. Pag. 68 evoluit notiones vocabuli *momentum*, & pag. 94 verbi *succensere*, & pag. 101 sq. verbi *differre*: quæ omnia illis, quibus hæc adnotationes conscriptæ sunt, grata erunt atque accepta. Doctiores enim statim videbunt, non sibi dictum pag. 20, *quidam* de ignotis & humilibus dici; pag. 44, *miror*, *si* elegantiam esse, quam Kockertus abunde illustravit; pag. 137 *fidem habere* esse credere: neque sua causa ad eandem Andriam existimabunt bis dici, nempe pag. 15 & 66, *Nam* transitioni inservire; pag. 38 & 71, *pro* in similitudine, pro *quasi*, adhiberi; aut ter proponi, nimirum pag. 64, 66 & 106, infinitivum in admiratione locum habere. De aliis observationibus alii forsitan alia monenda habebunt. Nam ubi Prologo vers. 15 in verbis: *atque in eo disputant contaminari non decere fabulas*, Editor *in eo disputant* conjungit veluti formulam; aliis magis placebit, ut *in eo contaminari* uniatur, pro in eo factò, *per id* contaminari, ut in Panegyrico: *premere in osculis terram*, quæ modus loquendi familiarissimus est Hieronymo, ut in Epist. ad Augustinum: *State præcincti lumbos vestros in veritate*, ad Vitalem: *qui lustravit filios suos in igne, secundum morem gentium*. Et si cui durum hoc in Terentio videatur, placebit certe, si autoritate veterum MS. apud D. Hieronymum in Interpretatione Origenis Homil. in Cantic. Canticorum hunc loquendi

loquendi modum revocemus: agente penitentiam peccatrice, & sancta caput Jesu in unguenti odoribus perfundente. Nec multum abit Manilius Lib. V vers. 260, ut quidem in MS. Paullinæ nostræ scribitur:

*Ceruleum solis viridemve in gramine collem
Conferet; & veris depinget prata figuris.*

Scaliger edidit: *viridi quin gramine.* In expositione verborum in fine Prologi: *Comædiæ spectanda, an exigenda sint vobis prius*, nec nihil novamus; at Scholia membranatum ita habent: *Exigenda, sc. a Comico exposcenda. tanta dulcedinis sunt ejus fabule, ut non solum admiranda, verum etiam ultro exigenda sint ab eo.* Quæ pag. 43 & 88 de particula *jam* leguntur, ea clariora erunt, si cum Donato hanc particulam præcise & accurate tempus notare dicamus, sive illud sit præsens, sive præteritum aut futurum. Mittimus, quæ pag. 61 ad vers. 2; pag. 122 & 123 ad vers. 9 & 14 proferuntur. Illa, quæ pag. 17 & 47 de formulis *canes ad venandum, tempus ad rem*, bene docentur, confirmant morem Latinorum, quo Adjectiva, per Genitivum aut Dativum, & hos per Accusativum cum Præpositione efferre solent. Ita *linteum tersui & ad tergendum; tempus ad rem & tempus rei; canes ad venandum & canes venatorii* fere eadem sunt. Hac observatione subnixi posteriores non modo ita locuti sunt, ut Spartian. Adriano cap. III: *in quo magistratu ad perpetuum tribuniciam potestatem omen sibi factum adserit;* & Gennadius cap. LXXXIII: *ad eloquendum artifex;* & P. Latro Declam. cap. VIII: *vita pravissima consuetudo ad omne facinus;* & Hieron. de benedict. Isaac: *qui ad benedictionem fratris præceptor adlitterat;* Sed etiam paullo audacius eum Casum, qui haud raro pro secundo & tertio, aut etiam pro Adjectivo ponitur, eodem modo per quartum cum Præpositione extulerunt. Hæc de observationibus in Terentium. Quam bene de Donato Cl. Editor promeritus sit, vel uno exemplo declarabimus. Ad Prologi vers. 3 ita in vulgatis: *Utimur fructibus rei*, quæ ab amantibus usu nobis subministrantur: *Abutimur, quando deperdimus & rem, & fructum.* Vitium in illis: *quæ ab amant. cet. latere & MSS. codices, & Lindenbruchius testatur. Noster ex eleganti Wielingii sui conjectura*

ita emendat: *cujus jure apud alium manente solus usus nobis subministratur*, quasi per siglas hæc verba scripta fuissent, quæ postea in vulgatam lectionem coaluissent. Loca veterum a Donato producta studiose indicat per libros, capita & versus: qua occasione monere libet, Sallustii locum; quem pag. 66 legere non meminit, desumptum esse ex I Histor. Orat. Lepidi n. 7, ubi ita: *Agendum atque obviam eundum est, Quirites, ne spolia vestra penes illum sint*. Sed quando pag. 189 ad vers. 7 adeo invenitur in Donatum, quod scripserit: *Bene sane*] i. *valide*: *quia qui sanus est, idem & validus*, mentem Interpretis Cl. Editor non cepisse videtur. Recte *sane* interpretatur *valide*, hoc est, *valde*: & formula *bene sane* nihil aliud significat, quam *valde bene, bene omnino*. Atque hæc sufficere possunt, ad cognoscendum naturam & conditionem tam Emendationum, quam Expositionum Cl. Westerhovii. Ne tamen quid deesse videatur, narramus præterea, aliorum etiam autorum loca, ubi res tulit, emendata, vel tentata esse. Sic pag. 16 & 60 Plautum; pag. 23 Ovidium; pag. 133 Ciceronem emaculavit, & ne plura addamus, otium nobis fecit Index autorum emendatorum atque tentatorum, quem Editor adjecit. Verum ubi ad Act. I Sc. III vers. 19 in Sallustio pro *accepit, excepit*; & ad Phorm. Act. II Sc. I vers. 4 pro *est* substituit *sed*, emendare quidem, sed non ad usum & consuetudinem veterum, multo minus ad morem Crispi respicere voluit. Denique nemo miretur, si in Observationibus Westerhovii & in Addendis ad easdem plerumque talia adscripta videt, quæ dudum ab aliis collecta sunt. Non minus enim Farnabium, Weitzium, & eum, qui Plautum cum Terentio contulit, quam Parei Lexicon Plautinum, Schefferi, Grævii aliorumque notas exscribere, sui juris esse existimavit. Sane pag. 14 non modo Lipsiam ad Senecam, Grævium ad Ciceronem, sed etiam Weitzium, Lindenbruchium & Kockertum ad Terentium compilavit. Pag. 75 Scheffero ad Phædrum unum atque alterum exemplum debetur. Pag. 216 eadem leges de somniis, quæ Lambinus ad Cic. Somn. Scip. cap. I attulit. In Addendis pag. 232 ad Phorm. Act. I Sc. II vers. 18; & ad Act. II, Sc. I, vers. 4 & 79 videbis notas Cortii nostri ad Sallust. Cat. cap. 23 n. 3; cap. 40 n. 1 & ad Jug. cap. 85 n. 10,

n. 10, in compendium redactas. Quod cum aliis vitio verti posset, qui alienam laborem hoc pacto suam gloriam facerent; Noster ingenue factum profitetur, & Præfatione sua omnibus fere debitam laudem tribuit. Ita facile patet, quo loco interpretum sit habendus. Et quisquis specimina a nobis pro'ata vel leviter consideraverit, de industria & incepto Cl. Westerhovii recte ipse statuere, neque ut plura, quam supra scripsimus, addamus, jure desiderabit.

HISTOIRE DU SOCINIANISME.

hoc est,

HISTORIA SOCINIANISMI.

Parisiis, apud Franc. Barois, 1723, 4.

Alph. 3 plag. 14.

Nondum exstare singularem eamque plenioram Historiam de Socinianis eorumque doctrinis, cum animadverteret Autor, in animum induxit labore hoc defungi, opusque suum duas divisum in Partes nunc exhibet, quarum prior ortum, progressum atque interitum Socinianismi describit, posteriori & vitas & scripta celebriorum Socinianorum lectoribus ponit ob oculos. Elaboravit quidem & tertiam partem, qua dogmata persequitur eorum: sed cum videret, lectoribus simul opus esse accuratissima ipsorum confutatione, copiosius illam Partem exornare, & tum demum in publicum emittere constituit.

Parte igitur prima, postquam *Cap. I* docuit, primis jam Ecclesie Christiane temporibus exstitisse impugnatores Deitatis Christi & Trinitatis divine; *Cap. II* diversa nomina persequitur, quibus insigniri solent Sociniani, vocati quippe Trinitarii, Unitarii, Antitrinitarii, Fratres Poloni, Monarchici, Latitudinarii, &c. Disquirens vero, e quo fonte per tot sæcula sepulta hæresis in orbem Christianum redierit, docet *Cap. III*, Reformationem Lutheri occasionem præbuisse; hosque hæreticos, cum nondum omnes errores a Lutero & Zwinglio sublatis crederent, specie amplioris reformationis in tam horrendos incidisse errores. Atque hinc intelligere jubet Autor Protestantes, quantum mali

sequatur doctrinam de Scriptura S. sola controversiarum iudice: imo persuadere sibi non potest, a Lutheranis Calvinianisve rite refelli posse errores Socinianos. Verum hic quidem in transversum rapuit doctissimum Autorem immoderatum sectæ suæ studium, facile alias cogniturum, eum, qui aliunde, quam e sacro codice, refellere aggrediatur Socinianos, non posse non in circulum relabi sophisticum, sive, ut Scholastici loquuntur, in turpem petitionem principii. *Cap. IV* & sequentibus prima Socinianismi incunabula demonstrat, & hinc incrementa hujus sectæ per Italiam, Poloniam, Transylvaniam, aliasque terras, describens initio Synodos in diversis Poloniæ urbibus a Socinianis habitos, deinde progressum Socinianismi in Hungaria & Transylvania, accusans simul Imperatores Ferdinandum I & Maximilianum II nimix erga hæreticos propensionis. Cum vero Anabaptistas in Germania & Belgio fenestram latius aperuisse credit Sociniani erroribus, tribus Capitibus (XVII, XIX, XX) historiam tradit sectæ Anabaptisticæ. Hinc pluribus exponit, quam stabiles sedes in Polonia nacti sint Sociniani, faventibus ipsis Regibus ac Procerum haud paucis, enumerans ipsorum in Polonia pariter ac Lithuania Ecclesias, Scholas & typographias. Ultimo loco enarrat ejectionem Socinianorum e terris Polonicis vi edicti A. 1658 publicati. E Polonia digreditur in Angliam atque Hollandiam, &, quam altas ibi radices egerit Socinianismus, quamque multos adhuc habeat sectatores, edisserit, ac simul in libertatem conscientiarum, quæ & gignat & alat hanc hæresin, invehitur. Cumque Arminianorum sectam Sociniani favere sibi persuadeat, duo Capita (XXXIII & XXIV) implevit historia Arminianismi. Denique ne eorum error latius disseminetur, qui Socinianorum dogmatum accusant clarissimos aliquot Gallos, postremis duobus Capitibus studiose hunc rumorem refellit, & maxime doctores Portus Regii ab adversariorum suorum objectionibus defendit.

p. 201. *Parte secunda* chronologicum exhibet Catalogum Socinianorum, cujusque & vitam describens & errores pariter ac libros enumerans. Hic admodum copiosa occurrit narratio de *Serveto, Ochino, Lelio & Fausto Socinis, Val. Gentile, Lismanino, Palaeologo*

Iogo, Dudithio, Blandrata, Schmalzio, Crellio, Schlichtingio, Wolzogenio, Vorstio, Sandio: satis quoque luculenta de ceteris Socinianæ doctrinæ professoribus, itaque de primariis politici ordinis viris, qui in Polonia ad hanc sectam sese adjunxerunt. Nonnullos vero injuste retulisse censebitur in hunc censum, maxime *Capitonem, Flacium, Wicelium, & Coccejum*. Permittimus etiam aliis arbitrandum, an recte socios huic sectæ adscripserit *Cap. XIX* Anabaptistas, & postea Arminianorum primipilos, *Episcopium & Curcellæum*. Occasione hac oblata etiam *Grotii* vitam *Cap. XLII* enarrat, Bossuetique profert & aliorum argumenta, quibus probatum eunt, Grotium fuisse Socinianum, additis ad ea responsionibus Joannis Clerici. Ipse quidem nihil hic definit, sed ultimo loco scribit, Grotii nomen adhuc permagno esse in pretio doctis omnibus omnium religionum. *Cap. XLIII* *Burignoniam* Sociniano gregi adjungit, & sequenti producit *Jurixi* argumenta, quibus elicere conatus est, *Eliam Saurinum* inter Socinianos esse referendum. Vicissim *Cap. XLV* ipsum *Jurixum*, quem foeditissimis depingit coloribus, docet iis ipsis argumentis reum agi posse Socinianismi, quibus ipse usus est ad alios in classem Socinianorum adscribendos. Nec vero sibi propositum esse ait, ut *Jurixum* faciat Socinianum, sed tantum, ut ostendat, quam imbecillibus ille sit usus argumentis ad alios hujus hæreseos convincendos. Hinc tribus Capitibus agit de *Joanne Clerico*, initio ejus virtutes ingenii & vitia morum describens, tum vitam ejus exponens, & responsiones Clerici, quas iis opposuit, qui Socinianismum ipsi objecerunt. Jure vero Clericum inter Socinianos referri, demonstrari clare posse putat hoc argumento: qui omnia S. Scripturæ loca, e quibus probari solet æterna Christi Deitas, alio sensu interpretatur, nec unquam clare profitetur, se credere, tres esse in Deo personas, Jesumque esse verum Deum, ac denique persecutiones Socinianorum habet pro injustis & barbaris, is est verissimi nominis Socinianus. Assumptionem probare studet ex scriptis Clerici, quorum recensito Catalogo ultimam Caput, quod est quadragesimum nonum, aperit, in eoque *Maldonatum & Petavium*, Jesuitas, quorum & vitas describit, argui a quibusdam docet Socinianismi, sed eosdem ab

p. 581.

- p. 2. 3. aliis luculenter defendi. Absoluto jam operi accedunt Notæ quæ que fere plagularum, in quibus id partim supplet, partim corrigat atque emendat. Hic & eos commemorat, qui *Erasmum Arianiſini* accuſarunt & Socinianorum prodromum vocarunt. Ipse vero injuſtam ſtatuit eſſe hanc accuſationem. Longus hinc eſt de vita & doctrinis *Stancari*. Copioſiſſime vero illuſtrat hiſtoriam *Serveti & Ochini*, ſimul agens de libro, cujus autor Ochinus a nonnullis fuit habitus, *de tribus impoſitoribus*, quem quidem librum ipſe negat unquam fuiſſe ſcriptum editumque. Illud ultimo loco monere liceat, nomina virorum & urbium paſſim exhiberi admodum corrupta, quod quidem in Gallorum hiſtoricis libris ſæpius in his *Actis* obſervavimus.
4. ſqq.

R. P. BERNARDI PEZII, BENEDICTINI
& Bibliothecarii Mellicenſis, Bibliotheca
Aſcetica antiquo-nova.

Tomus V & VI.

Ratiſbonæ, ſumtibus Jo. Conr. Pezii, 1724, 8.

Alph. 2 pl. 7½.

EN continuationem *Bibliotheca Aſcetica* Pezianæ, cujus ſuperiores Tomos A. 1723 p. 518, & A. 1724 p. 483 exhibuimus. Quinto igitur Tomo trium ſuperioris ſæculi Cartuſianorum monumenta proferuntur in medium, eaque, ut Editor in Præfatione obſervat, *genuinum n.icum ſpiritum redolentia*. Primus, *Antonius Volmarus*, Cartuſiæ Aſtheimenſis in Franconia Prior, defunctus A. 1633, plura ſcripſit, quæ a Petreis memorantur in *Bibliotheca Cartuſiana*. Alter, *Matthias Mittnerus*, Pruelenſis prope Ratiſbonam Cartuſianus, vita exceſſit A. 1632. Tertius, *Laurentius Wartenbergerus*, Magdeburgi natus parentibus Lutheranis, & A. 1667 mortuus, plures composuit libros, omnes *avendentes*, quorum titulos Editor noſter in Præfatione repræſentat.

Sed jam ad ipſos horum libros hic editos accedamus. *Volmari* quidem liber totus eſt myſticus & ex antiquiore autore excerpt.

cerptus: Inscriptus est *de spirituali perfectione*, ac duabus constat partibus, in quarum priore agitur *de dulcedine mentali seu gustu suavitatis interno & sentimentis Spiritus, deque disponentibus ad hujusmodi gustum, & ipsum comitantibus ac sequentibus*; in posteriore *de vera spirituali perfectione, & de quatuor viis hominem ad summam perfectionem & divina veritatis limpidam contemplationem ducentibus*. Libet hinc excerpere sequentia. *Lib. I cap. 1* visionem Dei mysticam ita describit: *Quemadmodam in intellectu cognitio seu visio est specularis & intuitiva, sic pariformiter in affectu cognitio seu visio experimentalis, mystica & gustativa, in qua hominis in statu vite presentis, si ad eam admittitur, consistit spiritualis perfectionis finis & summa*. Ibidem tres constituit partes hominis, corpus, animam, & spiritum, visionem mysticam non animæ tribuens, sed spiritui: addens, ad illam visionem requiri divisionem spiritus ab anima: de qua divisione pluribus disputat. Illustrat hoc in sequentibus Capitibus dictis & veterum Ecclesie doctorum & ipsius S. Scripturæ. *Lib. II cap. 6* differit de discretione spirituum, docens, a quatuor spiritibus hominem agitari, Spiritu maligno sive diabolico, cujus quidem tentationes præclare describit; Spiritu naturali, a quo proficiunt veritates philosophicæ; Spiritu angelico, qui homini virtutes inspirat, eumque ad sancta opera incitat; Spiritu denique divino, qui divinam veritatem clare homini ostendit, ut is extra se raptus ac supra se, in nudam divinæ claritatis essentiam eleve-
 tur. Hi quatuor spiritus quomodo inter se discernantur, ducit mystica theologia exponit. *Cap. 18* & sequentibus exhibet quatuor vias ad summam perfectionem perveniendi & ad contemplationem limpidam veritatis divinæ. Prima est, ipsius iudicio, ut homo habeat perfectam voluntatem perfecte omnibus renuntiandi, quæ sunt contra Deum, & quæ non sunt ipse Deus. Altera, ut vitam Christi imitetur, & in passionis Christi sedula meditatione versetur. Tertia, ut perpetuo mortificet propriam sensualem naturam, facile perferens aliorum contentum & injurias & adversa quævis. Quarta, ut assidue & diligenter omnes sensus custodiat intus & extra, ac jugiter persistat in puri-
 tate

p. 1-408.

14.

16.

tate simplici. Quæ quidem singula eum in modum explanat, ut legi mereantur a Christianæ virtutis studiosis.

p. 409 - 452.

Sequitur *Mittneri Enchiridion Cartusianum*. In hoc ad instar Enchiridii Epictetici quinquaginta sistuntur aphorismi ad conservandam animi pacem utiles, subjecta singulis Paraphrasi. Ac priores triginta quinque aphorismi sive regulæ sunt ex illo Epicteti Enchiridio ad verbum descriptæ, mutatis paucis insertisque, prout commodum Autori videbatur ad commendandam sanctitatem Cartusianam.

453 - 463.

Accedit ejusdem *Mittneri Paraphrasi in formulam professionis Cartusianæ*. En, quam perpetua paraphrasi illustrat, formulam: *Ego frater N. promitto stabilitatem, obedientiam, & conversionem morum meorum coram Deo, coram Sanctis ejus, coram Reliquis istius eremi, quæ constructa est ad honorem tuum & beata semper virginis Mariæ in presentia Domini N. Prioris.*

1 - 28.

Sexto Tomo præter Wartenbergeri Contemplationes in vitam Christi & præcipua fidei mysteria, quem librum superior Tomus,

cui destinatus fuerat, non capiebat; leguntur *Dominici Passionei, Archiepiscopi Ephesini, & Apostolicæ Sedis ad Helvetios Legati, (cujus etiam epistolam ad se scriptam Editor exhibet, ex qua discimus, Passioneum bibliothecam sedecies mille voluminum, MSS. etiam Græcis refertam, possidere,) Sermones duo A. 1723 habiti de Abbatis electione rite instituenda; Anonymi Benedictini, qui sæculo XII vixisse videtur, libellus de conscientia;*

29.

49.

Engelberti, Abbatis Admontensis, (de quo Cl. Editor jam egit in præfatione Tomi tertii,) liber de providentia Dei; Henrici Arnaldi, Cartusie Basileensis Prioris, A. 1487 mortui, Dialogus de modo perveniendi ad perfectam Dei & proximi dilectionem, quem Trithemius inscripsit de commentatione charitatis. Ex Anonymi libello de conscientia memores eorum, quæ superius attulimus de quatuor spiritibus mentem humanam agitantibus,

47.

depromere libet, quæ *Cap. 7* habentur *de quatuor spiritibus, qui homini assidue loquuntur, Spiritu mundi, Spiritu carnis, Spiritu Diaboli, Spiritu Dei. Spiritus mundi, inquit, suggerit vana, & ipse tunc loquitur cordi nostro, cum vanitatem diligimus, de vanitate letamur, in vanitate delectamur. Spiritus carnis loquitur,*

cum

cum ejus curam in desideriis perficimus & voluptate. Spiritus Diaboli loquitur, quando amara cogitamus & aspera proferimus, tristes in nobis, aliis irascentes, ingrati & invidi, sine affectione, sine federe. Spiritus Dei loquitur, quando dulcia & meditamus & loquimur, hilares nobis & proximis in omni dulcedine & bonitate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Ex Engelberti opere de providentia Dei, quem autorem A. 1724 p. 483 ab *alexand. Scholastica* laudavimus, observamus, libro primo & potentiam & bonitatem Dei pulchre ostendi ex contemplatione mundi & totius naturæ, adeoque dignissimam lectu esse hanc tractationem. Ex *Henrici Arnoldi* opere notatu dignissima sunt ultima verba hunc in modum profluentia: O mater Salvatoris, o mater gratia, quoniam iste verus filius tuus, etiam verus Dei filius, dictus est vere nomine & re per mysterium Jesus a salvando, Christus ab unctiois dono, fac materno interventu tuo, ut nos tui pauperculi, quorum etiam mater dici non verecundaris, sicut a Christo Christiani, id est, uncti, vocati sumus; ita quoque a Jesu Jesuitæ, id est, salvati, vocari veraciter mereamur, cetera. Unde apparet, non esse Ignatium Lojolam primum istius nominis repectorem. *Wartenbergi* denique liber vitam Christi & præcipua fidei Catholicæ dogmata persequitur stylo arguto, quali utuntur hodie Inscriptionum artifices. Unde hunc librum non minus accommodatum dixeris ad exercendum ingenium, quam ad exercendam pietatem.

p. 213.

INSTITUTIONES PHILOSOPHIÆ WOLFI-
anæ, in usus Academicos adornatæ; opera LUDOVICI
PHILIPPI THUMMIGII, Professoris Phil.
Ordinarii & Reg. Soc. Scient. Boruss.
Sodalis.

Tomus posterior.

Francof. & Lipsiæ, in Officina libraria Rengeriana, 1726, 8.
Alph. 1 plag. 7.

E Cce tibi Tomum posteriorem Institutionum Philosophiæ Wolf-
L I fianæ.

fiana, quam a Cl. *Tbünmigio* prelo parari monuimus in Actis anni superioris p. 234. Complectitur is Philosophiam practicam uniuersam, quam in Meditationibus Moralibus atque Politicis proposuit Philosophus. Nimirum primo loco comparat *Philosophiam practicam uniuersalem*, quam nouo consilio condidit Philosophus, cum primum animum ad philosophiam practicam perficiendam appelleret. Succedit secundo *Jus natura*, quod cum praxi morali atque politica idem conjunxerat, Cl. autem *Tbünmigius* separatim exhibere maluit, morem scholæ modernum secutus. Tertium locum occupat *Ethica*, sive philosophia moralis & ultimus denique cedit *Politica* seu philosophia civili. *Philosophiam practicam* in duas dividit partes, theoreticam atque practicam. In theoretica theoria Philosophiæ practicæ generalis, in practica autem praxis itidem generalis traditur. In theoria actionum humanarum differentia explanatur, unde earum intrinseca honestas atque turpitudine elucet; 2 obligatio & lex naturalis stabilitur; 3 Deum esse legis naturalis autorem, demonstratur; 4 pœnarum & præmiorum notio evolvitur; 5 virtutis atque vitii ratio exponitur; 6 beatitudo & felicitas hominis expenditur, tandemque 7 conscientia & ejus diversi status explicantur. In praxi monstratur modus perveniendi ad summum bonum philosophicum seu felicitatem terrestrem, 2 custodia conscientia ad certas regulas alligatur, 3 methodus conjectandi hominum mores certioribus fundamentis superstruitur. *Jus natura* itidem in duas abit partes, ethicam & politicam. In parte ethica jus naturæ ethicum demonstratur, quod absolvitur legibus naturalibus, statui naturali convenientibus. In parte politica jus naturæ politicum occurrit, quo continentur leges naturales, status civilis norma. Jus naturæ ethicum tradit officia hominis 1 erga Deum, 2 erga se ipsum, 3 erga alios in genere, 4 erga amicos & inimicos in specie, 5 circa sermonem, 6 circa pacta, 7 circa dominia rerum, & 8 circa contractus. Jus naturæ politicum exhibet leges societatis 1 in genere, 2 nuptialis, 3 paternæ, 4 herilis, 5 domus in specie, 6. Reip. in genere, 7 Reip. constituendæ, & 8 legibus civilibus iniungendæ, 9 potestatis & potentia summorum imperantium, 10 Reip. administrandæ, tandemque 11 belli atque pacis.

pacis, *Ethica* seu philosophia moralis in quatuor sectiones dividitur. Prima de virtutis studio in genere affectuumque regimine; secunda de virtutibus intellectualibus; tertia de moralibus, & quarta de pietate philosophica agit. Virtutes intellectuales vulgo recensentur quinque, intelligentia, sapientia, scientia, prudentia, ars; sed Philosophia Wolfiana numerum eorundem adauget: quamobrem Cl. *Thümmigius* decem numerat, acumen scilicet, profunditatem, intelligentiam, scientiam, soliditatem, artem inveniendi, culturam ingenii, sapientiam, prudentiam atque artem. Singularum theoriam atque praxin singularibus capitibus comprehendit. Inter virtutes morales comparent notitia sui, temperantia, cura corporis, castitas, liberalitas, modestia, diligentia, patientia, fortitudo, amor universalis omnium hominum, mansuetudo, amicitia, veracitas, taciturnitas, iustitia. De singulis peculiari capite egit & passim virtutes agnatas iisdem jungit. E. gr. Temperantiæ jungit sobrietatem, liberalitati continentiam, parsimoniam, officiositatem, beneficentiam; modestiæ humilitatem, magnanimitatem. Ita autem in virtutibus cum intellectualibus, tum moralibus tradendis versatur, ut non modo earum definitiones accuratas tradat, verum etiam actiones ipsis proprias per legem naturæ determinet, eaque demonstrat, quæ mediolorum, impedimentorum, remediorum, motivorum atque signorum rationem habent, etsi a tædiosa terminorum generalium repetitione absteineat. Per *pietatem philosophicam*, quam Philosophus primus in Philosophiam introduxit, intelligitur virtus dirigens actiones hominum attributis divinis convenienter, aut ad gloriam Numinis, utendo scilicet istis tanquam illarum motivis. Maximum in ea momentum ponit, quod omnes virtutes ceteras ad eminentiorem gradum elevat, atque hinc deducit, hypothesin athei, etsi jus naturæ non evertat, esse tamen virtuti adversam. Eandem medium gradum constituit inter virtutem naturalem & Christianam, pietatemque christianam antecellere philosophicam ostendit. Pietas philosophica sub se comprehendit studium agnoscendi Deum, amorem Dei, timorem & reverentiam Numinis, fiduciam erga ipsam & acquiescentiam in voluntate ipsius, invocationem Numinis gratiarum-

que actionem atque cultum Dei externum. De singulis eadem methodo tractat Autor, qua eundem in virtutibus intellectualibus & moralibus usum fuisse modo diximus. *Politica* in duas dividitur partes, œconomicam atque politicam. Parte prima sive œconomica agitur de salute Societatum simplicium promovenda; parte autem secunda sive politica de salute totius Reip. curanda. Quoniam societates simplices sunt nuptialis, paterna, herilis & minus composita domus; peculiaribus capitibus explicatur, quomodo salus societatis nuptialis, paternæ, herilis & domus obtrineatur. Ostenditur nimirum, quo pacto efficias, ut in singulis societatibus unusquisque satisfaciat officio suo. Tota enim tractatio practica est. Pars secunda sive politica in duas subdividitur sectiones. Prima est de Rep. constituenda; secunda de eadem administranda. In illa agitur de forma Reip. eligenda, & cura imperantis circa numerum civium, virtutes intellectuales, virtutes morales & cultum divinum, circa honestatem externam conservandam, religionem, justitiam, injurias, vitæ necessitatem, morbos, præsertim contagiosos, vitæ jucunditatem, honores explicatur. In hac tractatur de summæ potestatis & potentix collatione, de regimine in genere, de justitiæ administratione, de salute subditorum ubivis locorum promovenda, de opibus civium conservandis augendisque, de consiliariis, de oneribus publicis, & de tuenda Rep. adversus insultus hostiles. Et si autem Cl. Autor, perinde ac in Tomo priori disciplinas theoreticas, in hoc posteriori practicas secundum methodum demonstrativam elaboraverit; omnes tamen theses eo ordine collocavit, qui in scholis in consuetudinem abiit, atque hinc contigit, quod non singulis in catena idem obtigerit locus, quem in operibus *Wolfianis* tuentur, ac sæpissime alia concatenatione fuerit opus. Ceterum eadem ipsi fuere rationes Tomi institutionum posterioris conscribendi, quas prioris fuisse, in Actis anni superioris p. 234 commemoravimus, scilicet ut juventutis Academicæ utilitati consuleret, & ut inanes osorum *Wolfianorum* vociferationes de periculosis dogmatis *Wolfianis* retunderentur. Cum enim toties ingeminare non erubescant, Philosophia *Wolfiana* omnem virtutem, omnem religionem, in uno omnem morum honestatem tolli,

tolli, ita ut ne quidem religio pagana, nec ulla Resp. subsistere queat; ad refellendos clamores, non alia re opus esse censet, quam ut alterum hunc Tomum Philosophiæ *Wolfianæ* attenta mente percutras. Atque ita omnem falsissimarum consequentiarum molem, quasi systema harmoniæ præstabilitæ philosophiæ practicæ inimicissimum sit, collapsuram, confidenter sperat. Patere nimirum, quod philosophiæ practicæ cum isto systemate nihil sit commune. Quoniam in eodem supponitur, animam & corpus ita agere, ac si in se mutuo influerent; non invito systemate harmoniæ præstabilitæ morum doctorem sumere influxum physicum, qui fatente harmonista apparet, tanquam realem, perinde ac Astronomus non invito systemate terræ motæ in parte spherica Astronomiæ motum primi mobilis supponit tanquam realem, propterea quod inotus vertiginis telluris ita concipi debeat, ut in determinandis phænomenis idem sit, ac si cælum moveatur circa tellurem. Postquam Celeb. *Wolffius* toties urfit, ut theses disertis verbis prolatas indicent adversarii, quibus tantum periculi insit, ut propterea omnis philosophia *Wolfiana* sit damnanda & supprimenda; illud tandem ab electione mundi optimi, a *Wolffo* asserta, derivare malunt: ea enim admittenda tolli libertatem in Deo & cuncta fato subjici &, si mundus hic statuatur optimus, omnia in absolutissimum recidere. Constat ex parte prima Institutionum, in philosophia *Wolfiana* mundum optimum dici, qui fini, ob quem a Deo factus, convenientissimus, & mundi nomine designari omnem rerum per omne ævum sibi mutuo succedentium seriem. Quamobrem Cl. *Tbümmigius* objectionem hanc amoliturus, quaerit, quis ideo dixerit, violari libertatem nostram, si in moralibus atque politicis media proferimus, quæ scopo magis satisfaciunt ceteris, & cur decretum censeri debeat absolutum, si ratio objectiva fuerit major objecti perfectio, immo cur executio mediocrius fini optime servientium fatalem rebus necessitatem imponere debeat? Provocat ad Autorem pseudonymum in Bibliotheca Bremensi class. 8 fascic. 1 p. 47, qui contra obrectatores *Wolfiani* nominis demonstravit, ideam electi mundi optimi a Deo salva ejus sapientia & libertate removeri non posse.

Riesch-Historie,

hoc est,

PYRITOLOGIA, AUTORE D. JOANNE FRIDERICO HENCKELIO, Potent. Regis Poloniarum & Electoris Saxonie Physico Provinciali, nec non Physico Freybergensi.

Lipsiæ, apud Joannem Christianum Martini, 1725, 8.

Alph. 2 plag. 22 Tabb. æn. 12.

Non contemnendam historię naturalis partem hoc Tractatu complexus est Cl. *Henckelius*, rei metallicę & artis chemicę peritissimus. Non compilatorem egit in argumento minus trito; sed propria experientia ac experimentis domesticis acquisita fideliter exposuit, historię naturalis incrementum pro virili promoturus. Animum enim ad pyritem, minerale præcipuum, cum cura describendum appulit, quod Autores celebratissimi *Capenarius* atque *Agricola* de hoc argumento non tradiderint nisi confusa atque incerta, ipsum autem minerale in fodinis maxima copia ubivis locorum sese offerat, usumque in re metallica amplissimum habeat. Experimenta cum institueret, non elementa Chymicorum inde elicere intendit; sed naturę reliquit, quęnam in solutione offerret. Nec descripta ab aliis experimenta imitatus, sed quę ratio & tentamen fortuitum suggereret, ea instituire allaboravit. Singula experimenta aliquoties iteravit, ne minus explorata in lucem publicam proferreret. Omnem quoque adhibuit curam, ne peregrina pyriti admixta experimenti eventum dubium redderent; & ne instrumenta & vasa minus pura eidem officerent: id quod imprimis in coloribus immutandis facillime accidit, tum etiam in ipsa mixtione ac fermentatione nocuum existit. Neque ipsum piguit singulas experimentorum circumstantias diario suo inferere, & vasis, quibus producta aservabantur, schedulas affigere, unde apparet, ad quodnam experimentum pertinerent. Sumit experimenta in sexaginta, immo pluribus pyritę speciebus, quas magno labore ac sumtu cum ipse ex fodinis patriis collegit, tum ex peregrinis oris ad se deferri

de ferri curavit. Postquam institutum suum exposuit, de diversis nominibus differit, quibus pyrites appellatur. Pyritæ nomen antiquissimum a Græcis ad nos venisse & Germanice reddendum per vocem *Kies*: multa eoin ratione *Agricolam* inter *pyriten* & *chibitum* distinguere. Ab Arabibus hoc minerale appellari *marcasitam*, a nonnullis Chymicæ secretioris cultoribus *magnesiā*, ad alios *igniarium*, *lapidem luminis*, *sideritem*, *pyropum*, *pyrobolum*, *pyrimachum*, *otbonnam*, *corallum* &c. Germanice *Büchstein*, *Martstein*, *quasi lapidem Martis*, *Atrament-Stein*. Ostendit autem, quanta in denominando hoc minerali confusio sit apud Autores, & quam ambiguae sint interpretationis nomina adducta penes diversos: ubi multam lectionem probat. Non minor confusio quoad rem ipsam occurrit: id quod prolixè adstruit Noster. Certiora igitur traditurus, observat, primariam pyritæ materiam esse terram martialem, eique vel sulphur, vel arsenicum, vel subinde utrumque admixtum. Nonnunquam etiam admiscerit cuprum: argenti vero atque auri nonnisi contemnedam portionem adesse. Unde notat, *pyriten aurei coloris* nomen hoc tantummodo promeruisse a colore externo, cum auro quasi tinctus appareat. Idem ipsius iudicium est de *pyrite coloris argentei*. Nec probat, pyritas distingui a sulphure & vitriolo, cum ipsius iudicio ex omni pyrite elici possit vitriolum, ex quo sulphur extrahitur, & contra. Majori ratione discrimen peti a sulphure & arsenico, cum non perinde nostri arbitrii sit, num arsenicum, an sulphur extrahi debeat, quemadmodum ex omni pyrite, qui vitriolum dat, sulphur elici potest. Etsi enim sæpissime arsenicum sulphuri sit admixtum, neque tamen ex sulphure arsenicum vel ex arsenico sulphur paratur. Distinguuntur quoque pyritæ a figura externa, e. gr. in rotundos & angulosos. Sunt autem cum rotundorum, tum angulosorum variz species. Inter rotundos occurrunt sphericus, hemisphericus, ovalis, botrytes, cristatus; inter angulosos tetraëdros, hexaëdros, octaëdros &c. Tandem ratione coloris Noster eos dividit in albos, subflavos & flavos. Album esse pyriten arsenicalem; subflavum, in quo Mars cum sulphure prædominatur; flavum denique, in quo Venus sulphuri faciat. Discrimen a colore petatum in historia naturali potissimum esse attendendum censet. Pyriten subflavum in
 omni

omni lapidum genere reperiri, nec non in argilla ac in terra quavis metallica, observat; flavum vero & album alicubi non occurrere, ubi sedem suam figit subflavus. Non omnem a prima creatione originem suam deducere, sed eum hodiernum generari arbitratur, atque posterius multiplici experientia confirmat. Nam stalactitem hodiernum generari, nemo rerum naturalium curiosus ignorat; deprehendit autem Noster etiam iis in locis, ubi stalactitæ recentior ætas minime dubia, pyritem ejus superficiem adhærentem, immo particulas metallicas intus aggregatas. Probe inonet, non partes pyritæ majores ab aquis aliunde advectas cum stalactite coaluisse, sed particulas valde exiles instar vaporis tenuis superficiem successive adhæsisse: quod ipsa autopsia manifesto prodit. Mittimus argumenta alia, quæ apud ipsum autorem legi merentur. Silentio tamen prætereundum non est experimentum Autoris, quo lapidis crystallini productionem illustrat. Vitrum rotundum majus urina recenti pueri dimidia parte repletum, vesica obducto colli longioris orificio, in loco temperate calido, veluti in hypocausto, per tres quatuorve annos immotum conservetur, ut vapores subtiles ascendentes & in superficie cava superiori collecti rursus defluant. Videbis enim non sine jucunditate, tandem margini vitri accrescere lapillos candidos, avenæ grana æmulantes, qui vitro adeo firmiter adhærent, ut ab urina effundenda loco minime dimoveantur. Figuram habent prismaticam, nihil saporis falsi produnt, nec in aqua fervente solvuntur. Veteres ignorarunt, Martem dominari in pyrite, qui non nisi Venerem in eodem agnovere; etsi in plurimis pyritis rarissimam. *Listerum* primum fuisse fatetur Autor, qui in tractatu de fontibus medicatis Angliæ asseruerit, pyritem purum putum ferri metallum esse, quamvis id universaliter statuisse non videatur. *Cel. Bergerum* in Commentario de thermis Carolinis idem agnovisse. Etsi autem Noster multum tribuerit virorum doctissimorum autoritati; haudquaquam tamen diffitetur, quod asserti universalitatem ægre admisit, cum hoc minerale jam diu multumque tractasset. Nunc vero multis argumentis eandem adstruit, quæ inter primo loco comparet attentio materię pyritæ a magnete, ubi a sulphure fuerit purificata. Probat ulterius, pyritem

Marte

Marte non desitui, etsi Venus non exiguam sibi partem vendicet, cum e contrario Veneris sæpissime nullum vestigium appareat. Rationes quoque reddit, cur Venus cum Marte in pyrite copuletur. Præter Martem & Venerem, tanquam partes fixas pyritæ, ostendit etiam adesse terram crudam minime metallicam, quæ particulis Martis, Veneris, sulphuris atque arsenici intime permixta, ut nullo microscopio distingui possint; sed qualis eadem sit, hæcenus ipsi detegere non licuit. Sulphur in pyrite flavo & subflavo facile detexit; ast in albo iteratis experimentis vix ullum ejus vestigium reperire licuit. In pyrite venereo, quamvis maxime arsenicali, magna copia idem obvium, maxima vero in martiali. Notatu admodum dignum censet, quod in sulphure crudo terra martialis contineatur; quod inde probat, quia scorizæ sulphuris in testa concremataz relinquunt terram cinericiam, quam magnes trahit, in regulum martialem mutabili. Arsenicum non eadem constanter forma apparere monet, ut adeo difficile sit idem detegere. Ne igitur labor frustretur, diversas ejus formas describit. Reperitur autem potissimum in pyrite albo. Cum nimis exigua argenti & auri portio in pyrite contineatur, pauca quoque de ea re verba facit, atque inter ea refert aurum & argentum, quæ accidentaliter pyritæ admiscentur. Vitriolum in pyrite non contineri censet, tanquam partem constitutivam, sed ex eodem produci, nempe coadunitis particulis aliis per pyriten dispersis, acidi nempe, sulphuris & terræ metallicæ. Multus est in describendo modo vitriolum ex pyrite producendi. Quoniam vero Noster false ridet eos, qui omnia mixta in sal, sulphur atque Mercurium resolvere nituntur, cum in resolutione compositorum, nedum decompositorum non per saltum progrediendum sit ad prima quædam principia tanquam elementa; ideo hic quoque eadem observans, pyriten tanquam decompositum tantum resolvit in suas partes constitutivas, quæ in compositorum numero habentur, in ferrum, cuprum, sulphur atque arsenicum, neque curæ ipsi est ulterior ferri, cupri, sulphuris atque arsenici analysis, etsi ultro largiatur, naturam decomposita non demum ex compositis formare, verum in ipsa compositione mixta producere. Varia instituit experimenta

Mm

de

de reductione metallorum ad æs minerale. Ipsius iudicio æs minerale consistit ex terra metallica, sulphure & arsenico, ita ut sulphur & arsenicum vel simul insint, vel alterutrum tantum insit, atque nonnunquam ex terra cruda non metallica. Genesin pyritis atque mineralium ceterorum deducit a vaporibus mineralibus, quorum adeo pariter genesin explicare studet. Usam denique pyritis declarat in parando sulphure, vitriolo, arsenico & fundendo metallo, atque appendicis loco varia notatu digna adjicit a præsentis argumenti non prorsus aliena, veluti *Rosini* relationem historicam de terra Martis Hassiaca, *Meuderi* experimenta de gravitate specifica pyritis aliorumque mineralium & variorum fluidorum cum naturalium, tum artificialium, & observationes quasdam miscellaneas curiosas ad regnum minerale spectantes. Quamvis vero tantum de pyrite agat Cl. *Henckelius*, universam tamen metallurgiam plurimum illustrat, de regno minerali præclare meritis.

Astronomische Tabellen des Herrn de la Hire &c.

hoc est.

TABULÆ ASTRONOMICÆ PHILIPPI DE LA HIRE, cum nova, completa & accurata descriptione omnis calculi Astronomici; Autore JOANNE ALBERTO KLIMMIO.

Norimbærgæ, apud Jo. Christoph. Weigelium, 1725, 4.

CL. Autori propositum est calculum Astronomicum, cujus difficultas plurimos ab eo deterret, reddere magis expeditum. Quamobrem cum *Tabulæ Philippi de la Hire* nostro ævo celebratissimæ sint, præcepta autem breviora adjecta sint, quam ut ad omnem calculum Astronomicum feliciter tractandum satisfaciant, iis præsertim, qui parum adhuc sunt exercitati; ideo *Tabulas* quidem retinuit, juxta exemplar, in quo *Cel. Autor* propria manu nonnulla correxit, a Cl. *Rosino* revisas, sed præceptis omissis novam ad calculum Astronomicum introductionem adjecit. Docet c. 1, quænam sint præcognita ad intelligentiam tabularum

rum astronomicarum necessaria, c. 2 arithmetica sexagesimalis, c. 3 Trigonometriam planam, c. 4 Trigonometriam sphericam, c. 5 divisionem temporis in genere, c. 6 divisionem anni in specie, cum problematis in calculo necessariis, c. 7 calculum Solis, c. 8 calculum Lunæ, c. 9 calculum planetarum, c. 10 calculum eclipsium lunarium, c. 11 calculum eclipsium Solis ac telluris, c. 12 calculum occultationis fixarum & planetarum, quæ a Luna fiunt. Palmarium, quod Autor dedit, confilii in eo, quod docuerit modum geometricum computandarum eclipsium, & methodum imprimis *Keplerianam* explanaverit, qua eclipses solares instar eclipsium telluris considerantur, quodque projectiones geometricas occultationis planetarum & fixarum a Luna admodum perspicue declaraverit. In præfatione commendat *Elementa Matheseos Wolfana*, quorum in addiscenda Mathesi usum insignem, propria experientia confisus, grata mente prædicat.

DE LUMINIS REFRACTIONE DISSERTATIO
Anti-Bernoulliana, qua luminis refracti
Natura explicatur; Autore JOH.
RIZZETTO.

CUM docuisset experientia, quod in transitu luminis ex uno in aliud diversæ resistentiæ medium sinus angulorum incidentiæ & refractionis sibi invicem in ratione constante respondeat, hunc Naturæ effectum plures Mathematici explicare ac demonstrare conati sunt. Nimirum ex una parte Cartesius, Herigonius & P. de Chales, ac ex altera Robervalius, Hugenus ac Newtonus. At summus Geometra, Joh. Bernoullius, singulorum explicationibus impugnat, in Actis Lips. Anni 1701 confidenter asseruit, *neminem illorum universalem applausum obtinuisse*. His accessere Fermatius, Snellius ac Leibnitiuss, qui positis sinibus dictorum angulorum inverse ut resistentiis medium, radium invenerunt ex puncto radiante ad punctum illustrandum via facillima pervenire. At vitio causarum finalium in hac quoque explicatione notato, denique Bernoullius


conclufit, nullum adhuc exiflere, qui demonftrationem dederit puram ac nullis objectionibus obnoxiam. Cauſa finali facillime agendi rejecta, is tamen Canonem ſumpfit, quo dicebatur ipſorum angulorum ſinus eſſe reciproce inter ſe ut reſiſtencias mediorum, & hunc utique demonſtraturus, noſtram, inquit, dabitur explicacionem, qua rigido Phyſico non minus quam accurato Mathematico ſatiſfactum iri ſperamus.

Cum autem notaſſem, quod in tranſitu luminis ex aere in a quam ſinus angulorum incidentiæ & reſractionis, juxta obſervationes vulgo receptas, ſunt inter ſe ut 4, 3, & per conſequens reſiſtentiæ aeris & aquæ, juxta Canonem Bernoullianum, ut 3, 4; ſaſtidium faciebat, quod pendulis in aere & aqua oſcillantibus Newtonus elicit in Princ. Math. reſiſtencias aeris & aquæ eſſe inter ſe ut 1 ad 800 vel 900. Quare neſciebam, quomodo poſſet (ut Autor ſperavit) rigido Phyſico ſatiſfacere, quod eſſet proportio inter reſiſtencias aeris & aquæ, ut 3, 4, tam diverſa nimirum ab illa, quæ ex Newtonianis experimentis eliciebatur. Hinc ſuſpicatus ſum, Clariff. Autorem erraſſe; & quoniam is dicitur Canon principio Mechanico demonſtratus, rem accuratius examinaſſi; cumque invenirem difficultatem, hanc in medium fero, ut, ſi confirmanda eſt, alia explicatio, quæ melius ad intentum faciat, ſublato præjudicio, innotefcat.

Sint duo media (ita Bernoullius ait) diverſe conſiſtencia ADC, BCD (Fig. 1), punctum radiantis A, punctum illuſtrandum B, ad quod radius Ae pervenire debet per reſractum e B. Quandoquidem radius e B tanta vi (ob legem actionis & reactionis) a reſiſtencia medii BCD repellitur a B verſus e, quanta radius reſiſtenciam eandem superare conatur; Similiter radius Ae pari vi a reſiſtencia medii ABC retunditur ab e verſus A, quanta ipſi opus eſt ad eandem reſiſtenciam ſuperandam, ſcilicet ab A verſus e; Hinc in puncto e fit conſtitus ſecundum directiones Be, Ae duarum virium inæqualium & mediorum reſiſtenciarum proportionalium.

Cum autem conſtet, duas vires inæquales in ſe mutuo libere agentes ad ſum ſitum ſe componere, in quo earum momento ſiant æqualia,

aequalia, ut hoc modo provocetur æquilibrium; hoc itaque punctum e ita firmum esse debet, ut vires siue inæquales ad æqualitatem momentorum, nempe ad æquilibrium reducantur.



Concipit ergo CD ut virgam rigidam, quæ instar axis admittat verticillum e, sed ita tamen, ut lubricissime fluat: huic verticillo duos fingit funiculos alligatos e Am, e B n trocleeas A, B superambientes, inque suis extremitatibus suspensa sustentantes duo pondera inæqualia m, n, ut ita verticillus e simul sollicitetur a duabus potentiis secundum directiones e A, e B, eodem plane modo, quo r adios opticos punctum in identia e viribus inæqualibus urgere dicit: hoc tantum discrimine, quod ibi potentia agant secundum directiones A e, B e premendo, hic vero secundum contrarias e A, e B trahendo.

Patet autem, perinde esse, siue prematur, siue trahatur, nam semper verum est, si dua potentia æquilibrium inter se constituent,

tes, singula prioribus suis directionibus in contrarias partes dirigantur, eas etiam postea equilibrium servare. Dicit itaque, verticillum e ad eum locum pertractum iri in virga CD , in quo ducta normali IR sinus anguli AeR representantis angulum incidentie sit ad sinum anguli BeI , referentis angulum refractionis, in reciproca ratione potentiarum trahentium, quæ diaphanorum resistentias exprimunt.

Si duæ potentie sollicitant verticillum e secundum directiones eA , eB trahendo, vel secundum contrarias eA , eB premento; quod verticillus e in virga CD (ut æquilibrium procuretur) ad eum locum pertrahendus sit, in quo sinus anguli AeR sit ad sinum anguli BeI in reciproca ratione potentiarum trahentium, vel prementium, hoc utique veritati consentire percepi; quare didici, quærendam non esse in principio mechanico, sed in ejus applicatione, difficultatem.

Ut hæc e latebris eruatur, propagetur radius in æthere, & ingressus in aerem, ex hoc transeat in aquam, ex medio nempe rariore in densius, & in hoc transitu refractionem subeat. Quum transit radius Ae per medium rarius ADC , ab hujus resistentia retunditur ab e versus A : perspicuum est autem, quod is agitur transitus, quia inest radio vis f , quæ impenditur in superanda ipsius medii resistentia, ac etiam perspicuum est, quod hæc vis f dirigitur ab A versus e , & ob legem actionis & reactionis æquatur resistentiæ ipsius medii ADC . Quare colligitur, hanc vim f illam esse, quæ ab Autore indicatur his verbis: *similiter radius Ae pari vi a resistentia medii ADC retunditur ab e versus A , quanta ipsi opus est ad eandem resistentiam superandam, scilicet ab A versus e .*

Quum radius pervenit ad punctum e , aliam invenit vim, quæ magis repellit illam a B versus e , majorem nempe resistentiam medii densioris DCB . Ut igitur radius hanc majorem resistentiam superet, opus est illi vim majorem impendere, quæ proinde vocari potest $f + F$. Hoc posito patet hanc dirigi ab e versus B , & ob legem actionis & reactionis ipsam æquari resistentiæ ejus medii densioris, DCB , referti scilicet vim f ad illam partem resistentiæ ejus medii densioris; quæ æqualis est resistentiæ medii rarioris, & vim F ad excessum, quo resistentia medii densioris superat

superat illam rarioris. Cum igitur manifestum sit, eam agere in sensu quoque contrario, scilicet a B versus e, concluditur itaque, eandem vim $f + F$ illam esse, quæ ab Autore significatur his aliis verbis: *Quandoquidem radius e B tanta vi a resistentia medii B C D repellitur a B versus e, quanta radius resistentiam eandem superare conatur.*

His præmissis quærendum est, an vera consequentia sit, quam elicit Autor dicendo: *Hinc in puncto e fit conflictus secundum directiones Ae, Be, duarum virium inequalium & mediorum resistentiis proportionalium. Vires inæquales, & mediorum resistentiis proportionales, juxta mentem Autoris, procul dubio sunt $f, f + F$; videndum est igitur, an istæ sint, quarum conflictus fiat in puncto e, secundum directiones A e, B e. Si vis f , quæ impenditur in superanda resistentia medii rarioris A D C, esset tota illa vis a , qua radius propagatur in æthere, propagatio fieret in medio rariore usque ad punctum e, non autem in densiore ultra ipsum punctum e. Nam vis, cui propagatio tribuenda foret, inveniretur in casu medii rarioris, non autem in casu densioris. Si igitur radius in hoc etiam medio densiore propagatur, oportet, ut superata resistentia medii rarioris, pars tanta superfit ex vi a , quanta saltem sufficiat pro superanda quoque resistentia medii densioris. Hinc sequitur, quod illa vis (qua radio obnitendum est in puncto e, ut superet resistentiam hujus medii densioris) non est vis f , hoc enim illi opus est ad resistentiam medii rarioris superandam, sed vis $a - f$, ea nempe residua, quæ superest illi post resistentiam ipsius medii rarioris superatam. Quoniam hæc igitur vis $a - f$ agit etiam quoque ab A versus e; ex duabus igitur viribus, quarum conflictus fit in puncto e, secundum directiones Ae, B e, illa, quæ agit ab A versus e, videtur esse non vis f , sed vis $a - f$. Iterum causa, qua refrangitur radius in transitu ex medio rariore in densius, procul dubio est excessus, quo resistentia medii densioris superat resistentiam rarioris, nam ea refractio est major, vel minor, vel nulla; prout major, vel minor, vel nullus est quoque hujusmodi excessus. Hinc sequitur, quod illa vis, qua medio densiori obnitendum est in puncto e contra vim $a - f$,*

non

non est tota vis $f + F$, quæ refertur ad totam ipsius medii densioris resistentiam; sed sola vis F relata ad excessum, quo resistentia medii densioris superat resistentiam rarioris. Quoniam igitur hæc ipsa vis F agit a B versus e , ex duabus igitur viribus, quarum conflictus fit in puncto e secundum directiones $A e$, $B e$, altera, quæ agit a B versus e , videtur non esse tota vis $f + F$, sed sola vis F .

Si igitur in refractione, quam patitur radius transiens ex aere in aquam, elicitur ex Canone Bernoulliano proportio inter resistentias aeris & aquæ ut 3, 4, tam diversa nimirum ab illa (ut 1 ad 800 vel 900,) quam Newtonus docet, hujus diversitatis ratio videtur manifestari. Nam in transitu radii ex aere in aquam Autor ex lege actionis & reactionis elicit resistentias aeris & aquæ esse directe proportionales viribus, quibus radio opus est ad eas resistentias superandas. Et quoniam statuit, has vires in puncto incidentiæ obniti, ex suo mechanico principio collegit, easdem vires, & per consequens resistentias aeris & aquæ sinibus angulorum incidentiæ ac refractionis reciproce respondere. At quia videntur in puncto incidentiæ obniti ex una parte illa vis, quæ superest radio post aeris resistentiam superatam, & ex altera parte illa vis, quæ refertur ad excessum, quo resistentia aquæ superat resistentiam aeris; non autem obniti vires, quibus radio opus est ad superandas resistentias aeris & aquæ; has vires & per consequens horum mediorum resistentias sinibus illorum angulorum reciproce respondere, perperam Autor (ni fallor) ex mechanico suo principio collegit.

Explicatione refractionis Bernoulliana nutante, illæ quoque Fermatii, Snellii, & Leibnitii laborant; nam ex omnibus sequitur, sinus angulorum incidentiæ & refractionis resistentiis mediorum reciproce respondere; quod experientiæ adversatur, cum in transitu radii ex aere in aquam ratio inverfa inter sinus angulorum incidentiæ & refractionis sit ut 3, 4, diversa nimirum ab illa (ut 1 ad 800 vel 900) in qua sunt resistentiæ mediorum. Reliquas omnes explicationes Bernoullius arguit falsitatis vel dubii, nec immerito illas Cartesii, Herigonii, ac Robervallii; elicitur enim ex duabus primis, refractionem in transitu radii

radii ex rariore in densius faciendam esse non ad perpendiculararem, sed a perpendiculari, & ex tertia colligitur esse in ratione constante non Sinus, sed Tangentes, angulorum incidentiæ & refractionis, quæ omnia reperientiæ repugnant. Nec arguit immerito illas etiam Hugenii & Newtoni; nam prima displicet illis, qui lumen in instanti propagari contendunt, ac secunda innititur vi attractivæ, quæ non exponitur, sed supponitur. Quod autem is omnia quoque condemnet, quæ leguntur in Mundo Mathematico P. de Chales, *quia videntur unice experientia accommodata, ita ut si de eâ nondum constaret, pariter nihil certi ex illis a priori concludere liceret*; hoc nequeo quidem subscribere, nam potius aliqua ex iis ad propositum nostrum arbitror esse excolenda. Demonstrante laudato Autore, vel potius ea referente, quæ demonstrata fuerunt a P. Maignan, nempe in transitu radii ex uno in aliud medium sinus angulorum incidentiæ & refractionis esse inter se ut velocitates radii in mediis inæqualiter resistentibus, aliquid utique in demonstratione desideratur, at ex illa tamen explicatio refractionis videtur esse petenda.


Ut omnia recte procedant, ab omni Hypothesi in primis abstinendum esse, & illud tantum, quod pro certo habetur, assumendum puto. Si corpus opacum corpori luminoso propius vel longius objicitur, lumen in objecto corpore apparet; quare patet, undique propagari luminosi corporis lumen; quo totum circumfusum spatium impletur. Si rursus fila Amiantina in foco Lentis Sereniss. Ducis Aurelianensis verticali positione solaribus radiis exposita a luminis ictu dejiciuntur (Regia Academia Parisiorum in Historia Anni 1708 testante) inde colligitur, viam lumini in actu propagationis inesse. Si denique lumen transiens ex medio rariore in densius in actu propagationis eam subit, quam appellamus refractionem, certum est illud in hoc transitu pati, in medio densiore majorem difficultatem faciente, quam rariore; nisi enim hæc difficultas in causa foret, ratio non esset, quæ foret ipsum de recto tramite deflectendum. Licet igitur ignoramus, quæ lumen vi propagetur, an emanationis, an impulsus, an aliusmodi, pro certo tamen habemus, luminis propagationem fieri in mediis rarioribus faciliorem, & in

denfioribus difficiliorem. Quare, si nomen displicet velocitatis; qua dicitur lumen per media resistantia ferri, illud utique repudiari non potest facilitatis, qua lumen per eadem media dicitur propagari. His positis Lex, quæ sequitur, demonstranda est, ex hac enim omnes refracti luminis proprietates fluere videntur.

Lumine ex medio rariore in aliud densius transeunte, sinus angulorum incidentia & refractionis sibi invicem directe respondent; ut facilitates, quibus lumen in iisdem mediis propagatur.

DEMONSTRATIO.

Ponatur (Fig. 2) radii cujuscunque sectio per Axem ABCD,



ejus

ejus extremam lineam BC : manifestum est, puncta extrema B, C pari facilitate propagari in medio rariore per rectas AB, DC . Dum autem ipsa linea BC incidit oblique ex rariore in superficiem CG medii densioris, huic primum occurrit, ac primum infinuatur punctum C ; dum adhuc punctum B per medium rarius propagatur. Cum igitur majorem difficultatem offendat punctum C , quam punctum B , necesse est, ut ea puncta B, C propagentur per curvas BG, CF ; dum enim punctum B propagatur facilius in medio rariore per arcum majorem BG , oportet, ut punctum C propagetur ægrius in medio densiore per arcum minorem CF . Cum tandem tota linea BC medium densius penetraverit, & acquisiverit positionem GF , manifeste patet, iterum pari facilitate propagari puncta extrema G, F per alias rectas GM, FO . His positis arcus BG, CF circulares esse $P. de Chales$ affirmat, non autem demonstrat, & ideo, quæ deest, demonstratio adjungenda est.

Tempore infinitesimo acquirat linea BC positionem ab : si producatur recta BC ad partes e ; hæc est normalis utrique curvæ, Ba, Cb ; nam puncta extrema B, C propagantur in medio rariore per rectas AB, DC , quæ tangunt arcus Ba, Cb in punctis B, C , & quæ proinde normaliter insistant rectæ Be . Iterum linea ab ea pariter producta ad partes e perpendicularis est ipsis curvis Ba, Cb ; nam si medium rarius in spatio aFG , sicut alterum densius, resisteret, puncta extrema a, b per rectas propagarentur, quæ tangerent arcus Ba, Cb in punctis a, b , & quæ proinde normaliter insisterent rectæ ae ; quare patet, rectas eB, ea radios esse osculatores arcuum Ba, Cb .

Si altero tempore infinitesimo, quod sit primo tempori æquale, acquirat linea ab positionem GF , hanc quoque rectam GF productam ad partes e simili modo ostendetur esse radium osculatores arcuum aG, bF , quorum alter radius osculator est pariter ipsa recta ae .

Huic rectæ ae ulterius productæ ad partes e occurrat, si possibile est, recta GE (ipsa quoque producta) in altero puncto g : quoniam lumen propagatur tempore æquali in medio rariore per arcus Ba, aG , & in densiore per arcus Cb, bF , erit ita-

que $Ba, Cb :: aG, bF$. Sed $ag, bg :: aG, bF$; ob similitudinem sectorum gaG, gbF ; ergo $Ba, Cb :: ag, bg$. Sed iterum $Ba, cb :: ae, be$, ob similitudinem aliorum sectorum eBa, ecb ; ergo $ag, bg :: ae, be$; & per consequens $ag \cdot bg (ab), bg :: ae \cdot be (ab), be$. Ex quò patet, esse bg, be inter se æquales. Cum igitur tres rectæ BC, ab, GF ulterius productæ concurrant in unum & idem punctum e , Mathematicis patet, esse BG, CF arcus circularium, quorum semidiametri eB, eC .

Ut his cognitio reliqua expediatur, satis est, demonstrationem P. de Chales ad simplicitatem excolere. Centro C , intervallo CG , descripto arcu GK , ac centro G , eodem intervallo GC , descripto arcu CL , sint rectæ GH, CI sinus ipsorum arcuum GK, CL , vel angulorum KCG, CGL . At ex punctis C, G ductis CN, GO perpendicularibus superficiæ refringenti CG , cum anguli NCG, KCD sint recti, dempto communi angulo NCK , residuus angulus KCG est æqualis alteri NCD , qui est angulus incidentiæ: Et cum anguli MGL, OGC sint pariter recti, dempto communi angulo OGL , remanet angulus CGI æqualis alteri MGO , qui est angulus refractionis; quare rectæ GH, CI sinus angulorum incidentiæ & refractionis exponunt. At istæ rectæ inter se sunt, ut semidiametri $eG (eB), eC$ ob similitudinem triangulorum eGH, eCI ; ac istæ semidiametri eB, eC sunt inter se ut arcus GB, CF , ob similitudinem sectorum eBG, eCF ; & tandem se habent illi arcus GB, CF ut facilitates, quibus lumen in mediis inæqualiter resistentibus propagatur; his itaque facilitatibus proportionales sunt illi sinus. Quod erat demonstrandum.

Dum radii extréma linea BC in transitu ex medio rariore in densius propagatur intra circulares arcus BG, CF , quamvis mutetur ipsa linea BC , hoc est, diameter radii, constans tamen est ratio ipsorum arcuum BG, CF ; nam ipsi sunt ut facilitates, quibus lumen in mediis inæqualiter resistentibus propagatur. At sinus angulorum incidentiæ & refractionis in eadem proportionem sunt; quamvis igitur diameter radii cujuscunque magnitudinis sit, finitæ vel infinitesimæ, in transitu tamen ex rariore

rariore in densius eidem angulo incidentiæ semper idem debet refractionis angulus convenire. Si quis igitur suspicatur, legem propositam (lumine ex uno in aliud medium transeunte) alterari a tremitu, vel a quolibet alio elemento, quod in collisionibus locum invenit; is consideret, esse talem diametrum radii, ut tanquam infinite parva, nisi mathematicè, saltem physice sumi queat; & tamen ea omnia, quæ superius demonstrata sunt, constantè manere; non autem idem contingere aliis elementis, quæ in collisionibus locum inveniunt, facile enim percipiet, hæc omnia elementa in quantitibus infinite simis evanescere. Quare suspitione remota eam legem intelliget in casu proposito confirmari.

Denique addendum est, quod si in transitu ex medio rariore in densius mutatur facilitas, qua lumen propagatur in rariore; ob legem actionis & reactionis in eadem proportione mutatur etiam mediû densioris resistentia, ac ita quoque mutatur facilitas, quam in superando medio densiore lumen amittit. Sumantur itaque datæ facilitates, nimirum F , qua propagatur lumen in rariore, & G qua propagatio fit in densiore: si facilitas F mutatur in quamlibet aliam f , ac queratur eventus alterius facilitatis G , fingatur, hanc aliam mutari in alteram g : Quibus positis erit $F, f :: F-G, f-g$; ex qua deducitur $F, G :: f, g$, constans nimirum ratio, quam habet facilitas propagationis in densiore ad alteram facilitatem propagationis in rariore. Quælibet igitur sit finita vel infinita facilitas, qua propagatur lumen in rariore, sequitur, hanc semper esse diversam ab illa, qua propagatur in densiore, & huic diversitati sinus angulorum incidentiæ & refractionis juxta legem propositam respondere.

Cum igitur Bernoullius doceat, quod in transitu luminis ex uno in aliud medium sinus angulorum incidentiæ & refractionis sint reciproce inter se ut resistentiæ mediorum; nos autem, quod ipsorum angulorum sinus sint inter se directe ut facilitates, quibus lumen in mediis inæqualiter resistentibus propagatur; si demonstrationes consideramus, videtur illa Canonis Bernoulliani deficere, illa nostri inconcussa manere. Si vero in explicandis Phænomenis periculum facimus, videtur etiam Bernoullianus Canon ita a proposito discrepare, ut nullibi admitti

possit, noster autem ita ad intentum facere, ut nil ultra desiderandum ipse relinquat.

Quae his subjectis Ill. Autor Phenomena, latius explicata, Supplement. T. IX Sect. III infer. mus.

D. MARTINI SCHURIGII, PHYSICI
Dresdensis, Chylologia Historico-Medica, h. e. Chyli humani sive succi nutritii Consideratio Physico-Medico-Forensis.

Dresdæ, sumptibus Johannis Christophori Zimmermanni,
 & Johannis Nicolai Gerlachii, 1725, 4.

Alphab. 5 plag. 6.

Post Spermatalogiam & Sialologiam ad Chylologiam pergit in Collectaneis suis edendis Autor Clarissimus, in XV capita distributam, in quorum I de Appetitu tam naturali quam præternaturali, in II de Pica & Malacia, in III de Nausea & Fastidio certorum ciborum ac Antipathia animalium, in IV de diuturna a cibo & potu abstinencia, in V de œsophago & deglutitione tam integra quam læsa, ut & de variis rebus deglutitis, in VI de ventriculo & chylicatione, illiusque affectibus præternaturalibus, in VII de vomitu, in VIII de intestinis eorumque morbis, ac de chylo ejusque motu, in IX de fœcibus, alvi fluxu, adstrictione ac procidentia, ani agit; in X res varias præternaturales in intestinis repertas, vel per alvum excretas aut extractas, commemorat, in XI stercoreis Analysin Chymicam instituit, & præparata recenset, ac qualia ista præbeant signa, quemque usum medicum habeant, in XII, XIII, & XIV docet. In ultimo aliquot quæstiones Medico-Forenses dirimit, scilicet 1) an sæminis excrementa alvina per vaginam uteri ejicientibus matrimonium sit concedendum, aut semel contractum iterum dissolvendum? 2) an ex meconio per parturientis vaginam uterinam prodeunte certum defuncti fœtus signum desumi queat? 3) an herniosi ad matrimonium sobolisque procreationem apti sint? 4) an herniosi torqueri queant? 5) an ex intestino recto vel ano consuprati pueri signum peti possit?

Quas proprias observationes Autor huic operi interspersit, brevi-

breuibis jam de more enumerabimus. Pag. 28 de Gulone, animali voracissimo, Germanis *Vielfrast*, agit; cujus voracitatis causam licet plerique Autores ex eo deducant, quod ductus cholodochus in ventriculum ejusque fundum implantetur, & intestinum tantum unicum, aut tam parvum sit, ut ab orificio ventriculi inferiore absque gyrationibus recta ad anum tendat; Nosler tamen ex sectione hujus animalis, quam anno 1715 die 3 Aprilis instituere contigit, didicit, ductum cholodochum æque ac in aliis animalibus in intestinum duodenum insertum, & reliqua intestina gyrata & anfractuosa fuisse. P. 53 Virginis picam ad arenam scriptoriam atramento imprægnatam, p. 59 alius, summe cachecticæ, ad salculinare, & p. 95 iterum alius, ad libros situ corruptos, straminis mucidi, sebique veteris factorem describit, p. 111. De coqua refert, eam ad recentis & frigidi butyri esum nullis persuasionibus adigi potuisse, liquatum vero, tam cibus admixtum, quam intincto pane, vel etiam cochleatim calide assumptum in summis delitiis habuisse, p. 114 Sic recenset, facetum quendam sodalem suum, caseum averfantem, ad lanionem duxisse, huncque jussisse bovis mactandi ori & naribus caseum admovere, cum verbis: ede, aut occideris; altero die eidem sodali caseum iisdem cum verbis obtulisse; quo factum, ut hic non solum tum temporis caseum absque ullo symptomate gustaverit, sed postmodum etiam ad ejus esum assuefactus fuerit. De Antipathia ubi loquitur, pag. 120 sqq. exempla adducit eorum, qui ad odoratum & visum pomorum Stetinensium, ad capparides, flores violarum & cheiri, ad sambuci aquam, vinum, cerevisiam, nicotianæ odorem, & selem pessime se habuerunt. Militis etiam voracissimi p. 185 mentionem facit, & p. 225 sqq. eorum, qui in ediam diuturnam revera toletarunt. P. 249 personas allegat, qui immoto gutture magnam vini vel cerevisiæ quantitatem in se ingurgitarunt. Deglutionem etiam impeditam p. 249 & 257 vidit ex tumore in colli latere sinistro circa laryngem curato, & ex epiglottitis inimilite, lue venerea laborante, erosione. Polyporum narium aliquot pag. 275 allegat exempla. Merentur etiam legi observatione, quas p. 334 & 344 describit de iis, qui cultros, lapides duros siliceos, stupam cannabinam, canes, feles, arse-

arsenicum & alia venena devorant, & p. 359 de puero a faba in glottide hærente suffocato. Inter ventriculi vitia observavit p. 372 in Comite de Callemberg pravum ejus situm, quo in hypochondrio sinistro deorsum versus propendebat, p. 375 nimiam amplitudinem in helluone, octodecim aquæ libras capientem, p. 397 perforationem & sphacelum post ambulionem in laceratione; & p. 401 vulnus cum diaphragmatis læsione non lethale. Vomitus extraordinarii leguntur, p. 437, lactucæ & cerasorum nigrorum post sextum vel septimum demum mensem resectorum, p. 455 ab unguibus non propriis concitati, & p. 475 materiæ nigerrimæ, dolorem ventriculi mordentem & rodentem inferentis. Intestina observavit p. 548 in infante extra abdomen pro-pendentia, p. 549 in gemellis ad labia vaginæ uterinæ prolapsa, p. 560 consumpta, & p. 576 ileum tribus in locis intrusum. Virginem allegat p. 623, quæ post largiorem prunorum una cum lapillis esum diuturnam passa fuit alvi obstructionem, ita ut ipsa filo ferreo (*Strick-Nadel*) eos non sine summo dolore effodere fuerit coacta; similem p. 628 observavit ab ira & terrore concitatam, & ad duas & sex fere septimanas durantem. Ani clausuram p. 668 in duabus puellis conspexit curatam, per quarum genitalia excre-menta prodierant. Sic p. 675 fæcum alvinarum per genitalia, & urinæ per anum rejectionem in uxore capillamentarii observavit. Denique p. 688 rustici mentionem facit, qui post nimis avidam uvarum integrarum cum arillis deglutitionem contumacem alvi obstructionem & inde ingentem in inguinæ dextro tumorem pas-sus fuit, ex quo disrupto non solum fæces alvinæ, sed etiam uvæ integræ in magna copia fuerunt excretæ.

NOVA LITTERARIA.

DUm adhuc in Belgio prela exercentur imprimendo *Corporis Diplomatico* maximo, seu collectione Tractatum Pacis, XII Tomis complexuro, quorum nuper octo produsse seruntur; prodeunt interim non exigui momenti Opera duo, quæ, cum in Opere illo locum non inveniunt, apprimè tamen ad illustrandos Pacis Tractatus pertinent. Primum sub titulo: *Histoire des Traités de Paix & autres Negotiations du XVII Siecle depuis la Paix de Ver-vins jusqu'à la Paix de Nimegue, qui peut servir d'Introduction au Corps diplomatique ou Recueil des Traités de Paix*, Amstelodami & Hagæ Com. 1725, duobus Tomis in fol. alterum sub tit. *Negotiations secretes touchant la Paix de Munster & d'Osnabrug, tirés des Manuscrits les plus authentiques*, Hagæ Com. 1725 & 1726 quatuor Tomis in fol. prostat.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCCXXVI.

ISTORICI DELLE COSE VENEZIANE,
i quali hanno scritto per publico
Decreto.

h. e.

SCRIPTORES RERUM VENETARUM,
qui publica autoritate scripserunt, nempe M. A. SA-
BELLICUS, PETR. BEMBUS, PAUL. PA-
RUTA, ANDR. MAUROCENUS,
BAPT. NANI & MICH.
FOSCARINI.

Tomii X.

Venetiis, apud Lovisam, 1718 - 1722, 4 maj.
Alph. 34 Tabb. æn. 8.

Quanta sit doctrina, quam exquisitum rei literariæ pro-
movendæ studium, quanta denique modestia Viri
illustris ac celeberrimi, *Apostoli Zeni*, Veneti, Nobi-
lis Cretensis, qui hodie Historici & Poetæ in Aula
Cæsarea munere fungitur, nisi aliunde jam satis constaret, vel e
splendidißimi hujus operis editione, quam, quamvis nec in titu-
lo, nec in præfatione operis doctissima, & alibi quoque rarius, ejus
nomen præferat, ipsius tamen consiliis & industriz unice fere
deberi, res ipsa loquitur. Juvabit vero Præfationem vel strictim
perlustrasse, in qua de Venetis scriptoribus tum vetustioribus,
Latinis maxime, tum de illis, qui publica autoritate postre-
mis his sæculis historiam descripserunt, diserte agit *Cel. Zenus*,
qui

o o

qui

p. 13.

qui & alibi, ut in *Diario Veneto*, tum modoq̄no, tum altero illo, quod *Galleria di Minerva* inscriptum est, de Historicis Venetorum accuratè egit, & fusiùs edisseret in opere, cujus spem facit; *de Scriptoribus Venetis*. Præmissis Anonymis tribus, *Gradenf*, Seculi X, *Veneto*, Seculi XI, & *Attinate*, Seculi XIII, Scriptoribus, memorat ipsum Venetiarum Principem, *Andream Dandolum*, qui Seculo XIV & Mare magnùm Historicum, quod temporis injuria periit, & *Annales* atque *Chronica*, nondum edita, exaravit. Eodem tempore vixit *Benintendus*, qui pariter Chronicon Venetiarum ad Orseolum I usque conscripsit, quod æque ac *Anonymi*, qui Dandoli Annales ab A. 1280 ad 1342 produxit, & *Raphaini de Carisfinis* Chronica, quibus hic ipse ab A. 1342 ad 1388 continuatur, adhuc in scriniis latet. Seculo XV primus inclaruit *Laurentius de Monacis*, cujus Chronicorum Libri XIV, in quibus & sequitur Dandolum Autor, & passim auget, nondum lucem adspexerunt, si ea excipias, quæ ex libro XIII de Ezelino cum *Albertini Mussati* Historia Henrici VII edidit Felix Osius. Spectat huc porro *Blondus Flavius*, civis Venetus, cujus de origine & gestis Venetorum liber inter alia ejus Opera exstat. *Antonii Donati* Vitæ Principum Venetorum, quæ ad A. 1473 procedunt, apud Autorem manu descriptæ exstant, qui & *Pauli Mauroceni* opuscula quædam Latina ad Historiam Venetam spectantia possidet. Huc porro pertinet *Jacobi Zeni* de vita, moribus, rebusque Caroli Zeni, Veneti, opus elegans, quod Latine nondum prædiit; Italice vero versum edidit Franc. Quirinus Venet. 1544, 8. Inprimis vero de Venetorum rebus bene meruit illo tempore *Bernbardus Justinianus*, qui & scripsit vitam Laurentii Justiniani, primi Patriarchæ Veneti, ediditque Ven. 1475, 4, & A. 1489 d. 10 Mart. exstinctus, prelo paratam reliquit de origine urbis Venetiarum rebusque ejus gestis Historiam, Ven. 1492 editam & 1534 recusatam. *Coriolanus Cippicus* Petri Mocenici gestorum Libros III, culto satis stylo scriptos, primum vulgavit Ven. 1478 4, iterum Basileæ 1544, ac tertio sub tit. *de bello Asiaticò* recufos Ven. 1594, 8. His addit Noster *Marinum Senutum*, cujus libros de origine urbis, de Magistratibus Venetis, de Familiis Venetis, de vitis Principum & de bello Gallico rarius exstare; duodécim vero

vero ampla volumina historica in archivo publico asservari, testatur. Et hæcenus veteres produxit editos ineditosque; ad recentiores paulo delapsus, ut modum sibi pōneret, eos tantum recensuit, qui publica voluntate Historiam scribere aggressi sunt. In his primo loco numerat *M. Ant. Sabellicum*, qui etsi non videatur scripsisse jussu Reipublicæ, ita tamen eidem probavit suas Eneades, ad A. 1486 productas, ut, illo A. 1506 mortuo, cum Historici munere provinciam continuandæ Historiæ, ubi desierat Sabellicus, demandaret *Andrea Navagerio* seu *Navagerio*, de cujus dictione eleganti & digna Augusti Seculo satis testari possunt Opera ejus, Patavii 1718, 4 a Vulpiis scatribus primum edita. At is historici argumenti, quod ad Reipubl. pertineret, nihil reliquit, & quæ collegerat, in Gallica legatione morbo decumbens, eodem die, quo decessit, 8 Maj. 1529 suis manibus in ignem projecta concrenavit. Successit huic *Petrus Bembo*, qui pariter Sabellicum continuare jussus, eum usque ad A. 1513 opere eleganti produxit, quod post illius mortem (quæ teste Ludov. Beccatello in vita Bembi, quam in MS. servat Noster, in d. 20 Jan. 1547 incidit) ab Aldo primum in lucem proditum Venet. 1551, fol. cum præfatione Joannis Casæ, qui tamen nomen suum non apposuit. Bembo huic in Historici munere successit *Daniel Barbarus*, qui nomen sibi ex Aurea in L Psalmos Doctorum Græcorum Catena, Venet. 1569, fol. edita, peperit, sed A. 1570 d. 13 Apr. mortuus, nihil reliquit argumenti historici. Inde *Paulum Ramnusium*, Reipubl. a Secretis, inserit Noster, quod is, a Decemviris jussus, Gottfridi Villaharduini de bello Constantinopolitano & Imp. Comnenis per Gallos & Venetos restitutis Historiam, Seculo XIII Gallice scriptam, luculento sermone Latino traduxit, & Venet. 1573, fol. primum vulgavit, anno demum 1600 d. 20 Dec. mortuus. Ipsi vero *Barbaro* in officio Historiographi successit *Petrus Justinianus*, qui, illo adhuc vivo, Historiam Venetam inde a primordiis XIII libris vulgaverat Venet. 1560; post mortem ejus XVI libris usque ad A. 1575 productam editamque ib. 1576; ut adeo hæc ipsa Historia publica autoritate scripta dici nequeat, nullumque in hac Collectione locum invenerit. Qui hunc secutus est A. 1577, *Aloysius Justinianus*.

Stinianus, præmatura mortē biennio post præreptus, spartam ornare haud potuit. Hunc vero in eō munere excepit A. 1579 *Paulus Paruta*, qui id egit, ut Bembum continuaret, Latino eoque Sallustiano stilo; mutavit tamen in eo consilium, quod usus est postea sermone Italico, quo maxime excellebat, & quamvis ipse A. 1598 M. Dec. extinctus fuerit, prodiit tamen opus Venet. 1605, 4, duabus Partibus, quarum prima res ab A. 1513, ubi desit Bembus, ad A. 1552, secunda vero, interrupto quodammodo stilo, bellum Cyprium ab A. 1569 ad 1572 describitur. Successit publicis suffragiis *Andreas Maurocenus*, qui cum lacunam illam in Paruta observasset, novam quodammodo Historiam ab A. 1521 ad 1615 XVIII Libris reconcinnavit, stilo prorsus ad Livianum composito, quæ, autore A. 1618, M. Junio mortuo, Venetiis 1623, fol. prodiit, hæcenus non ubivis obvia. Qui secutus est *Nicolaus Contarenus*, etsi a Musis ad Martem desistere & operam gloriosam Reip. in castris, ubi summo cum imperio Præfectum egit, prællare cogerefer, tandemque Principatum Reip. obtineret, non tamen immemor fuit officii, reliquitque hæredibus duo spissa volumina, quibus Historiam ab 1597 condere patrio sermone aggressus est: quæ utinam in publicam tandem lucem prodire jubeant; neque enim dubium, a Viro, tantis negotiis adhibito, non proletaria fuisse annotata. Hoc vero A. 1630 ad fascēs vocato, sublectus est *Paulus Maurocenus* (Morosini); qui & de fratris sui Andree scriptis bene meritus fuit, & A. 1637 paulo ante mortem, quæ d. 20 Dec. ejusdem anni secuta, Historiam urbis & Reip. Venetæ Italice edidit Venetiis libris XXVIII, res ab origine urbis ad A. 1486, quo Sabellicus desierat, deducens: quæ licet & ipsa jussu Reip. edita non videatur, eoque pariter in nostram Collectionem relata non sit, ob multa tamen veterum scripta inedita, quibus usus est Autor, in pretio esse meruit. Huic mox quidem successit *Jacobus Marcellus*, Senatorio munere illustris; enimvero nihil eorum, quæ elucubravit, ad nos pervenit, siquidem exemplo Naugerii, scripta sua, quæ huc pertinent, moribundis tradidit Vulcano, vitamque finivit A. 1650 d. 26 Dec. Sed omnes fere antecessores suos superavit *Baptista Nani*, A. 1651 ad publicum

cum Historici munus evocatus, qui Historiam Reip. ab A. 1613 ad 1671 Etrusco sermone non inèleganti exposuit duabus Partibus, quarum prima, ipso superstite, A. 1662, 4, altera post mortem ejus A. 1679 lucem adspexit. *Michael Foscarinus*, Senator, successor ejus, etsi limare omnia morte præventus non posset, reliquit tamen VIII libros, historiam ab A. 1669 ad 1690 complexos, & Ven. 1696, 4 editos. Denique, qui hodie superest, *Petrus Garzonus*, Senator urbis, memoratur, qui duas hæcenus Partes dedit Historiæ Venetæ, primam A. 1705, qua res paulo altius, scilicet ab A. 1682, repetere operæ pretium duxit, ut totum bellum Turcicum in Morea gestum Parte illa absolveret, alteram vero A. 1716; qua; quæ post mortem Caroli II Regis Hispaniæ bello gesta sunt ab A. 1700 ad 1714, accuratè ac luculenter descripsit.

De ipsis scriptis, hic uno corpore productis, non est, ut multa dicamus. *Tomum I* complet Historia *M. A. Cocci Sabellici*, cui dignam lectu vitam Latinam præposuit *Celeb. Apostolus Zenus*, in qua Jovium, Nic. Toppium aliosque frequenter corrigit, & varia immiscet admodum jucunda. Ut unicam ejus excursionem describamus, dum de nomine Sabellici notat, id a Coccio ideo assumptum, quod patriam suam Vicovarum in Sabinis poneret; Sabinus vero, Sabellus & Sabellicus sint synonyma; alia quoque Scriptorum ejus temporis exempla producit, qui ex locis Venetæ ditioni subjectis nova nomina adsciverunt. *Nardinus Mantensis*, inquit, nuncupavit se *Nardinum Celinensem*, eo, quod Celina, cujus Plinius meminit, illa in regione sita sit. *Jo. Baptista & Barthol. Calosi*, a Brugnara, quod castellum in Foro-Julio est, sub ditione Comitum Purliliarum, *Uranios* se, derivato à Græcis nomine, vocarunt; *Uranius* enim Græce fere idem sonat ac *Calosus* Italice. *Cynthius Cenetensis* dicitur, voluit *Cynthius Acedinus*; quia censebat, *Acedum*, cujus meminit Ptolemæus, esse id oppidum, quod Latinis *Ceneta*, vel *Cenita* erat, ut aliis placeat, Ptolemæi *Acedum* esse id, quod in agro Tarvisino vulgo *Afulum* dicunt. *Lodovicus a Ponte*, Bellunensis, latere maluit sub nomine *Pontici Viruniti*, namque ipse & *Jo. Petrus Valerianus*, itidem Bellunensis, falso credidit, an-

p. 34.

„tignorum *Virunum* nihil esse aliud, quam Bellunum, cum ta-
 „men *Virunum* situm esset in Noricis mediterraneis, ultra
 „Carnicas Alpes, ad fluvium *Dravum*. *Augustus Utinensis* ap-
 „pellavit se *Hunnensem*, quoniam & ipse & vitæ ipsius Autor,
 „quæ Odis ejus Latinis præmissa est, sicuti etiam Sabellicus &
 „Ponticus, arbitrati sunt, *Utinum* ab Attila Hunnorum Rege
 „conditum, ac propterea *Hunnium* esse dicendum. Quæ Latinis
 „nominata est *Vicetia*, *Jo. Steph. Emilianus*, cum falso crede-
 „ret a Cimbris conditam, *Cimbriam* illam nominavit, seque non
 „*Vicetinum* sed *Cimbriacum* dixit, rejectoque priore nomine *Jo.*
 „*Stephani*, *Quintii* prænomen accepit. *Palladius Niger*, Patavi-
 „nus, audire Latine voluit *Palladius Fuscus*. Nec Venetorum
 „exempla desunt. Insignis *Nicolaus Thomeus* scribebat se *Leonticum*
 „*Thomeum*. Quam celebre sit *Baptista Egnatii* nomen, nemo ne-
 „scit; at pauciorum, gentilitium ei nomen fuisse *Jo. Bapt. a*
 „*Cipellis*. In *Dominico Mario Nigro* agnoscendus est *Dominicus*
 „*Maria Niger*. Nec lectu injucunda est excursio altera Ill. Au-
 „toris de Bibliotheca Divi Marci, cui primus jussu Reip. præfe-
 „ctus fuit Sabellicus; ubi inter alia observat, nequaquam in ea, sed
 „alio potius loco asservari Codices a Petrarca legatos; illam vero
 „initia sua debere Card. Bessarioni, Græco, sed qui nobilitatis Ve-
 „netæ jura consecutus erat, & nongenta Volumina Græca & Latina
 „vivi Reipublicæ dono misit, tradiditque per amicum, quadrin-
 „gentis ideo aureis a Rep. donatum. Unde evincit Noster, falso
 „Freherum & Bælium tradere, quasi Sabellicus ab ipso Bessarione
 „suz Bibliothecæ præfectus fuerit. Accessit & huic vitæ testamen-
 „tum Sabellici, nunc primum in lucem editum. *Tomus II* dica-
 „tus est *Petri* Card. *Bembi* Historiæ Venetæ Libris XII, quibus
 „præmittitur *Jo. Casa*, qui familiaris ipsius fuit; *Vita Bembi*, sed
 „ab Ill. *Apostolo Zeno* ex aliis coævis scriptoribus, qui vitam tanti
 „viri scriptis consignarunt, *Carolo Gualterutio*, *Ben. Varchio* &
 „*Sperone Speronio*, ut & aliis literarum adjumentis, notis & ob-
 „servationibus quamplurimis illustrata. Huic vitæ aliam Italico
 „idiomate scriptam, autore *Ludovico Beccatello*, adjunxit Noster,
 „cum plura alia, *Casæ* non animadvertens, tum id quoque patet, *Hic-*
 „rony-

p. 45 sq.

48.

ronymum Quirinum suis sumptibus publicam Bembo statuam marmoream posuisse Patavii. Historias has, Latina oratione compositas, sequitur vernacula *Pauli Paruta*, quæ *Tomum III & IV* occupat, præmissa eodem idiomate Auctoris vita admodum luculenta, autore itidem Viro celeb. *Apost. Zeno*; quam legisse tanto magis juvabit, quanto majoribus rebus domi forisque tractandis fuit adhibitus Paruta, natus Venetiis 1540 d. 14 Maj: & cum per summa munia ad Procuratoris D. Marci dignitatem ascendisset, exstinctus A. 1598 d. 6 Dec. Qua occasione corrigendus I huanus, qui mortem ejus in diem 17 Febr. A. 1599 conjecerat. Succedit Historia Latina *Andrea Mauroceni* Senatoris, *Tomis V, VI & VII* comprehensa, cui præmissa est Vita illius a *Nic. Crasso* edita Venet. 1621 in fol. quam *Petrus Catharinus Zenus*, Venetus, e Clericor. Regular. Congregatione Somaschenfi, *Apostoli* Germanus, notis illustravit & auxit. Ex his unicum notamus, ubi observat, *Tomasinum* tradere, quod *Italiae Lipsius* appellatus fuerit Maurocenus, quem non tam imitatore quam adversarium ejus fuisse, probat Noster, siquidem opere *Variarum Lectionum* neminem frequentius quam Lipsium impugnaverit, & libros *de frumentaria Romanorum largitione & de militari Rom. stipendio*, ut Bembum, civem suum, contra Lipsium ulcisceretur, ediderit, quin & contra ipsum paraverit librum *de Romanorum re nummaria*, adhuc in Bibliotheca Maurocena exstantem, luceque dignissimum. Ne vero quicquam desideretur, subjuncta quoque *Aloysii Lollini* Vita elegantissima Mauroceni, quæ jam olim cum Historia ipsius Venet. 1623. fol. prodierat. *Tomo VIII & IX Baptista Nani*, Procuratoris D. Marci, Historia vernacula exhibetur, præmissa ab eodem *P. C. Zeno* luculenta ejus Vita, e qua tantum notamus, *Nanium* A. 1616 d. 30 Aug. natum, multisque in vitamuneribus gravissimis, Legationibus imprimis, cum laude defunctum, diem obiisse A. 1678 d. 5 Oct. His denique *Tomo X* adjungitur *Mihaelis Fescarini*, Senatoris Veneti, Historia pariter vernacula, quem autorem natum fuisse ex antiqua stirpe Veneta A. 1632 die 29 Martii, ac subita morte præreptum A. 1692 die ultima Maji, e Vita, a laudato *P. C. Zeno* præmissa, intelligitur. Jam qui longius productam historiam cupiunt, illis, quæ ab Ill. *Garzo-*

p. 50 sq.

22.

no duobus Tomis, eadem, qua hæc scripta, forma edita, supra indicavimus, uti poterunt. Ceterum non dissimulamus, Typographum, ut ex operis Præfatione patet, in eo esse, ut novam collectionem instruat Scriptorum Venetorum, qui in hac nostra locum invenire non potuerunt.

JO. JOACHIMI DE RUSDORFF, CONSILIARII quondam Palatini Electoralis & Alegati in Anglia, Consilia & negotia Politica; cum Epistolarum Familiarium ipsius Autoris ad Viros Illustres & Amicos scriptarum Collectione. Ex Bibliotheca

Loëniانا.

Francofurti ad Mœnum, apud Jo. Maximil. a Sande, 1725, fol.

Alphab. 6 plag. 6.

QUam perniciosum Genti Septemvirali Palatinæ, Protestantium Sacris addictæ, fuerit Seculo superiori bellum in Bohemia exortum & totam deinde Germaniam pervagatum, ex compluribus variorum Autorum voluminibus, quæ vel negotiorum publicorum Commentarios, vel casuum privatorum feriem continent, abunde constat: & deploranda magis quam delineanda videntur illius incendii ac subsequenti exitii feræis opprobria, quæ potentissimos totius Europæ populos in mutuas cædes & funestas provinciarum florentissimarum devastationes, specioso tutandæ Religionis prætextu, re vera explendæ ambitionis & privati odii causa, invicem stimulabant. Actum igitur agere nonnullis censetur is, qui sexcenties dicta repetere, & *insandum renovare dolorem* voluerit. Nihil tamen secius laudandi sunt illi, qui ardentissimo asserendæ veritatis studio ducti ea, quæ ad sinceram istius ætatis imaginem adumbrandam faciunt, in Schedis rariorum Bibliothecarum bono quodam rei litterariæ fato inventa, candide communicant, eum in finem, ut & Orbis eruditus de fide historica certior fiat, & infelicium prædecessorum posterius cauti-
us aliquando mercari discant. Hujus momenti sunt hæc *Rusdorffii Consilia & negotia Politica*, nec non *Epistole familiares*, in quibus Illustris Autor, rerum a se scriptarum testis oculatus, eam Se-
culi,

culi, quo vixit, exulceratissimi delineationem dedit, quæ legentes in stuporem abripit, & arcanos quosdam tam conversionum civilium, quam eventuum militarium nexus evolvit. Magnum ubique in Consiliis animum, pertinacem erga Principem fidem & libertatem in recensendis gestorum rationibus prodit Autor, adeo ut summo in Imperio Romano-Germanico capiti vix pepercisse videatur: id quod in notulis passim, imprimis p. 231, subjectis agnovit & deprecatus est nobilissimus Bibliothecæ Rusdocianæ possessor & operis hujus Editor, *Leñtur*, Potent. Regi Borussiae a consiliis Aulæ. Et ipse quidem Autor in præfationculis, cuique opusculo præmissis, Consiliarii atque Ablegati Palatini munere se tuetur, ea in chartam coniecisse falsus, quæ officii sibi demandati religio & infucata tractationum, quarum pars magna fuit, veritas pro causa Principis sui scribenda suaserint. Cum vero nostrum non sit, alienæ causæ patrocinium in nos suscipere, procul omni partium studio, quæ in hoc opere potissimum continantur, breviter memorabimus.

Primum locum obtinet *Consilium Politicum Suesviorum*, quo multis rationibus demonstratur, quam consultum ac pene necessarium sit, ut a Cæsare victorioso reconciliatio petatur, antequam Proscriptio contra Fridericum V Electorem Palatinum, post infelix prælium Pragense e Bohemia exulem, publicetur, & Principes Protestantium a Fœdere & defensione Palatinatus, per Hispanos aliosque oppugnandi, discedant; ubi Autor omnium vel Sociorum vel Vicinorum, in quorum auxiliis vanam spem collocaverat Palatinus, vires & studia secretiora examinavit; Heidelbergæ 1620. Sequitur II *Specimen Patrocini* pro Friderico V Electore Palatino, Rege (prout tunc audiebat) Bohemiæ, contra Sententiam Proscriptionis Cæsareæ: ubi deducuntur nullitates, errores & defectus, quibus illa laborabat; quod ipsum opusculum jam A. 1622, Autore adhuc vivente, fuit vulgatum; nunc vero multis annotationibus auctum, & secundum ipsius Autoris autographum emendatum, & Prologo galeato instructum apparet. III *Rationum & Argumentorum Collectio*, qua probatur, matrimonium inter Carolum I, Angliæ Principem, & Infantem Hispaniæ nunquam

summatum iri. Qua occasione examinatur, quid iudicandum sit de animo Regis Hispaniæ Philippi III, quod ad promissam restitutionem Palatinatus; & paucis disseritur de novo illo in medium allato remedio restaurandæ pacis & recuperandi Palatinatus per matrimonium inter Imperatoris Ferdinandi II filiam & Friderici Regis filium contrahendum. Isti scripto A. 1623 ansani dederat Episcopus Lincolnienfis, Custos magni sigilli in Anglia, qui, cum Noster Londini rem gereret Palatini, quo tempore Digbyi ad firmandum matrimonium Legati in Hispaniam proficiscebantur, autor ei exstitit, ut quid ipsi ea de re videretur, in publicum ederet. IV *Rationum aliquot comprehenso*, qua interesse probatur, ut Jacobus Rex, amicabile compositione prorsus rejecta, arma in Hispanos protinus convertat, Londini 1626. V *Consilium Politicum*, quo tres modi demonstrantur, quibus Angli res in Europa collapsas restituere, & Palatinatum recuperare possint: quod eodem fere tempore, post Caroli Principis Regii ex Hispania reditum, Londini publicavit. VI *Ratiocinativa Questio de Bello inter Hispanos & Anglos suscipiendo*, qua inquiritur, utrum magis expediat, Anglos Hispanos aperto bello, an vero clam & per latus petere. Testatur vero in præfatiuncula, se ad rationes has consignandas ab Anglis quibusdam post irrita A. 1625 Comitibus regni Oxoniensia adductum, cum *Bukingbamius*, qui vindicta ardens contra Hispanos, imprimis Comitem *Olivarium* (a quo delusus fuerat, cum in Hispania esset, substituto pro scemina illustri exoleto & morbofo scorto) Ordinum Batavorum auxilio & autoritate, ad privatos affectus sub prætextu belli iusti exercendos, abuti tentabat, classemque Anglicam contra Hispanos emittendam, urgebat: quæ tamen, ut aliunde notum est, re iniecta, insigni Anglorum dedecore ac damno, rediit. VII *Conjectura* de imminente universali Imperiorum in Europa mutatione, in rusticatione quadam Anglicana A. 1624 conscriptæ, in quibus tamen nimio in Principem suum studio ad falsa præfagia fuisse abreptum Autorem, Editor p. 130 in notula sobrie indicavit. VIII *Consultatio Politica* de mediis restituendi res in Europa collapsas, qua præscribuntur & examinantur ea, quæ consideranda, observanda & exequenda sunt, ut bellum pro restitutione collapsarum in Europa rerum
 felici-

felicitate suscipiatur, geratur & finiatur; simul etiam modernus Europæ status & rerum, qualis tum erat, facies depingitur, quæ Salisburii in Anglia scripta A. 1625, & Anglice postea ex Latino conversa, ut Regi Jacobo & Carolo ipsius filio exhiberetur. Sequuntur postea tres aliæ commentationunculæ. Quum enim; *Bukinghamis* vindictam anhelante, & Legatis Batavorum ad Hispaniam terrendam conspirantibus, classis Anglo-Belgica multis sumptibus, ad Portum aliquem in mari mediterraneo occupandum, adornaretur, eodem autem tempore, anno scilicet 1625, Danus pro communi Germanorum Protestantium causa expeditionem in Saxonia inferiori meditaretur, *Rusdorsus* noster peculiari scripto, quod est IX, tum *Corvus* Angliæ Secretario pridie Calend. Septemb. Suthamptonii exhibitio, tum Palatino etiam in Belgium transmissio, consultum & Reipublicæ Christianæ perutile fore ostendit, si Rex Magnæ Britanniæ classem suam potius in auxilium Regis Daniæ mittat, & ad aliquod experimentum bellicum in Germania impendat. Quumque anno sequenti præpostera Danorum, summam totius novi belli præ Suecis ambientium, æmulatione, consilia minus prospere succederent, publicavit Autor X *Examinationem Politicam* de eo, quid de expeditione Regis Daniæ, ac de Fœdere inter ipsum & Regem Magnæ Britanniæ Ordinesque Batavos concluso possit sperari, & an Rex Sueciæ & Elector Brandenburgicus illi accedere teneantur. Immo cum eodem anno 1626 in Comitibus Anglicanis ingens inter Regem & Ordines, propter *Bukinghamium* a Ministerio aulico deturbandum, lis exoriretur, eumque Rex, Parlamento acerrime contranitente, in officio retineret, Danis autem subsidia promissa neutiquam solverentur, scripsit Noster XI *Classicum imminentiis communis discriminis*, quo exaggeratur, quantum periculum immineat Angliæ, Galliæ, & reliquis regnis ac provinciis Europæ, subjugata Germania & victo Dano; & quantum expediat, Dano & Germaniæ periclitanti absque mora succurrere. Cumque pleraque contingerent, quæ prælagierat *Rusdorsus*, tandem ultimo Decembris A. 1627 non sine insigni mœtore animi, XII *Metamorphosin Europæ* seu *Speculum* elaboravit, in quo demonstratur, quam certa & propinqua conversio omnibus in Europa Imperiis, Regnis &

Rebus publicis immineat, & quam verisimile sit, Austriacæ Domui fato quodam sponderi monarchiam Europæ. Quo *Speculo*, postquam rerum faciem, qualis tum erat singulorum Europæ Regum ac Principum, accurate repræsentasset, quæque Austriam ad obtinendum Europæ Principatum excitare possint, & quantum ceterorum Principum res attritæ sint, non omisis sinistris ominibus, demonstrasset, audacius paulo, quam deceret, in Austriacos invehitur, ideo ab Editore quoque in notula subjecta notatus, qui lectorem rogat, ut condonet Autori acerbas contra Hispanicam domum invectivas, quæ eum non tam fidi Historici quam ferventis zelo adversarii partes egisse indicant. Ad Palatinum inde exulem in Belgium reversus, cum probe animadverteret, vanas in aliena ope spes collocari, Hagæ XIII *Consilium Paraneticum* Principi ac Consiliariis reliquis A. 1628 obtulit, quo variis rationibus evincit, consultum utique & necessarium esse, ut Fridericus Rex Cæsari, antequam vincatur Danus, & Anglus Gallico bello distrahatur, utcunque durissimis conditionibus reconcilietur. Ceterum, quum in Anglia viveret, nomine *Jacobi & Caroli* Regum sæpius *Litteræ* ad præcipuos rei communis hostes vel factores exarare jussus fuit, quas loco XIV, peculiari *Fasciculo* comprehensas, p. 321-340 legimus. Subjungitur XV *Relatio de Statuerum, consiliorum & rationum apud Britannos*, ad Aulam sui Principis scripta A. 1627, quæ lectu dignissima vaticinium quoddam exhibet de horrenda strage, quam angusta Stuartorum familia paulo post passa est. Sequuntur XVI *Varia Consilia, res Caroli Ludovici Electoris Palatini concernentia*, sermone Latino-Germanico concepta, quæ statum publicum annorum 1634, 1635, 1636 satis illustrant. XVII *Acta & Negotia Johannis Tayleri & Comitum Arundelia, Ablegatorum Regis Angliæ ad Imperatorem in causa Palatina, pro restitutione Electoris Palatini Caroli Ludovici &c.* ex quibus, cum & *Responsa Cæsarea* simul compareant, multa discimus, quæ ad novum Electoratum Bavaricum pertinent. XVIII *Epistola* nonnullæ *Gallicæ*, quas ad Elisabetham Anglo-Palatinam, viduam Reginam exulem, nomine Consilii sanctioris, de tristissima rerum Palatarum facie anno 1634 & sequentibus exaravit. Denique XIX exstant 133 *Epistolæ Rūsdorsianæ* ad Ludovicum Camera-

rium

rium præsertim & Viros illius ævi amplissimos alios inde ab anno 1623 ad 1637 scriptæ, in quibus cum multa occurrant alia memoratu digna, nonnulla nunc tantum, quæ ad Jacobum imprimis Angliæ Regem, in cujus aula diu Friderici V R. Boh. causam egit Noster, spectant. Nimirum, cum alibi monuisset, Jacobum ita a bello pro Genero suscipiendo abhorruisse, ut ne nomen quidem Bohemiæ audire potuerit, inter alia observat, eum Legato suo præscripsisse, ut primum omnibus persuasionibus Fridericum adducat ad signandam armorum cessationem, deinde, his non proficientibus, minis aggrediatur & dicat ac declaret, Socerum revocare omnia, omnino deserturum esse, & pensionem, quam ipsi & Reginæ det, auferre velle; imo Bruxellas scripsisse ad Hispanos & petiisse, ut eo casu, quo Gener non sit ratificaturus suspensionem & tractatum, liceat ipsi tractare pro Nepotibus, excluso Genero. At quam exitiosum fuerit illud consilium, Noster Gallici Legati autoritate probat, qui e Nostro, quid futurum sit, percunctatus, si Palatinus, inquit, signat cessationem, perditus est etiam apud omnes amicos, & hoc Hispanus querit; etiam tum Rex meus omnem curam negotiorum Germanicorum abjiciet. De conjugio Filii cum Hispana etsi omnibus persuadere conaretur Jacobus, ut crederent, illud in vado esse & jam concessam a Pontifice dispensationem, nimirum ne frustra tam diu laborasse videretur, simul tamen simulabat, quasi hæc fierent se invito. Itaque Architectum aliquando, præsentibus aulicis, advocabat, hisque eum verbis publice compellabat: *edificavi domum pro me, domum pro canibus, jam oportet ut edificem domum pro diabolo*, inuens his dictis, quibus blande arrisit, sacellum in usum sponsæ exstruendum. Nec potuit tamen, etsi se delusum cerneret, amore in Hispanos deponere: nam cum ipse Buckinghamius eum serio admone- ret, ut honori & securitati suæ Regni que incolumitati prospiceret, & tractatibus cum Hispanis ruptis, Marte rem gereret, & mature quidem, antequam ab hoste præveniretur, apparatus bellicos instrueret, tum Rex præ indignatione, cum nihil aliud respondere posset, tanquam insans illacrymatus fertur, & conquestus, quod se quasi Iulio deturbare, & in bellum præcipitem agere intendent. Dum raro Regem ex venatione reversum, Lon-

p. 45.
- 8

7

12

29

p. 4849.

dinum, Regni sedem, premere testatur Autor, hæc subnectit: *Tota ipseus vita defultoria est, imago continua peregrinationis, & motus irrequietus: ex una in aliam domum progreditur, mutatque sedes imperii pro lubitu, & videtur in solo motu quietem invenire. Negotia vero ardua uno tempore æque amat, ac altero, id est, nunquam.* Jam quod ad matrimonium filii cum sponsa Gallica attinet, de quo paulo ante Jacobi mortem tractatum est, non est nobis prætermittendum, quod Jacobus, cum relatum accepisset, quanta humanitate & comitate Sponsa ipsius & filii litteras accepisset, quod nempe litteras Patris, postquam impetrata a Regina Matre venia illas legerat, subter pulvillum lecti posuisset, Sponsi vero litteras in sinum recondidisset, non illepide dixerit: *quam prudens puella, litteras meas subter pulvillum collocando, me sibi solatium & quietem fore, filium vero meum in cordis scrinio repositum esse, significavit.* Cum paulo post Regem e vita excessisse refert Noster, quotusquisque, ait, *vel lacrymas ejus morte nuntiata edidit? omnes puniceos oculos habuisse, fluxisse: quasi nunquam vixisset, ita ejus obliti fuerunt.* Non minus jucunda in sequentibus Epistolis offendas, in quibus lectu omnino digna est XLII, qua, quantum inter Residentem, quem vocant, & Legatum ordinarium intèrfit, tum rationibus tum exemplis exquisitissimis Autor declarat. Ceterum idem miram ubique de rebus futuris e præsentibus judicandi facultatem (ut cum primo statim anno regiminis Caroli I R. Angl. sinistra omnia præfagit, quæ aliquot post annis eventus comprobavit) tum in moderandis rebus, quæ publice geruntur, sagacitatem, sententiarum item & regularum politicarum loco idoneo immixtarum, e quibus vel integrum libellum colligere posses, ubertatem, veteraque exempla ex Historicis & Poetis, quos omnes devorasse videtur, cum novis apte componendi studium singulare prodit. Id unum denique moneamus, Virum Cl. Georgium Christianum Johannis Vitam Rusdorffii, quæ operi huic præmitti non potuit, proxime seorsum editurum.

HISTOIRE DE LA PEINTURE

ancienne &c.

h. e.

h. e.

HISTORIA PICTURÆ VETERIS, E PLINII
Hist. Natur. Libro XXXV decerpta: accessit Textus Latinus ex MSis Vossii & ad Editionem primam Venetam correctus, novisque Notis illustratus.

Londini, apud Wilhelmum Bowyer, 1725, f.

Alph. 3 pl. 15.

Liber hic ex illis est, qui elegantij typo & charta, sed paucis exemplis excusi, ob subscriptionis legem, raro ad nos perferuntur. Etsi vero Autor eruditus nusquam nomen prodiderit, quippe qui in subscriptione Dedicacionis, quam ad Regem M. Britanniae GEORGIUM satis prelixo ac eleganti carmine Gallico, quod justli Panegyrici instar esse poterit, dedit, solas litteras D. D. subscripsit, & p. 160 innuit, se Collegam fuisse Johannis Lombardi, V. D. Ministri ad D. Martini Londini, & lares suos paucis passibus abesse a Bibliotheca Collegii Sionis, cujus Catalogus brevi sit proditurus; constat tamen aliunde, eum *Durandum* vocari. Praemisit vero operi, suavis amicorum, sigillatim versionem Gallicam, quam textui adjungere antea constituerat, eamque, ubi opus videretur, breviusculis notis illustravit. In Latino vero textu emendando explicandoque in notis vernaculis, quibus & veteres & nostrae aetatis scriptores, Poetas imprimis, testes apte producit, eorumque rivos corrigit, operosius versatus est. Et quamvis, quantum ad textum, Harduinum primo solum sequi decrevisset, admonitus tamen a Cl. Gibsono, primam omnium editionem, Venetiis 1468 ab homine parum, ut videtur, Critices perito, at prorsus ad membranas veteres curatam, & haecenus quidem, quod a sequentibus editionibus, Romana nempe A. 1469 & Veneta 1472, elegantia superaretur, neglectam ab Editoribus plerisque omnibus, diligenter consuluit, ejusque ope loca plurima, haecenus corrupta, emendavit. Nec alia subsidia neglexit, imprimis doctas Jo. Frid. Gronovii in ultimos Plinii libros notas, quem quatuor MSptis & imprimis Codice Vossiano annorum 1200 usum fuisse constat. In quibus accuratè dijudicandis nulli se labori

labori pepercisse fatetur Cl. Durandus, integro sepe septiduo in statuenda unica lectione occupatus. Ut pauca e multis emendationes textus Hardainiani afferamus, legit Harduinus p. 145 *agnascentiumque iis*, Noster ope Codd. & Edit. 1 *ac nascentium in eis*; Hard. p. 161 *infectis voluminum suorum secunditati non nominibus tantum*, Noster *infectis voluminibus suarum secunditatum non*; Hard. p. 220 *optimusque est, qui maxime vicinus est*, Noster *optimumque est, quod maxime viride*; Hard. p. 224 *publicas porticus investivit pictura*, Noster ex ed. 1 *occupavit*, vel ex Vossio & Gronovio, *decoravit pictura*; Hard. p. 253 *in omnibus ejus operibus*, Noster *in unius hujus operibus*; Hard. p. 260 *nam cedebat Amphioni de dispositione*; Asclepiodoro *de mensuris, hoc est, quanto quid a quo distare deberet*, Noster nam *E. hioni de positone cedebat*; Asclepiodoro *de mensuris: id est, quanto quid a quoque distare deberet*; Hard. p. 266 *tantum erat auctoritati juris in Regem alioqui iracundum*, Noster *tantum erat auctoritatis viro in Regem*; Hard. p. 283 *Hujus fuerat etatis Aristides, Thebani discipulus. Fuerunt & filii Niceros & Ariston, cujus est. . . Discipuli*, Noster *Aristida Thebani discipuli & filii Niceros & Ariston, cujus est, Satyrus cum scypho coronatur. Discipuli*; Hard. p. 306 *scitilibus solis*, Noster *scitilibus doliis*. Et has quidem similesque lectiones Noster magno eruditionis apparatu in notis tuetur. Sunt & alia passim in notis, quæ legi merentur. Ita cum pictura dicitur nobilitare illos, quos esset dignata posteris tradere, observat, non solum inter veteres *Arellium* Romanarum meretricum facies picturis etiam gravissimis intulisse, & *Pausam* Glycerium suum tanta arte depinxisse, ut tabula illa 1200 thaleris venderetur, sed & recentioribus *Rapbaelem* amasiam suam sæpius, *Rembrantum* ancillam suam depinxisse, *Mignardum* filiam; *Albanum* uxorem & liberos in omnibus fere picturis suis grandioribus representasse. Occasione *Pacuvii*, Pictoris & Poetæ, e recentioribus producit *Du Fresnoy*, qui de Poeseos & Picturæ cognatione eleganti carmine cecinit; *Annam Schurmanniam*, quæ & versus scripsit Latinos, & in iconibus minuti operis pingendis excelluit; *Elisabetham Cheron*, celebris in Anglia Pictoris sororem, quæ ut excellit penicillo, ita poemata in publicum prodidit; *Coypel* juniorem,

Patre

p. 146

174

Patre in re pictoria non inferiorem, qui Comœdias scripsit publico omnium plausu exceptas. Carpit hic simul duumviros Gallos, de Piles, qui Ennium, & Felibiennum, qui graviore errore L. Mumium, Coriathi destructorem, inter Pictores retulit. Sed & hic manum de tabula.

VETUS DISCIPLINA MONASTICA SEU
Collectio Autorum Ordinis S. Benedicti maximam partem ineditorum, qui ante sexcentos fere annos per Italiam, Galliam atque Germaniam de Monastica disciplina tractarunt; opera & studio - - Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione S. Blasii in Silva nigra.

Parif. apud Car. Osmont, 1726, 4.

Alph. 3 plag. 20.

Opus hoc de Veteri Disciplina Monastica, quod supra Mense Januario pag. 47 annuntiavimus, *Blaso*, Ill. Congregationis S. Blasii Abbati Reverendissimo, a Prioribus & Conventu istius Congregationis eloquenti præfatione inscriptum, (in qua, & Effigie & Insignibus Præsulis, excellentis artificis manu sculptis, exornata, illius laudes & imprimis præclara in Ecclesiis suas & bonas literas merita celebrantur,) debemus diligentiam unius ex ista Congregatione, quem, licet nomen suum reticuerit, Virum tamen doctum, diligentem & ingenium esse, ex hoc ipso Opere satis constat. Hominem esse Germanum, & Congregationi innuere videtur, & ipse haud obscure indicat, Germanos appellando suos; decus adeo simul patriæ & ordinis sui, cujus si plures existerent similes, non esset, cur Congregationes & Monasteria patriæ Galliæ suos Maurianos, celebratissimos Viros, inviderent. Scripsit autem in Francia, ut in eadem præfatione testatur, & si alium ejusdem præfationis locum recte cepimus, in celebri S. Germani a Pratis Cœnobio, quod qui factum, quamvis nos fugiat, ex hoc tamen mutæ amicitie nexu, inter Congregationem Germanicam S. Blasii & S. Mauri Gallicam intercedente, pro bonis literis lætum augurium capimus. Viri duo ex hac posteriori Congregatione nunquam, ut recte Noster ait, sine laude

Præf.
p. 21.

13

25

Qq

memo-

memorandi, Dacherius & Mabillonius, jam in animo habuerunt, mandare typis, quicquid de veteri Disciplina Monastica superesset, sed alter justo apparatu destitutus, alter morte præventus, promissis stare nequivere, quod institutum, ad Monasticas non modo res, sed Ecclesiasticas quoque intelligendas insigne auxilium allaturum, ne intercidat, efficiendum a se esse putavit Noster, maxime cum spe plura, dum in alio opere, *Catena Commentariorum in Regulam S. Benedicti*, texendo versabatur, ad opus præsens facientia nancisceretur. Dedit adeo:

1 *Petri Diaconi Disciplinam Casinensem*, depromptam ex MSto Autographo Casinensi Commentationum ejusdem Diaconi ad Regulam S. Benedicti, quod ante annos aliquot Archangelus Brancaccius, Casinensium Abbas, cum Nostro communicavit. Sunt vetustissimæ consuetudines aut ab ipso Benedicto, aut paulo post eum inter Casinenses introductæ, quæ adeo, etsi seculo primum XII a Petro conscriptæ sint, primum sacræ vetustatis causa locum sibi vindicant p. 1. 2 *S. Sturmii*, Fuldenfis Abbatis, *Consuetudines*. Hunc enim S. Bonifacium consuetudinum S. Benedicti monasteriorum, imprimisque Casinensis, explorandarum causa in Italiam misisse, ut Fuldenses Fratres ad eas componerentur, ex Eigile Abbate constat. Editæ jam hinc a Mabillonio *Analectorum Tomo IV*, sed hic paulo accuratius repetitæ p. 4. 3 *Theodemari*, Abbatis Casinensis, *Usus Casinenses*, ad Carolum M. circa A. 790, informandæ Benedictinæ familiæ in Galliis causa id petentem, transmissi, p. 9. 4 *S. Benedicti*, Abbatis Anianensis, *Capitula* ante Synodum Aquisgranensem conscripta, sed quæ postea a Cluniacensibus & multis aliis Galliarum, Italiarum & Germaniarum Monasteriis fuerunt acceptæ, editi a Mabillonio *IV Analectorum*, huc relati p. 14. 5 *Capitula Monachorum ad Augiam directæ* ante A. 817. Cum enim S. Benedictus Anianensis totus in eo esset, ut disciplina per Galliarum monasteria lapsa restitueretur, veriti Augienses Monachi, ne Monachi Regulares, illi nempe, qui post Synodum Aquisgranensem a Ludovico Pio in omnia monasteria ad instituendum Regulæ Benedictinæ uniformem ritum directi sunt, eos imparatiores offenderent, e suis quosdam miserunt in Galliam, explorandæ illius regularis disciplinæ causa, a quibus literas & XII *Capitula* acceperunt,

perunt, hæc ipsa nempe, quæ hic p. 18 e Tomo II Capitularium Baluzianorum repetuntur. 6 *Capitulari Aquisgranense de Vita & Conversatione Monachorum*, in Synodo a Ludovico Pio A. 817 habita confectum, ex Baluzii editione, p. 22. 7 *Capitula Monachorum Sangallensium ad Regimbertum*, Magistrum Scholæ, A. 846 mortuum missa, p. 33. 8 *Guidonis disciplina Farsensis & Monasterii S. Pauli Romæ*. Farsense Monasterium est in Sabinis in Ducatu Spoletano. Eduntur hæc consuetudines p. 36 ex MS. Vaticano & alio veteri codice S. Pauli in Urbe, unde eas Jo. Mabillonius describi curavit olim, Vincentius Thuillierius autem Nostro ex Mabillonii museo concessit. 9 *Ordo Cluniacensis per Bernardum Monachum illius Monasterii Benedictinum, Sæculi XI Scriptorem*. Hæ Cluniacensium Consuetudines, uti a Bernardo sunt traditæ, a nemine juris publici hæctenus fuerunt factæ: sed ad usus privatos tantum a Cluniacensibus exactum est ante aliquot annos earum exemplar, quod ab infinitis mendis purgatum & ad fidem MS. codicis S. Germani a Pratis castigatum hic p. 133 exhibetur. 10 *Excerpta ex Divionensi disciplina*, quæ cum Fructuariensi communis erat, ex MSS. Benignianis Sæculi XI, p. 365. Est nempe S. Benigni Monasterium Divione, in quod Cluniacensis disciplina undecimo Sæculo allata, & inde in Italiam & Germaniam; ipsumque S. Blasii in nigra sylva monasterium propagata est. 11 *S. Wilhelmi Constitutiones Hirsaugienses, seu Gengenbacenses*, ex MSS. Einsidlenfibus p. 371 editæ. S. Wilhelmus, in Cœnobio S. Emmerami Ratisbonæ Monachus ob sanctitatis & doctrinæ famam a Monachis Hirsaugiensibus post medium Sæculi XI in Monasterio S. Aurelii Abbas constitutus est, qui cum Monasticæ disciplinæ restaurandæ singulari studio teneretur, primum ab Udalrico, Cluniacensis Ecclesiæ monacho, Cluniacensium Consuetudines duobus libris conscriptas accepit, inde ab Hugone, Cluniacensium Abbate, precibus obtinuit, ut sex e suis Monachis Hirsaugia Cluniacum dirigere sibi liceret, qui celeberrima illa instituta præsentibus accuratissime addiscerent. Horum consilio selegit, quæ ad morem patris, loci situm & aeris temperiem essent accommodata, & ea addidit, quæ a puero in S. Emmerammo Monasterio didicerat, hasque adeo consuetudines confecit, eo successu, ut,

Trithemio teste, plus quam centum monasteria tam per se quam per suos ad pristinam regularis disciplinae observantiam revocavit. 12 *Ritus Luxoviensis*. Est hoc Monasterium sub finem Seculi VI a S. Columbano in Vosagi montis saltu conditum, cujus Ritus hic p. 571 editos Cl. D. Edmundus Martene e MS. erutos Nostro concessit. 13 *Fragmenta disciplinae Monasticae*, quae sunt p. 586 *Lectiones coram hospitibus recitari solitae ex praecepto Regulae S. Benedicti*, ex perantiquo Monasterii Rhinoviensis MS. p. 589 *Formula professionis Monasticae*, ex MSS. Vindobonensi Caesareo, Sangallensibus, & Necrologii Augiæ divitiis; p. 592 *Formula offerendi pueros in Monasterio*, e MSS. Sangallensibus; p. 593 *Formula excommunicationis*, e MS. Mellicensi, *Orationesque tres ante Matutinum & Vesperas a Monachis recitatae*, ex MS. Breviario Casinensi.

His veterum rituum monasticorum monumentis non modo docte praefatus est Clarissimus Autor, sed addidit quoque passim notulas ad meliorem vocum ecclesiasticarum & monasticarum intellectum perquam idoneas. Frontem operis exornavit docta praefatione, in qua primum de veteri Monastica Disciplina non nihil praemittit, inde celebrem de Volatilibus controversiam, an a S. Benedicto in Regula sua vetita sint, accurate peragit, confutatisque illorum, qui austeri nimis istorum esu Benedictinis interdictum esse opinantur, argumentis, promiscuum Avium usum Regula ipsa, praxi usuque ordinis & scriptorum auctoritate niti demonstrat. His disputatis de officio divino secundum Regulam S. Benedicti sermonem instituit Noster, quale illud a S. Benedicto sit institutum, quae in eo mutationes ante Seculum X contigerint, qui Psalmorum distributio in Breviario Cluniacensi sit instituta, quae mutationes & additamenta a decimo Christi Seculo in eodem officio sint facta, & quid de iisdem sit sentiendum, quo maxime in loco demonstratum ingenuum animi candorem non possumus non laudare. Ita differt officium S. Benedicti vetus ab officio Benedictinae familiae noviori, ut illud vix quatuor horas adaequet, huic persolvendo humanae vires vix ac ne vix quidem sufficiant, cujus prolixitatis enormis & causas & incommoda affert, inter illas nimium cultus divini studium, monasteriorum
in

in recipiendis augendisque precibus imprudentem æmulationem, laboris intermissionem, quem non rectius quam Dei laudibus decantandis compensari posse credidere, Laicorum avaritiam, qui pecunias & latifundia Monachis non gratis, aut, ut antiquiores, pro remedio animæ, sed pro anniversariis precibus concedere maluerunt; eorundem ambitionem, ut, qui vitam ingloriam duxerant, morte saltim nomen sibi immortale facerent, immo & Monachorum avaritiam, Abbatumque & qui claustralia officia administrabant, ex fundis sibi assignatis, quæ ita veluti sibi propria habebant, instituendi anniversarii inverecondos ausus. Notatu digna sunt ingenua Nostri verba p. 52: *Laici tamen non videntur ita accusandi, quin culpæ aliquid penes Monachos resideat. Si pretii minus fuissent cupidi, non ita facile Laicorum voluntati morem gessissent. Sed quo non irrepit & penetrat divitarum cupiditas. Perrumpere amat claustra, nec adversus eam satis munit vel ipsa paupertatis professio.* Ex incommodis, quæ pari candore memorat optimus Autor, potissima sunt, nulla mentis cum voce concordia, summum ex diuturna psalmodia fastidium, Musicæ amor, ut choro additis levamen afferat, studiorum denique intermissio. Nos Benedictinis omnibus eandem mentem, aut si hoc supra humana vota videbitur, optimo nostro Autori, veræ vitæ monasticæ tam intelligenti, infulam vel dignius quid suorum causa apprecamur. Ultimo loco dictæ præfationis Observationes nonnullæ cum Ecclesiasticæ tum Historicæ ex his ipsis monumentis decerpæ leguntur, quas legisse non pœnitebit. Nos ex hoc ipso loco, doctissimum Anonymum nostrum veterrimum MStum Codicem Liturgicum typis paraturum observamus. In fine operis sunt indices additi plures, quos inter eminet Index onomasticus vocum barbararum & exoticarum, quem quantivis pretii esse norunt, qui has literas norunt.

NOUVELLE MÉCANIQUE OU STATIQUE &c.

hoc est,

NOVA MECHANICA SIVE STATICA, CUJUS IDEA
A. 1687 fuit data; Opus posthumum PETRI VARIGNONII,

Qq 3

Aca-

Academiarum scientiarum in Gallia, Anglia & Borussia Sodali, Lectore Regio Philosophiæ in Collegio Regio & Professore Matheseos in Collegio Mazariniano.

Tomi II.

Parisiis, apud Claudium Jombertum, 1725, 4.

Alph 4 plag. 21 Tabb. 20. 64.

Cum primum Idea novæ Mechanicæ *Varignonianæ* in lucem publicam prodisset, eandem in his Actis recensimus: unde constat, celeberrimum Autorem explicationem machinarum simplicium, seu vulgo sic dictarum potentiarum mechanicarum ex notione motus compositi instituisse, de quo jam olim locutus est *Aristoteles* in Quæstionibus mechanicis, & quo usi sunt *Archimedes*, *Nicomedes*, *Dinostrates*, *Diocles* in descriptione spiralis, conchoidis, quadratricis, cissoidis, itemque *Cartesius* in explicanda reflexione & refractione luminis, immo omnes hodie utuntur Geometræ in curvarum descriptione & Physici in determinandis percussionibus obliquis. In Idea ista non nisi primas operis lineas duxit, quod nunc 30 & amplius annorum studio atque labore consummatum post morem demum Autoris prodiit. Ultimam ipse manum addere non potuit, neque enim problemata in ordinem fuerant digesta, cum rebus humanis eximeretur Geometra primi ordinis. Cel. *Font nellius* itaque, hæres MSC. *Varignonianorum*, editionis curam commisit Viro in his studiis versato Cl. *de Beaufort*, Academiæ Regiæ Scientiarum Membro, qui una cum *Camo Abbate* eandem nobis dedit. Dividitur opus in hoc genere absolutissimum & hæcenus sine pari in duos Tomos, quorum prior *Secl.* 1 lemmata quædam præmittit, quibus tanquam principiis utitur Autor in demonstrationibus sequentibus; *Secl.* 2 de ponderibus funium ope solummodo suspensis; *Secl.* 3 de trochleis & poly spatio; *Secl.* 4 de axe in peritrochio & machinis agnatis; *Secl.* 5 de vecte: posterior autem *Secl.* 6 de plano inclinato; *Secl.* 7 de cochlea; *Secl.* 8 de cuneo, *Secl.* 9 de corollario generali ex theoriâ præcedente deducto; *Secl.* 10 de æquilibrio fluidorum agit. Tomo posteriori sub titulo novæ Mechanicæ partis secundæ adjicitur

citur 1 Tractatus problematum, in quo nova Mechanica ad resolutionem multorum problematum transfertur: 2 Tractatus de machinis absque attritu ex principiis novæ Mechanicæ demonstratis: 3 Examen opinionis *Borelli* de proprietatibus ponderum ope funium suspensorum. Lemmatis præmittit definitiones quasdam generales machinæ, potentix, vis absolutæ & relativæ, gravitatis, ponderis, lineæ directionis, momenti, æquilibrii, hypomochlii, motus compositi &c. atque axiomata, seu propositiones, quas siæ demonstratione sumit. In axiomatico numero est, quod effectus semper sint suis causis seu viribus productricibus proportionales & quod celeritates corporum æqualium massarum sint ut vires motrices. Lemmata tria priora cum multo coralliorum apparatu motum compositum explicant, cui omnis nova Mechanica superstruitur. Non tædet Autorem prolixitatis, cum fundamenta ædificii tam magnifici firma & inconcussa esse velit & operari dederit, ut nec tyronibus occurrat, circa quæ in principiis hæreant. Lemmata cetera pleraque geometrica sunt, quæ applicando motui composito ad potentias mechanicas in variis casibus serviunt, paucis exceptis, quæ potentias ad varios funes communi nodo junctos applicatas concernunt. In horum lemmatum numero illud etiam occurrit, quod A. 1693 in Diario Eruditorum Parisino p. 417 absque demonstratione proposuit *Leibnitius*, sed ejus demonstrationem invenit *Varignonius*. Non ignotum est Geometris, *Varignonio* in more positum fuisse, ut theorias redderet quam maxime generales. Idem quoque præsens institutum loquitur. In singulis machinis simplicibus universalitati theoriæ studet. Potentiis mechanicis vulgo receptis novam superaddit, quam *funiculariam* appellat, ubi scilicet pondus aliquod in æquilibrio suspenditur ope funium tantummodo. Et hanc primo loco considerat. Universalitatis gratia plurimos distinguit casus, in quibus ratio habetur cum multitudinis funium, quibus pondus suspenditur, tum angulorum omnium possibilium, quos inter se efficiunt. Similiter in trochleis centra nunc fixa ponit, nunc mobilia, & omnes directiones potentiarum atque ponderum applicatorum posibles expendit, cum hæctenus Autores non nisi parallelas attenderint, quæ tamen in praxi rarissimæ sint. Jure autem

Sect. I.

2


3

tem

- tem reprehendit illos, qui, quæ de trochleis in hypothefi directio-
 onum parallelarum demonstrata sunt, ad ceteros casus promiscue
 omnes extendunt. Observat etiam, trochleas mobiles virium
 compendium facere; fixas e contrario facilitare earundem usum,
 & docet, quomodo mobiles atque fixæ combinari debeant, ut
 utroque commodo simul fruamur. Neque vero omnem solum
 diverfitatem expendit, quæ circa trochleas simplices sese offert,
 verum non minori sollicitudine eandem quoque circa polyspastos
 scrutatur. Passim in hoc argumento notat lapsus Autorum, qui
 ante ipsum de hoc argumento commentati sunt, etsi veritatis stu-
 diosus modestiæ gratia nullius nomen exprimat. Axis in petitro-
 chio, quamvis potentiarum mechanicarum fertilissima sit & a
 Nostro universalissima ratione pertractetur, pauciores tamen ca-
 sus suppeditat quam potentiæ ceteræ. Ab eo Autor digreditur ad
 vectem, quem multiplici ratione tum quoad figuram, tum quoad
 situm distinguit, ne in theoria completa quicquam desiderari pos-
 sit, ita nimirum ejus universalitas rectius patet. Hypomochlio
 substituit potentiam, in casu æquilibrii ceteris æqualem, ne ve-
 ctem a situ hypomochlii distingui opus sit, nec a directione po-
 tentiarum parallelarum progreditur ad obliquas; sed ipsas obli-
 quas sumit in propositione fundamentali. Probat *Fermatii* judi-
 cium, quod directio parallela, utut propter magnam a centro
 terræ distantiam ad veritatem proximè accedat, veritatem inti-
 mam & accuratam tamen quærentibus non satisfaciat, adeoque
 generalis vectium natura in quolibet mundi loco videatur conside-
 randa & adstruenda, novaque in mechanicis fundamenta e veris
 & proximis principiis sint accersenda. Vulgo theorema *Archime-
 deum* de æquilibrio potentiarum directionis parallelæ rationem
 distantiarum reciprocam habentium primum Mechanicæ princi-
 pium appellant, præter *Cartesium*, qui idem supposuit, quo No-
 ster *Varronem* Jctum Genevensem in Tractatu de motu Genève
 A. 1585 impresso p. 23 jam usum fuisse monet, tantum nimirum
 esse, libram unam quatuor spatiis moveri, quantum libras quatuor
 uno spatio eodem tempore.
- 6 Haftenus recensita præbent argumentum Tomo priori. In
 posteriori primo loco occurrit planum inclinatum. Communiter
 Mecha-

Mechanici non considerant nisi directiones vel longitudini, vel basi parallelas; sed Noster theoriam extendit ad directiones quas-cunque: Resolvit quoque superficies curvas in plana inclinata infinite parva, quæ utrinque continuata in tangentes degenerant. Corrigit lapsus nonnullorum Autorum circa planum inclinatum, quamvis nomina dissimulet. In eorum numero est, quod gravitatio in planum horizontale sit ad gravitationem in planum inclinatum ut secans anguli inclinationis plani ad excessum secantis supra radium. Reprehendit nonnulla in modo demonstrandi ordinario ex principio vectis. Ceterum Noster præter pondera spherica etiam alia figuræ cujuscunque considerat, ne quicquam desit universalitati theoriz. Plano inclinato succedit cochleæ, cum Sect. 7. communis, tum perpetua. Quamvis vero Autor huic theoriz omnem amplitudinem tribuit, quæ eidem convenit; multo tamen arctioribus limitibus coercetur, quam præcedentes, cum tanta hic easuum varietas non offeratur. Applicat etiam principium motus compositi, quo in præcedentibus potentiis adeo feliciter usus est, ad cuneum, ne quicquam in opere adeo completo desiderari possit, etsi cuneus propriè non mereatur locum inter machinas simplices, quibus motus solidorum facilitatur. Corrigit lapsus *Borelli*, *Vanni* aliorumque, quorum nominibus par-cit. Corollarium generale, quod vocat & Sect. 9 integra demor-strat atque applicat, est theorema generale, quod Geometra eminens *Joannes Bernoulli* d. 26 Jan. A. 1717 cum Autore comuni-cavit, sed absque demonstratione. Theorema hoc est: *In omni æquilibrio virium quarumcunque, quomodocunque sibi mutuo ap-plicatarum & juxta quas-cunque directiones sive mediate, sive im-mediate in se mutuo agentes, summa energiarum affirmatarum est æqualis summa energiarum negativarum affirmative sumta-rum.* Ut intelligatur theorema longe pulcherrimum, terminus energiz explicari debet. Sit itaque P punctum quodcumque in Sy-stemate virium; quæ inter se æquilibrium tuentur, F una istarum virium, quæ urget aut trahit punctum P secundum directionem FP aut PF, Pp lineola recta, quam describit punctum P motu exi-guo, quo tendentia FP transfertur in situm sp, quæ ipsi FP vel exactè parallela, si motus exiguus Systematis in omnibus punctis
fit

Kc




fit parallele lineæ rectæ positione datæ, vel prolongata cum FP efficit angulum infinite parvum, motus exiguus Systematis fit circa punctum fixum. Demittatur ex P recta PC ad fp perpendicularis: erit Cp celeritas virtualis vis F, & F. Cp illud, quod *Energia* appellatur. Quod si punctum P vi F urgetur, vel ab eadem impellitur, erit energia affirmativa, ubi angulus FPP fuerit obtusus; negativa, ubi idem fuerit acutus. Contra si punctum P a vi F trahatur, energia negativa est in hypothesi anguli FPP obtusi; sed affirmativa in hypothesi acuti. Noster theoremata non modo demonstrat ex principio motus compositi; verum etiam ad singulas potentias mechanicas, de quibus in ante-

Sect. 10. dentibus sectionibus egit, applicat. Theoriam de æquilibrio fluidorum adjecit Autor, quod ipsi nonnemo objecerat principium motus compositi, quo in demonstrationibus mechanicis æquilibril solidorum usus est, non posse applicari ad demonstrandum æquilibrum fluidorum. Reprehendit autem demonstrationem hactenus receptam, quæ ipsi parum genuina videtur.

De tribus exiguis Tractatibus, quorum argumenta in superioribus indicavimus, pauca annotasse sufficiat. Problemata mechanica, quæ ex theoriis præcedentibus solvuntur, sunt numero 24, quæ singula recensere nimis prolixum foret. Concernunt eadem æquilibrum plurium potentiarum diversimode chordis atque vecti applicatarum. Machinas absque affricu dedit *Perraltius* in Notis ad versionem *Viruvii* Gallicam & in Tractatu de machinis noviter inventis, de quo alibi diximus in his Actis. Machinas *Perraltianas* nuper quoque descripsit in Theatro Machinario, quod vocat, *Cl. Leupoldus*. Theoriam harum machinarum septem theorematis comprehendit Autor, quæ ex theoria sua generali mechanicæ demonstrat. Mox eadem ad integram istiusmodi machinam examinandam applicat. *Borellus* in Tractatu de motu animalium Tom. I. c. 13 longa digressionem facta contendit, *Stevinum*, *Herigonium* & alios plures falli in theoremate de pondere a duobus aliis juxta directiones obliquas suspenso. Deser-

dunt nimirum, si CI sit linea directionis ponderis T & MH duca-



tur alterius potentiae R directioni CR parallela, fore pondus T ad potentiam S ut HC ad MC &, si HN sit directioni CS parallela, idem pondus T fore, ad potentiam R ut HC ad CN. Impugnat theorematem universalitem *Borellus*. Enimvero cum *Varignonius* sua methodo in theorema inquireret, veritatem ejus reperit. Necessarium itaque visum fuit, opinionem *Borelli* ad examen revocari. Examen hoc in duo capita dividit. Primo ostendit, quod theorema *Stevini* non repugnet propositioni 68 Tomi primi de motu animalium, quemadmodum ipsi videtur; sed potius necessaria consequentia inde sequatur, notatis aliquot paralogismis, quos commisit, dum sibi in aliorum ratiociniis paralogismos videre

dere visus est. Altero theorematum impugnatam veritatem aliquot demonstrationibus munit, prorsus diversis ab iis, quas reprehendit *Borellus*. Sua etiam methodo lemmata multo generaliora demonstrat, quam sunt *Borelliana*, unde omnis theoria virium muscutorum pendet. Etsi autem *Borellum* erroris redarguat, non tamen diffidetur, extraordinaria omnino esse ejus in scientiam merita.

PHYSICES ELEMENTA MATHEMATICA

experimentis confirmata, sive Introductio ad philosophiam Newtonianam, Autore GUILIELMO JACOBO GRAVESANDE, L.M. Jur. Utr. & Phil. Doctore, Regiæ Societ. Lond. Socio, Astron. & Math. in Acad. Lugd. Bat. Prof. Ordinario.

Bat. Prof. Ordinario.

Tomus I.

Editio secunda, auctior & emendatior.

Lugduni Batavorum, apud Petrum van der Aa, 1725, 4.

Alph. 2 Tabb. æn. 47.

SUPPLEMENTUM PHYSICUM, SIVE AD-

enda & corrigenda in prima editione Tomi primi libri editi Lugd. Bat. A. 1721, cui titulus: Physices elementa Mathematica &c. Autore eodem.

Alph. 1 Tabb. æn. 15.

Institutum Cel. Autoris exposuimus in his Actis, cum prima libri utilissimi editio prodiret. Nunc igitur indicasse suffecerit, quam mutationem editio secunda subierit. Cum tyronibus precipue scriberet *Cl. Gravesandus*, quibus ideam Philosophiæ Naturalis methodo mathematica pertractatæ exhibere constituerat, difficiliora omnia intacta reliquit & Geometrarum propositiones sapius tantummodo indicavit. Enimvero ut profectioribus quoque utilis esset liber, in altera editione demonstrationes adjecit per modum scholiorum capitibus subjunctorum & peculiari characterè expressorum, ut opus quasi separatim constituent, nec lecto-

lectorem turbent. Iisdem scholiis alia quoque inserta sunt, quæ in ipso opere commode tractari non potuere. Machinas præterea, quibus ad experimentandum usus, emendavit novasque adjecit, quæ ratio fuit, cur plures tabulæ æneæ mutationem subierint. Experimenta ipsa accuratius descripsit & eventum eorum clarius exposuit. Postquam mensuram virium *Leibnitianam* suam quoque fecit, percussionis theoriam eidem superstruxit & uberius explicatam variis experimentis novis fulcivit. Quamvis autem in multis, quæ virium, percussionum, resistentiarum, retardationum corporum in fluidis motorum theorias spectant, a *Newtoniana* sententia recesserit, titulum tamen Introductionis ad philosophiam *Newtonianam* retinuit, propterea, quod multa illustret a summo Geometra tradita & pleraque ab Autore explicata ad facilius intelligenda scripta *Newtoniana* conducant, præterea ipso iudice *Newtonianam* philosophiam sectari dicendus sit, qui omni ficta rejecta hypothèsi tantum ex phænomenis in physicis ratiocinetur, non autem qui in verba magistri iuret. Plurima præterea in ipso contextu passim fuere immutata novaque inserta. Quoniam itaque novam prorsus faciem induit altera editio, in eorum gratiam, qui primam jam possident, supplementum edidit. In hoc dedit omnium machinarum novarum descriptiones, additamenta omnia & propositiones mutatas omnes: fieri tamen haud quaquam potuit, ut eidem insereret machinarum seu instrumentorum correctiones, easque singula, quæ in prima editione posita clarius & accuratius enuntiantur atque illustrentur. Alias enim supplementum excrevisset in molem ipsi operi tantum non æqualem, cujus nunc partem dimidiam adæquat. Altiora Cl. Autor per modum scholiorum minuto caractere impressorum adjecit, ut opus quasi peculiare constituant. Videamus, quænam sint illa, ut de utilitate operis statuere liceat.

Circa materiæ divisibilitatem in infinitum progressionem geometrica decrescente $\frac{1}{2} + \frac{1}{4} + \frac{1}{8} + \frac{1}{16} + \dots$ &c. quam in infinitum continuatam unitati æqualem esse constat, probat infinitum finitò contineri. Innumera circa materiæ divisibilitatem captum nostrum superantia evidentissime demonstrari, exemplo logarithmicæ spiralis evincit. Huc refert porro infinitorum inæqualita-

tem variasque classes argumentis geometricis adstrictas. Partium subtilitatem evicturus, accurato calculo definit, in deaurando filo argenteo millesimam partem pollicis in bis mille partes actu dividi. Expansionem guttæ in vitro plano una cum ascensu aquæ spontaneo in tubis capillaribus & inter vitra plana effectum attractionis vitri agnoscit & in hypothesi attractionis theoriam motus istius condens geometricam, inter alia contendit, in tubis capillaribus altitudines esse inverse ut diametros. Quod corpus unum, quodque habeat centrum gravitatis, idque unicum, demonstratur, supponit theorema nobilissimum de æquilibrio solidorum, quod scilicet gravia linea inflexi juncta æquilibrentur, si distantia a puncto suspensionis fuerint ponderibus reciproce proportionales. Tradit modum centrum gravitatis investigandi & algorithmum numerorum vulgarem ope libræ absolvendi. De ligno findendo theoriam geometricam condens, machinam rejicit ad demonstrandum vim cunei in priore editione adhibitam. Motum in cycloide modumque determinandi centrum oscillationis explicans, varias cycloidis proprietates, quodque cyclois inversa sit linea celerissimi descensus, demonstrat. Præmissis generalibus de viribus centralibus, easdem in specie in circulo atque ellipsi & in orbita agitata cum in genere, tum in ellipsi agitata in specie expendit, addita computatione motuum apsidum in curvis a circulo parum differentibus. Regulas conflictus corporum una cum regulis percussiois corporum lineis rigidis inter se cohærentium & circa centra agitatorum algebraice demonstrat. Experimentum corporum in lancem aut brachium libræ impingentium examinans, bilancem describit, qua altitudines conferre licet, a quibus corpus cadens pondera paululum elevat. Regulam determinandi centrum oscillationis & percussiois ex doctrina virium deducit. Geometricam contexit demonstrationem, quod in congressu corporum elasticorum summa virium ante & post ictum eadem sit, remoto dubio, quod circa mutuam corporum elasticorum actionem suboriri poterat, additaque paradoxo explicatione, cur fabri argentarii, in domus parte superiori habitantes, incudem pulvino superimponant, ut ea ictibus mallei magis resistat domusque minus tremat. Agit quoque de æqualitate summæ virium ante

ante & post conflictum trium corporum atque de motu centri gravitatis. Tabulam computare docet, quæ tempus exhibet, in quò pes cylindricus aquæ effluit, data ejus altitudine. In rationem resistentiæ cylindri recti ad conum rectum in eodem fluido, itemque cylindri recti atque globi, nec non in retardationes corporum in fluidis motorum, prolixè inquirit, demonstratis ea sui Logarithmicæ nonnullis proprietatibus: ubi una corporum in fluidis in altum projectorum atque in iisdem cadentium rationem habet. Tandem de motu undulatorio & soni intensitate agit.

R. P. BERNARDI PEZII, BENEDICTINI
& Bibliothecarii Mellicensis, Bibliotheca Ascetica
antiquo - nova.

Tomus VII & VIII.

Ratisbonæ, sumptibus J. C. Pezii, 1725, 8.

Alph. 3 pl. II.

AEquum est, recensione superiorum Tomorum subungere etiam horum contemperationem, quorum Editor doctissimus strenue pergit in *Bibliotheca sua Ascetica*. Tomi igitur septimi primum locum occupat Excellentissimi *Passioni* Sermo tertius *de Regularis Præsidis electione*. Hinc *Eckeberiti*, Abbatis Seculo XII Schoaugiensis, cujus *liber adversus hæreses* inserui meruit Bibliothecæ Patrum, sequuntur tres libri, primus *de laude crucis*, alter inscriptus *Soliloquium*, tertius *Stimulus amaris*: quem quidem ultimum, inter opera S. Bernardi editum, ab *Eckeberito* illo compositum fuisse, nunc primum discimus a Cl. Pezio. Hinc occurrit *S. Bernardi* meditatio in hymnum: *Jesu nostra redemptio*: quanquam facile apparet, non satis certe opusculum hoc ad Bernardum autorem referri. Sequitur *Engelberti*, Abbatis Admontensis, *Tractatus de passione Domini*; *Joannis Inistoris*, Cartuliani Sec. XV, *Breviloquium animi religiosi reformativum*, ejusdemque liber *de mala ira evitanda*; *Jacobi de Paradiso*, Sæculi XV. Cartuliani, liber *de causis multarum passionum, præcipue iracundiæ, & remediis earundem*; *Bernardi de Waging*, qui eodem Sæculo Prior fuit Tegerenseensis, *Remediarius pusillanimum & scrupulorum*.

- loforum*. De vita scriptisque horum autorum Rev. Editor exponit in Præfatione, & copiosissimè quidem de *Bernardo de Wasing*, cui & illud opus vindicat, quod Tomo quinto ediderat sub nōmine *Antonii Volmari*. Hic etiam *Volmarus* stylium duntaxat *Bernardi* emendavit, paucis quibusdam & additis & resectis. Ipsa illa scripta nunc non perlustramus, facile illis carituri, nisi jucundum esset, inde cognoscere statum literarium superioris ævi. Libenter verò properamus ad *Tomum octavum*, quo exhibentur nobis undeviginti opuscula historica, de quorum autoribus Editor more suo, id est, doctissime disserit in Præfatione. Ac primo quidem loco deprehendimus *Catharina de Geveviler*, Priorissæ Ordinis S. Dominici, librum *de vitis primarum sororum monasterii sui*, quod Colnariæ est in Alsatia. Accedit appendix de aliis ejus cœnobii sororibus. Si quis legendis miraculis & visionibus, itemque austerissimæ sanctitatis exemplis delectatur, ei lectio hujus operis jucundissima sit, necesse est. Nos inter tot sorores sanctas nullam offendimus, quæ cum *Catharina* illa doctis mulieribus adscribi posset socia: nisi quod p. 412 unâ memoratur *αὐτοῦ ἑαυτῆς*. Sequitur *Irimberti*, Abbatis Admontensis, *Narratio de incendio monasterii sui, ac de vita & moribus virginum sanctimonialium Admontensium*: *Joannis de Ellenbogen*, Abbatis Waldsassenfis, liber *de vita monachorum monasterii sui*, miraculis plenus & visionibus: *Anonymi Sublacensis* liber *de modo vivendi cœnobarum monasterii sui*: *Martini de Senging Tuitionei observantiæ regule S. Benedicti*, oblata Patribus generalis Concilii Basileensis: Ejusdem *Epistola de statu monasterii Bursfeldensis*: *Joannis Capistrani Epistola ad Universitatem Viennensem*, qua exponit felices Catholicæ fidei progressus in Moravia, & Universitatem illam rogat, ut aliquot doctos viros ad se mittat, qui publicæ suæ cum Rockizano Hussita concertationi intersint: Ejusdem *Epistola de publicis & promiscuis balneis religiosorum*: *Udalrici de Weilheim Epistola de tribulationibus & procellis monasterii sui ob sanctioris disciplinae introductionem*: *Leonardi Epistola de obitu Abbatis Mellicensis*, *Nicolai de Mazon*: *Joannis de Welming Epistolæ de restituenda in ordine S. Benedicti monastica disciplina & procuranda rituum ac observantiarum conformitate*. Sequuntur plures breviores Epi.

Epistolæ, quas præterimus, majori jure mequorantes *Vitam Joannis de Weilheim*, Prioris Mellicensis Sæculo XV, ex qua intelligimus, eum scripsisse libros quamplurimos: Johannis, Episcopi Eystetenfis, *Historiam reformationis monasterii S. Walpurgæ*: Anonymi Carmen rhythmicum *de miseriis ordinis monastici*, e quo hocce versus specimenis gratia producimus:

*Olim, dum simplicitas Ordinis vigeat,
Nos laudabant homines, nullus nos laedat,
Collectas ab Ordine nemo requirebat,
Sed Ordo pacifice Deo serviebat.
Nunc videntes homines grandes apparatus,
Equos, & sammarios, splendor ornatus,
Dicunt: Nisi locuples esset horum status,
Non valerent duceri tales equitatus.*

JO. LAUR. MOSHEMII, TH. D. ET P. P. O.
Cogitationum in Novi Testamenti locos selectiores
Liber primus.

Hannoveræ, apud Nic. Fœrster. & fil. 1726, 8.

Plag. 17.

CEL. Autor hætenus varias proposuit disputationes Academicas, in quibus dicta quædam N. T. curatius paullo excutere voluit. Harum quædam jam in forma tractatus comparent; quibus S. R. Autor modestam præmisit præfationem, in qua ingenue fatetur, quod nec omnia hic dicta pro novis nec pro plañe expeditis & apodicticis venditet, & dissentientes æquo velit ferre animo. Decem autem omnino capitibus primùm hunc cogitationum suarum librum absolvit. Primum in parabolam de operariis in vinea *Matth. XX* sq. inquit, per operarios in vinea primos cœtus Christiani doctores, per denarium autem præmium terrestræ intelligit, nempe tum extraordinariam Spiritus S. virtutem, quæ in eorum erat mentibus, imprimis potestatem miracula faciendi, tum insignem laborum suorum fructum, quem quotidie in populis ad Christum adducendis capiebant; & præter hæc nil in ipsis fuisse, quod præmii indolem referat, judicat. Ad hæc

S

expo-

- expositionem firmandam, præsupponit, quod in parabolis non omnes circumstantiæ nimis sint premeendæ, sed ex scopo omnia dijudicanda, quem h. l. ex antecedentibus merito repetit. Quod vero non alii, quam primi dōctores Christianismi intelligi debeant, Cel. Vir probare nititur, quoniam hi soli tum temporis ædes & suos libere deseruerint, cum reliqui Christiani domi suæ manere quiverint, illi vero, quos tyranni ejecerunt, non libere sua deseruerint. Per diversas horas quid intelligat, non tacet, & quidem hora prima conducti Cl. Viro sunt duodecim Apostoli ab ipso Christo vocati, ultimis vero horis vocati, Paulus & Apostolorum successores in Ecclesia plantanda. Nec jure tradit potuisse primo vocatos succensere Christo, quod sibi non majorem mercedem & donorum mensuram dederit, quam ultimis. Tandem & dubia removet, quæ ipsimet suam videbantur sententiam premere. Inter quæ principem ipsi locum tenere illud videtur, quod hoc præmium in vespera demum distribuatur. Et de hoc profitetur: „ Quod ad vesperam attinet, cujus mentio hic fit, „ quomodocunque interpretemur illam, in difficultates non temere solvendas incidemus. „ Ad objectionem vero, quod primo vocati adeo temerarii haud fuerint, regerit, ex Gal. II, 6 & aliis locis contrarium patere. Secundum caput Joh. IV, 48 exponit, quod Judæi reprehendantur, quia ipsis suis oculis miracula videre & fidis aliorum relationibus minime stare voluerint. Tertio capite *Matt. V, 3* pauperes spiritu de illis exponit, qui opes spernunt, nec earum, si desint, desiderio excruciantur, aut si adsint, amore studioque ægrotant. Capitis quarti summa eo redit, ut Act. XVII, 23 Deum ignotum ipsum supremum numen probet, quod gentiles etiam ignotum dixisse, e Socrate, Platone, Statio & aliis comprobat. Quod amor *Job. XIII, 34* novum audiat præceptum ob novam normam, exemplum Christi, jam additam, rejectis aliorum expositionibus, capite quinto it probatum. Sexto autem capite de vera natura communionis bonorum inter primos Christianos disserit, & communem expositionem non probans, suam addit conjecturam, nihil aliud hanc Christianorum communionem notare, quam quod adeo liberales fuerint, ut, fratribus egentibus paratos se exhibuerint sua cum ipsis bona communicare.

p. 9 sq.

19 sq.

31.

47.

70.

88. sq.

91 sq.

119 sq.

nicare; quam sententiam S. R. Autor etiam contra objectiones tu-
tur. Cap. septimo prolixius, quam solet, 2 Cor. IV, 3-10 exponit, &
maxime in eo defudat, ut evincat, morte Christi designari, varias
calamitates ob Christum perferendas, unde Paulus colligat, Chri-
stum a mortuis resurrexisse, propter quem non vereantur dirif-
suna subire tormenta. Octavo capite 2 Tim. IV, 17 interpretatur
brevius, negando, quod leo, ex cujus ore Paulus se liberatum di-
cit, sit Nero, aut ejus legatus Helius Cæsareanus. Et licet non ne-
get, commodius leonem dici posse hostem Pauli, fabrum Ale-
xandrum, aut in sensu proverbiali hæc sumi posse: proprie ta-
men hæc exponere jure meritoque mavult, quod Apostolus, con-
demnatus, ut leoni objiciatur, intercessione amicorum (*Pbil IV,*
22) in aula Cæsaris absolutus fuerit. Quod *ἀγαθός* Rom. V, 7
denotet virum amicum vel beneficium, capite nono probatum de-
dit. Et tandem decimo capite docet, Matth. IV, 8 diabolum Chri-
sto in monte templi ostendisse tractum illum Palæstinæ, qui Pro-
curatori Romano parebat. Hinc mundus ipsi est Palæstina, omnia
regna vero sunt unum Regnum, uti Joh. VI, 45 omnes Prophetas
pro uno Esaiâ poni putat; non attendens, quod ibi signum
universale non occurrat. Interim, si cui hæc *τὸ πᾶντες* expo-
nendi ratio minus placet, concedit, regna aliquot, Judæam,
Samaritam & Idumæam, quæ Romanis suberant, intelligi posse.
Ut vero libet secundus in Ecclesiæ commodum feliciter succedat,
S. R. Autori divinam apprecamur gratiam.

אכטוי

Sive

MELONES ÆGYPTII, AB ISRAELITIS

desiderati Num. XI, 5, quinam & quales fuerint,

brevi διακρίσει ostendere conatur OLA-

VUS CELSIUS. D. T. & L.

O. P. in A. U.

Lugduni Bat. apud Contr. Wishoff, 1726, 8.

Plag. dimid. 4.

CL. Dn. Autor, qui inter alia Ingenii monumenta, jam anno
1714 R. Majemonidis tr. Kilaim in Lat. vertit, & publicis

dispp. in Acad. Upsaliensi, ubi Gr. L. tum Professor, defendit, jam quoque Professionem LL. OO. egregio hoc specimine ornat, & has linguas sibi haud peregrinas esse, exteris pariter abunde probat. Et quidem *Abattichim*, quo nomine deliciae Israelitarum appellantur, merito inter praestantissimos Aegypti fructus refert. Gratus etiam commemorat, se quondam in Glossario MSC. Bibliothecae Paulinae Lipsiensis legisse, quod מלונים Gallice exponantur per ליש כווקליש, quod *les bofacles* legit, & *blase* ita *le bodeques* pronunciatum esse, autumat, sequentia autem verba ראיג לור לינגא, ut obscura, non exponit. Cl. Autor *Abattichim* ab Ebraeo בטח deducit, non quod melones a salubritate & securitate comedendi ita dici queant, quod Ursino placuit, cum & Orientales Medici negent, melones plane salubres esse; nec ex Arab. بطح *humi stratum esse*, derivare vult; sed ingenue fatetur, se ignorare verum hujus vocis etymon. Subnectit differentiam melonum & melopeponum, & quia بطح *batich* orientalibus commune est melonum nomen, ipse pro Aegyptiis discernit, quos optimos fuisse & varii generis, annotat, & inter praestantissimos Aegypti melones eos refert, qui *Abdellavi*, item qui *Chiar*, & qui melones Indici dicuntur, quos ultimos a Persis *churbuse Hindi*, ab Arabibus *batich Alechder*, melones etiam *Raccenses*, & Europaeis melones aquaticos vocari, docet: & hac occasione observat, quod Persicum *charbuse* & Turcicum *karbuz* conveniat cum Germanorum *Kürbs* & Suecorum *kurbis*. Tandem colligit, per melones hos Aegypti, quos Israelitae desiderant, non solum melones Aegypti reliquos, sed etiam simul aquaticos intelligi debere, quia hi maxime reficere poterant populum sub gravi onere sudantem & mox in deserto sitibundum, immo quia, nisi hos connumeret, credibile non sit, quotannis Aegyptum tantum melonum produxisse, quantum & indigenis & tot peregrinorum milibus satiandis sufficeret.

DE THERMIS VALDERIANIS DISSERTATIONES DUE, AUCTORE JOHANNE FANTONO,

Regii

*Regii Principis Pedemontii Medico ordinario & in
Taurinensi Universitate Practicæ Medici-
næ Professore.*

Genevæ, apud Marc. Mich. Bouquet & Socios, 1725, 8.

Plag. 6.

THERMÆ Valderianæ sex milliaribus a pago Valderiensis in tra-
ctu montano Provinciæ Cuneensis Pedemontii sitæ scaturi-
unt, & inde nomen sortitæ sunt; vetustissimis temporibus ignotæ,
patrum vero nostrorum ævo frequentatæ & ad potum, balneum,
sudationem & stillicidium adhibitæ ac inter alias thermas a Viot-
to, Barifano, aliisque commemoratæ fuerunt. Fama potissimum
earum apud omnes gentes percrebuit, ex quo **VICTORIS
AMADEI** Regis Augustissima Mater propter infirmam valetu-
dinem ad eas se contulit, non sine maximo sanitatis emolumento.
Publico igitur consulturum se confusus Autor, factis variis experi-
mentis, observationes suas collegit & ad Johannem Mariam Lan-
cisium, **CLEMENTIS XI** Pont. Max. Archiatrum, jam
e vivis ereptum, per literas quondam transmisit, inuncque publi-
ci juris fecit. Conspiciuntur itaque hic binæ Dissertationes, in
quarum I de Thermis Valderianis, in II de reliquis fontibus Valde-
rii agit. In *priori* refert, thermas Valderienses, ex præruptæ rupis
clivo scaturientes, vel superiores vel inferiores esse; ex illis binas
ad potum & balneum adhiberi, sed adeo calidæ & quasi ufentes
existere, ut eas immergi digiti ferre vix queant, & qui bibunt,
paululum hætere soleant. antequam calicem labris admoveant,
has vero mox epotas nullam afferre molestiam: singulas perspi-
cuas maxime esse levioresque aqua torrentis, in quem proximè
confluunt, nonnihil tamen sulphurei redolere, & unctuosi quid
digitis imprimere; alia etiam quædam pingua corpora, vulgo
muffas dicta, in vicinia fontium & eorum defluxu ipsisque faxis in-
hærentiâ observari. Præter sulphur adesse quoque inculcat sal al-
calicum, nitro antiquorum simile, & sedimentum in lagenis ter-
restre & falsum deponi. Sicque didicit, in aquæ uncis decem sa-
lis vix grana duo, terræ grana tria contineri. Utiles judicat has
aquas non solum curandis morbis, quibus in universum omnes

adhibentur thermæ, sed propter modicum sulphur, quod vehunt, & minimam salis quantitatem, longe aliis quibusvis etiam præcellere ac tutius usurpari, sive puræ sive addito stimulante aliquo pharmaco, quod modo alvum aperiat, modo urinæ secretionem promoveat, in usum vocentur. Muffas commemoratas luti, quæ hæ aquæ deslituntur, vices supplere addit; & eo tutius quidem, quo pauciore sulphure & sale sunt refertæ, minorique calore polleant. In *Dissertatione posteriori* alios commemorat Valderii fontes, ut vitriolatum dictum, qui tamen parum vel nihil de Marte participat, & alterum exiguum, citra torrentem scaturientes, in parte averfa rupis tres alios parvo intervallo a se invicem distantes, ut S. Luciz, binosque alios, omnes calidos; imo quamplurimos etiam frigidis fontes in iisdem rupibus, e quibus thermas prosiliunt, scaturire perhibet, ac exillimat, æque facile thermas absunta omni materia, qua ignis subterraneus fovetur, primum in tepidas, mox in frigidas aquas, ac gelidos fontes in thermas, nova affluente materia, mutari posse.

Expediter und bewährter Medicus.

i. e.

D. DAVID FRIEDELII PROMTUS

Et expertus Medicus.

Lipsiæ & Rostochii, apud Georg. Ludov. Fritsch, 1726, 4.

Alph. 8 pl. 7.

IN conspectum hic prodit Praxis Medicæ, in III Volumina congesta, quæ alia tria mox excipient, omnes complectens morbos atque symptomata, quæ tam interna viscera cruciant, quam externe corporis superficiem lambunt, ita ut in I Morbi interni, in II Mulierum, in III Infantum tam interni quam externi in peculiaribus libris & capitibus exhibeantur. In quibus explicandis ita se gerit Autor, ut præmissa brevissima cujuscunque morbi descriptione & insinuata methodo medendi, ingentem suppeditet formularum farraginem, ex illis potissimum Autoribus desumptorum, qui medicamentorum *Evropskoy* thesauros confarcarunt; ubi vero proprias adducit observationes, arcana ubique sua crepet. Et

quanquam parum mereantur gratiæ apud Medicos genuinos, qui idiomate Germanico ejusmodi Praxes luci publicæ exponunt, variisque formularum generibus locupletant, quod eo ipso occasio præbeatur empiricis, mulieribus, aliisque imperitis Pseudo-Medicis, illotas manus Sacris Apollineis ingerendi; hanc tamen noxam præcavisse se putat Autor, quod formulas eo ordine non apposuit, quo juxta sanam medendi methodum exhibere decet, quasque feligere, non nisi periti Medici est. Et verum si fateri licet, actum esset e. g. cum dysentericis ægris, si in medicamenta assumerent eo ordine, prout in Part. II Lib. XI cap. 4, in quo ultra quinquaginta formulæ & evporista medicamenta commendantur, conscripta leguntur, siquidem abstergentia & adstringentia usque adeo sunt dispersa, ut summo judicio opus sit, ea a se invicem discernere. Specimen exhibendi labore merito supersedere possumus.
















EX PRÆNOBILISSIMI SAMUELIS KOLESERI de KERES-EER Litteris excerpta, de his quæ Cl. T. S. BAYERUS in Epistola, Actor. Ev. Suppl. T. IX Sectioni Ip. 20 inserta, de Alphabeto Tangutarum, ab ipso communicato, monuit.

Literaturæ Tangutarum censor vel defensor esse non possum, hoc tamen bona fide asserere, omnia ex Autographo rite descripta esse, optandumque foret, qui curiosis Itinerariis delectantur, ut integrum MStum luci datum, cum & recens sit, cum aliis illarum partium notitiis conferre possent. Qui illud scripto commisit, & autopta fuit, & interpretem plurimarum linguarum penes se habuit; nec in relationibus suis dubia aut falsa per ignorantiam posuisse censendus est. Reprehendi video, quæ de compacti-
one librorum MStum memorat: at ex reliquiis Scythicis adhuc hodie apud plebejos mos iste superest, & qui e captivitate Tartarorum redeunt, inter asserculos literas, ut vocant, salvi conductus, & quæ præter has documenta vel memorabilia scripta habent, conservare studiose assolent. Quoad scribendi modum, exemplum prostat in MSto, & quantam notitiam consequi potui, qui propiores Chinesibus, eorundem etiam scribendi modum observant.

Expungit

Expungit lit. ö & ü, quibus tamen nil frequentius apud Tartaros & reliquos Orientales; apud Hungaros maxime antiquos frequentissimæ, adeo ut quæ hodie per e pronuntiantur, ipsis fuerit ö. Numeros numerorumque figuras nuper, prout recordor, non addideram, nunc itaque sequuntur una cum idiotismo Hungarico adjacente.

Numeri Mogolico-Tangutani.

	1 Canfichan.	Egy.
	2 Choir.	Kettö.
	3 Torebun.	Három.
	4 Gorebun.	Négy.
	5 Tabun.	öt.
	6 Tsurgan.	Hat.
	7 Dolo.	Hét.
	8 Najeman.	Nyoltz.
	9 Jesun.	Kilentz.
	10 Arban.	Tiz.
	11 Arban Canfichan.	Tizenégy.
	12 Arban Choir.	Tizenkettö.
	13 Arban Torebun.	Tizenhárom.
	14 Arban Gorebun.	Tizeannégy.
	15 Arban Tabun.	Tizenöt.

16. Ar-

16	Arban Turgan.	Tizenhat.
17	Arban Dolo.	Tizenhét.
18	Arban Najeman.	Tizennyoltz.
19	Arban Jesun.	Tizenhilentz.
20	Cori.	Hufz.
30	Otschin.	Harmintz.
40	Dotschin.	Negyven.
50	Tabin.	ötven.
60	Sojtscheran.	Hatvan.
70	Dolon.	Hetven.
80	Najgan.	Nyoltzvan.
90	Jeren.	Kilentzven.
100	Soun.	Száz.

VOYAGES DE JEAN OVINGTON.

i. e.

RELATIO ITINERUM, A JOANNE OVINGTONO *Suratam* & in alia *Asia* *Africae* que loca factorum: ex *Anglico* in *Gallicum* sermonem versa.

Tomi II.

Parisiis, apud *Wilhelmum Cavelier*, 1725, 8.

Alphab. 2 plag. 9.

Autor hujus Itinerarii est *Johannes Ovington*, qui *Ministri Ecclesiae reformatae Anglicae* munus in ipsa *India* *Suratae* obiit. Cujus librum *Anglico* sermone conscriptum jam pridem proflare,

T t

fed

sed non admodum exteris vel cognitum vel aestimatum, refert Interpretēs, causam coniciens in dictionem ejus paulo perplexam & ampullis verborum tumidam, quibus tamen malis versione sua medicinam se attulisse ait, adeoque lectionem libri & jucundam & utilem futuram, sperat. De cetero commendatur ob diligentiam & judicium in exquirendis rebus, quas narrat, adhiberem.

Navem conscendit Autor *Gravesinda* April. 11 A. 1689. In itinere *Maderam* adiit, cujus primariam urbem non *Funchal*, sed *Fonchal* vel *Fonxal* dicendam, notat. Fertilitatem insulae hodie minorem notat, quippe non amplius 60 sed 35 vicibus proferunt frugum reddentem. Quatuor vini genera producit, inter quae optimum *Alonensi* bonitate inferius exiit, hoc vero peculiare habet, quod *Solis* radiis expositum redditur melius. De pisce *Albigore*, ex rapacium genere, observat, eum navem, maxima celeritate vectam, utpote singulis diebus 30 miliaria Germanica absolventem, per integram septimanam spe praedae secutum; ex quo colligit, pisces somnum non capere. Insulam *Anniboni* ait omnibus necessariis abundantem, incolis quoque Christianis Catholicae religionis instructam, sed Clericis destitutam, quia & auxilia caret. *Malimba* regni incolae in littoribus Congi circumcisionem observant, quam administrat homo quidam ad id destitutus. Singulis quinque diebus cultus divini causa convenitur, qui adhortationibus ad virtutem omnis absolvitur; mali terrentur societate *Benimbe* sive diaboli, boni animantur spe convictus cum *Zampoango*, quo post hanc vitam sint fructuri. Per hunc vero intelligunt eum, qui in Solem & stellas potestatem habet. Insulae *Madagascar* situs, qui *S. Augustini* vocatur, piratis Anglicis & Batavis saepius receptaculi loco est. Angli plerumque ad *S. Joannam*, quae est ex insulis *Comore*, appellant, mire fertilem; incolarum mores fatis simplices; bellum inter eos tam patum cruentum, ut armorum loco sint non nisi saxa. Tria genera nominum sunt in India Mogolica, *Mogoles*, qui admodum abusive *Mauri* vocantur, *Baniani* sive gentiles veteres, & *Parfi* vel *Gauri*. *Mogoles* dominantur, sed linguam eorum non admiserunt veteres incolae; *Baniani* injurias patiuntur potius, quam inferunt; divitias suas sollicite occultant; & pecuniam in majoribus negotiis nocturnum

numerant vel accipiunt. Mancipiorum enim fere loco habentur & omnia acquirunt Regi; quemadmodum in *Tonquinensi* regno opifices tribus mensibus pro Rege, duobus pro Mandarinis vel magnatibus, reliquis pro se & familia laborare coguntur. *Gauros* denique ex Persia, Saracenos fugiendo, huc delatos, *Ighem* colere superstitiose, mirisque ceremoniis uti, Nosler docet. Singulari, quod plane neuvini præter Principem permissum faciei vel corporis a Sole tegendi causa gestamen, quod *Parasol* vocant, portare. Indi opifices mira ingenii sagacitate & variis operibus excellere dicuntur; omnes calculos suos absque scriptura, solo ingenio absolunt; miri quoque sunt imitatores mercium Europæarum manu factarum, etiam vestium Europæarum, superstitiosi tamen, ita ut factores veterem vestem reficiendam matutino tempore non sumant, mali omnis causa. De *Siamensibus* data occasione refertur, maximam eos in sermone civilitatem, quam vocamus, erga feminas exhibere; & cum lingua eorum distinctione generis feminini & masculini careat, inde, cum formandum est femininum, masculino appellativo adungere eos vocem *juvenis*, atque adeo e. gr. pro *imperatrice* dicere: *juvenis Imperator*. Ceterum in ministerium Regis lecti, magnates præcipue, castrari solent, ut scilicet hæreditas eorum ad Regem eo certius perveniat. Sex integris annis pestem Surata durasse, quamvis interruptam, maxime vero circa tempus pluviale sævientem, refertur, quæ singulis diebus homines circiter 300 rapuerit, nullum autem, quod mirum, Anglum contempserit. Sævior fuit in urbe *Balsam*, adeo ut A. 1691 spatio 18 dierum ducenta millia hominum exstiterit. Ceterum de India, ipsaque Surata, relationes extant alibi non paucæ. Curiosiora sunt, quæ Autor de urbe *Mascatensi* in Arabia felici observat. Ambitum habet fere 3 milliar. Anglicorum; muris cincta, cum 5 vel 6 castellis, tormentis instructis. Dactylorum ingenis proveatus, sed in vallibus cultorum, superiora enim loca nuda & sole adusta. Animalium cibus sunt pisces semipetrefacti. Vino religiosius abstinent incolæ, quam reliqui Muhammedani, unde & sibi genuinorum Muhammedani discipulorum & Arabum rigidorum titulo placeant. Patribus & heris in liberos & servos jus castigationis nullum, cum omnia subsint arbitrio iudicis. Erga ex-

teros humanissimi existunt, naufragos imprimis. Prætermittimus plurimum Arabiæ urbium, ac portuum mari imprimis rubro adjacentium descriptionem; illud notamus, ostendi a Græcis Turcisque locum, ubi transisse per illud mare Israelitas credunt, 40 vel 50 mill. ab extremo maris distantem. Latitudo maris ibi 15 mill. profunditas in medio 35 orgyiarum nauticarum; littora ex parte Ægypti admodum edita, (unde & *montes Pharaonis* dicuntur) præterquam eo loco, quo transitum factum fuisse affirmant, ubi modica declivitate versus mare procurrunt, quæ in mare ipsum ad 8 vel 9 milliaria continuatur. Ad extremum maris celebratur urbs *Suez*, quam Ovingtonius pro *Suasa* Plinii habet, dictamque credit a *Sua* filio *Abraami* & *Cettura*. De præfectis provinciarum Aracanensis regni, quarum undecim existunt, Noster observat, singulis titulum Regis & coronam, insigne regium; supremum Regem Aracanensem concedere. Incolæ regni ejusdem inores, victum, appetitum habent plane singularem: feles, mures, serpentes, avidissime comedunt. Idolatræ sunt omnium pertinacissimi. Nec minus corrupti *Peguani*. Matrimoniorum apud illos nulla religio; Diabolum maxime, & metunt & colunt, autorem quippe mundi duplicem bonum & malum venerantes. Esse tamen ex eorum gente sacrificulos quosdam; *Telapoinis* dictos, memorat, qui errores hos ex animis eorum evellere studeant, sed frustra. Alias absurdas opiniones de æterna successione mundorum increatorum, numero Deorum, summa animarum felicitate, quæ ipsis in annihilatione fingitur, consulto prætermittimus.

INSCRIPTIONUM SINGULARIUM MAXIMAM PARTEM NOVISSIMARUM FASCICULUS, QUAS JUNCTIM EDIDIT

JOACH. CHRISTOPH. NEMEIZ, Ser. Waldecæ Principi a Consiliis aulicis.

Lipsiæ (apud Jo. Frid. Gleditschii B. Fil.) 1726, 8.

Alph. I.

CUM ante quadriennium Italiam peragraret Cl. Autor, styli lapidaris, quo ipse non parum excellit, ductus amore, inscriptiones, quas ingenio suo accommodatissimas censuit, quæque

que vel factum aliquod memorabile in se continent, vel Personæ cujusdam illustris mentionem faciunt, vel etiam styli nitore dictionisque acumine se cominendant, diligenter annotavit, recentiores imprimis, Grutero, Reinesio, Sponio aliisque vel nondum visas, vel prætermittas. Miratur vero imprimis, alium in Venetis & Patavinis, in Neapolitanis, Romanis, Florentinis & Mediolanensibus iterum alium deprehendi scribendi modum, singulasque suas habere Veneres, solo natali proprias. Et eodem quidem ordine, quo se Nostro obtulerunt in itinere, eas exhibet, sacras tantum, eas scilicet, quas in templis & locis sacris positas offendit, etsi res sacras non omnes contineant, & profanas a se invicem discernens. Quantum vero ex his ipsis non civilis modo omnis, verum & literaria imprimis historia illustrari possit, nemo non intelligit, cum de vita, diebusque natalibus & emortalibus eruditorum in Italia virorum, de quibus ad nos pauca afferuntur, testes haud dubie certissimi sint lapides. Addidit Autor in fine inscriptiones aliquas sumptè Marte de rebus Suecicis compositas, quæ legi utique merentur.

NOVA LITTERARIA.

DEdit hoc ipso mense ad Cl. Jo. Burch. Menckentium nostrum Epistolam, quinque in fol. plagulis impressam, Vir Cl. Johannes Georgius Estor, Juris in Acad. Giessensi Prof. qua simul eruditus nuntiat, se una cum Celeb. Jo. Hermanno Schminckio, Hist. in Academia Marburg. Prof. Publ. & Cl. Ayrmanno, Prof. Hist. Giessensi, Collega suo, Historiam Hassiacam, partitis inter Socios operis, jussu & auctoritate Celsiss. Hassiæ utriusque Principum X Libris conscribere instituisse. Cujus Historiæ en conspectum, e consilio Cl. Schminckii; Lib. I de Hassia Antiqua. C. 1 de Cattorum origine & nomine. C. 2 de sedibus illorum ad tempora usque exori nominis Francici. C. 3 de variis populis, Batavis nimirum, Mattiacis, ceteris, qui ex hac gente prodierunt. C. 4 de fluviis, fontibus, silvis, montibus, reliquis. C. 4 de rebus gestis domi & foris, ubi de bellis cum Romanis vicinisque. C. 7 de Cattis sub Cistrhenanis Francis. C. 7 de Cattis sub Thuringorum regno, ubi illius origo, divisio & interitus. C. 8 de Cattis sub Francis Transrhenanis Merovingicis. C. 9 de corporis & ingenii dotibus illorum, ubi præcipui eorum mores ac consuetudines recensentur.

C. 10 de forma regiminis, ubi de ipsorum Regibus, judiciis, reliquis. C. 11 de religione veterum Catorum. C. 12 de variis populis, qui Hassiæ fines incoluerunt, posteaquam Franci Rhenum traiecerant. Lib. II *de Hassia Media*. C. 1 de Hassorum nomine & origine. C. 2 de Hassorum sedibus & limitibus. C. 3 de statu Hassiæ sub Carolingorum Regibus. C. 4 de statu Hassiæ sub Ducibus, Mârchionibus, & Comitibus Franciæ orientalis; ubi genealogia eorum, fata, res gestæ, quantum, ob monumentorum hujus ævi defectum, fieri potest, & ad Hassiam facit. C. 5 de statu Hassiæ sub Thuringiæ Landgraviis in genere. C. 6 de variis pagis eorumque Comitibus in Hassia. C. 7 de religione Hassorum, ubi in originem Christianismi hinc in oris inquiritur. Lib. III *de Hassia hodierna*. C. 1 de Hassiæ Landgraviatu in genere, ubi de ejus separatione a Thuringia agitur. C. 2 de variis Hassiæ incrementis, accessione variorum Comitatum, dynastiarum, præfecturarum, urbium, reliquorum, in genere. C. 3 de Landgraviatu Hassiæ in specie, ubi ejus urbes, præfecturæ, monasteria enarrantur, nec non ea, quæ de his notatu digna ex medio & recentiori ævo conservata sunt. C. 4 de Comitatu Ziegenhaynensi, ubi de Comitibus ejus, deque jure advocatiæ in monasterio Fuldensi agitur. Præterea hic enumerantur præfecturæ, urbes, monasteria, naturæ miranda, aliæque memoratu digna: item qua ratione ad Hassiæ Landgraviis pervenerit, quidque in contrarium molitus fuerit Fridericus III Imperator, qui hunc æque ac Niddanum Comitatum, ut feuda caduca, imperio vindicare conabatur. C. 5 de Comitatu Niddano, de quo dissetur, uti de Comitatu Ziegenhaynensi. C. 6 de Comitatu Cattimelibocensi, uti supra, nec non de consiliis Friderici III Imperatoris, qui cum Imperio hunc Comitatum consolidare allaboravit, item de litteris, quas vocant, expectativis Georgio Podiebrazky in hunc Comitatum concessis, denique de litibus variis ac diuturnis, quæ ratione successionis Hassos inter & Nassovios intercesserunt. C. 7 de Comitatu Deciæ, uti supra. C. 8 de Principatu Hersfeldensi, ubi origo, fata, incrementa & decreta hujus Abbatæ investigantur, Abbates ac monachi celebres enarrantur, qui vel Episcopatum, vel Abbatiam, vel præposituram aliorum cœnobiorum consequuti fuerunt. Quibus ad-

jici.

jiuntur urbes, monasteria, præposituræ, cetera. Tandem de variis pactis Abbatum cum Hassiæ Landgraviis tractatur, quaque ratione & jure ad Hassos pervenerit, ostenditur. C. 9 de Comitatu Schaumburgensi, ut supra. C. 10 de variis Comitatibus Hassiæ, qui olim floruerunt, nunc vero solo nomine vix cogniti sunt, e. g. de Comitatu ad Vierram, Reichenbachiano, Wetterano, Battenbergensi, ceteris. C. 15 de variis dynastiis Hassiæ Landgraviatui adnexis, quales sunt: Schartenberg, Schœnenberg, Plesse, Franckenstein, Liesberg, Königsberg, Epstein, Bikenbach, Helffenberg, Iuter, Treffort, Schwarzenfels, Naumburg, reliqua. C. 12 de præfecturis peculiaribus & oppidis, quæ vel jure belli, vel emtionis, vel pacti, cetera, Hassiæ accesserunt: ut Helmershausen, ubi de origine & fati hujus monasterii, Libenau, Pridewald, Vach, Volckershausen, Grebenau, Ulrichlein, Cleberg, Mosbäch, Marca Fuldensi, Homberg an der Höhe, Umstätt, Freudenberg, reliquis. C. 13 de statu religionis in Hassia ante reformationem. C. 14 de reformatione Philippi magnanimi. C. 15 de origine religionis reformatæ in Hassia inferiori. C. 16 de variis conventibus in causa religionis, utpote Hombergensi, Marpurgensi, Casselano. Lib. IV de Hassia Politica. C. 1 de variis Hassiæ divisionibus ante Philippum magnanimum. C. 2 de divisione Hassiæ sub Philippo magnanimo. C. 3 de divisione Hassiæ duplici post obitum Ludovici, testatoris, inter Hasso-Casselanos & Hasso-Darmstadios; ubi de dissidiis, quæ hinc exorta, in genere agitur. C. 4 de feudis, quæ tenent Hassiæ Landgravi ab imperio aliisque Germaniæ proceribus. C. 5 de feudis, quæ tenent varii Principes, Comites, & nobiles ab Hassiæ Landgraviis. C. 6 de pactis mutæ defensionis inter Hassos, Saxones & Brandenburgicos, ubi origo illorum. C. 7 de pactis mutæ successione inter prædictos. C. 8 de pactis familiæ inter Hasso-Casselanos & Hasso-Darmstadios. C. 9 de pactis cum Principibus apannagiatis lineæ Hasso-Casselanæ, ubi de illorum origine agitur. C. 10 de pactis cum Principibus apannagiatis lineæ Hasso-Darmstadinæ eorumque origine. C. 11 de jure primogenituræ sæpe interrupto tandemque restituto ab Imperatore. C. 12 de austregis Hassiacis. C. 13 de privilegiis & juribus singularibus Hassiæ Landgraviorum in politicis

ticis & ecclesiasticis, tam ante, quam post reformationem, ubi de variis privilegiis appellationum: de non evocando ad iudicium Rothwilenſe: de jure advocatiæ in Huxar: vogtiæ in Wezlar: de ſingulari jure in clericos ante reformationem, C. 15 de ſummis Haſſiæ judiciis tam in eccleſiaſticis quam politicis, quæ ab Haſſiæ Landgraviis tam communiter, quam privatim, exercentur. C. 15 de noſocomiis aliisque monaſteriis, quæ communi nomine ab Haſſiæ Landgraviis adminiſtrantur. C. 16 de variis ſuffragiis in conventibus Imperii, item de alternationibus. C. 17 de prætenſionibus Haſſiæ Landgravorum. C. 18 de titulis illorum. C. 19 Inſignia eorum exhibet, ubi de variis illorum mutationibus, & acceſſionibus. C. 20 de nummis antiquis & recentioribus. C. 21 de academiis & gymnafiis Haſſiacis, ubi illorum origo, fata, Profeſſores. C. 22 de conventibus provincialibus & Haſſiæ ordinibus. C. 23 de legibus & conſuetudinibus præcipuis Haſſiacis, Lib. V de Landgraviis Thuringiæ & Haſſiæ. Lib. VI de origine Lotharingiæ & Brabantæ ducum ad tempora Henrici pueri. Lib. VII de Henrico puero ad Philippum magnanimum incluſive. Lib. VIII de Wilhelmo IV ad tempora *Caroli* uſque incluſive. Lib. IX de Landgraviis Haſſo-Darmſtadinis ad *Erneſtum Ludovicum* uſque incluſive. Lib. X Codex diplomaticus Haſſiacus. Præterea idem Cl. *Eſtor*, ut ex eadem Epistoſa patet, Vitas Theologorum, JCo-
 rum, Medicorum & Philoſophorum Giellenſium edere conſtituit. Denique cum Vir Perilluſtris, *Valentinus Ferdinandus de Gudenur*, anguſtiſſimi Tribunalis, quod Wezlaræ floret, Aſſeſſor, incredibilem apparatus poſſideat diplomatum authenticorum aliorumque veterum monumentorum, quem ut Noſter edat, perbenigne conceſſit, hoc titulo opus omnibus exoptatum edere parat. *Theſaurus MSS. veteris ac recentioris ſævi ſelectorum & variorum, complexus diplomata, fundationes, privilegia, donationes, immunitates ab ſummis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Principibus, Comitibus & proceribus, eccleſiis, monaſteriis, aliisque locis & perſonis conceſſa; item Chronica & Virorum eruditorum epistoſas, nuquam antea editas.*

Proſtat Supplem. T. IX Sectio III.



No. VIII.
A C T A
ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXXVI.

M. FABII QUINCTILIANI DE ORATORIA
*Institutione Libri XII. Totum textum recognovit, pluribus
in locis emendavit, selectas variorum interpretum notas re-
censuit, explanavit, castigavit; novas, quibus difficiliora
Quinctiliani loca illustrantur, & antiqua Græcorum Lati-
norumque Technologia explicatur, adjunxit CLAUDIUS*
**CAPPERONNERIUS, Mon-Desiderianus, Li-
centiatus Theologus Parisiensis, & Regius**
Græcarum Literarum Professor.

Parisii, typis Viduæ Ant. Urbani Coustelier, 1725, fol.

Alph. 10 plag. 20.

Fuisse aliquam hujus libri, licet exiguam, expectatio-
nem, haud ignorant, qui, quam omnia magnifica pro-
miserit Cl. Editor, recordantur. Burmannianam editio-
nem longissime a perfecta abesse, dictitabat, & numeris
omnibus absolutam Reip. litterariæ debere. Quis vel hæc audiens
non vadimonium desereret, ut perfectam tandem Fabii editio-
nem nancisceretur? Sed qui noverant, quam pauci hodie apud
Gallos reperiantur, qui interioribus litteris aliquod pretium po-
nunt, aut iisdem probe sunt tincti, ii jam olim modice de Cappel-
ronnero sperabant. Morbus enim ille, qui Delphinicos inter-
pretes corripuit, nondum sopitus esse videbatur: & qui ab hac
suspensione vacui erant, nunc certe, cum primum Quinctilianum
hunc inspicient, in eandem sententiam discedent. Minellianis,
Delphinicis & puerilibus annotatiunculis omnia referta sunt: at-
que si tales notas Remp. litterariam (hoc est, Capperonnerium, una
cum

cum tribus quatuorve fociis) expectasse putat Cl. Editor, vel sic Reip. male consultum esse, passim videre licet. Alibi etiam tirones norunt, quid sint *responsa*, ubi *oracula* adduntur; Noster vero p. 274 nota 150 quadruplicem interpretationem attulit, lectori electione relicta: quem valde veremur, si talibus notis indiget, incertiore multo futurum, quam fuit dudum. Sane qui p. 1 laxam annotationem de *convicio*; & p. 3 notam in notam Parei, qua hic Martialem *poetam cocum* vocaverat, & multis paginis similia legunt, ii non leviter irascuntur, aut saltem admirabuntur, quando aliis locis longe exquisitiores formulas, rariora vocabula, aut aliis de causis obscura loca, ne tacta quidem ab hoc interprete, nedum illustrata esse videbunt. Verum in his etiam pro more sui generis hominum agere debuit, qui valde garruli sunt & magno apparatu nihil agunt, ubi nemo ingenium & operam eorum desideravit: ceterum ubi difficultates incidunt, muti sunt. Si itaque superioribus editionibus obscuriorum verborum interpretationes defuerunt, & ob id nova procudenda fuit: aliam præterea procudendam esse, res ipsa docet. Si ob Technologiam illustrandam hæc libri moles protrudenda fuit, adnotationes ad Libr. IX clamabunt, quam hodieque multa desideremus. Plura ut addamus, non est opus. Nam specimina quo minus, ut mos noster habet, asseramus, egregia & perlepidæ opera Celeberr. Burmanni effecit, qui sequenti epistola accurate totum opus recensuit, gloriamque suam probe vindicavit.

PETRI BURMANNI EPISTOLA AD CLAUDIUM CAPPERONNERIUM, Theologum Licentiatum, Diaconum Ambianensem & Græcæ linguæ Professorum, de nova ejus M. FABII QUINCTILIANI de Institutione Oratoria editione.

Leidæ, apud Sam. Luchmans, 1726, 4.

Plag. 14.

Initio in universum de editione sua Quinctiliani, & molimine Capperonnerii, nec non de causis odii Gallorum quorundam erga

erga se diserte agit Vir Celeberrimus. Se nunquam omnem Gallorum gentem lacerasse aut infamasse testatur; ineptos tantummodo quosdam, & omnibus eruditis exosos traduxisse: cura contra plurimi Gallorum in omnes promiscue Germanos acerri- ma & falsissima opprobria conjecerint. Simul erudite ostendit, quæ causa sit, cur hodie elegantiores litteræ & omnis propemodum doctrina a Galliis exsulent: & quam sit inhumani- ter factum, quod se vivente & vidente, suum laborem Capperonnerius inva- ferit & pro lubitu tractaverit. Deinde ordine & per species atque capita accusationes & notas Capperonnerii excutit, & *Cap. qui- dem Primo Epistola ad Potentiss. Regis Francie Magistrum, Episco- pum quondam Foro-Juliensem, atque primum accusationis caput examinatur.* *Cap. II secundum accusationis caput, de non receptis in textum melioribus, quæ in notis occurrunt, lectionibus,* discuti- tur: ubi hanc culpam, si ita vocanda erit, tantum abest ut depre- cetur eruditiss. Burmannus, ut hanc modestiam etiam præ se ferat, ut audaciam eorum, qui ablandientes quascunque lectiones sta- tim in contextum infarciunt, potius damandam esse censeat. *Cap. III agit de variis lectionibus & plurimis ex iis inutilibus,* quod tertio loco reprehenderat Capperonnerius, prodens eo facto, quod ipse sit alienissimus ab arte Critica. Sæpe enim ex manifeste falsis lectionibus & metis librariorum ludibriis alii Vici docti ve- ras lectiones erueunt. Burmannus autem præterea ostendit, ipsum adversarium suum multas ineptas lectiones servasse, & ve- luti ab se dissentientem, farraginem inutilium lectionum, quam ex Campani editione Maittairius excerptam transmisit, non fasti- diisse, sed invidioso præconio ornasse. *Cap. IV refutat ea, quæ de notis partim ad rem non pertinentibus, partim obscurantibus mentem Fabii, partim erroribus scatentibus &c. objecerat adver- sarius.* Et quoniam hoc telo Burmannus tantummodo per corpora Turnebi, Mosellani, Almeloveenii aliorumque, quorum notas suæ editioni adjecit, petitur, facilius declinare ictum potuit. Hoc loco simul alterius Viri docti, qui idein crimen Gravio quondam inpegerat, errorem emendat. *Cap. V accusationis caput ultimum de vocibus Technicis non explicitis refellitur.* Aliter Critici, aliter terminorum aut artis doctores libros tractant; & ipse Celeb. Bur-

mannus id genus notarum longe a se futurum, Præfatione professus est; quod certe non dissimulare debuerat adversarius. Facile itaque criminationibus se liberavit Burmannus; sed necessitatem etiam sibi impositam vidit de meritis adversarii sui in Quintilianum quædam addere. Igitur *Cap. VI tractat de calumniis & mala fide Capperonnerii*, v. g. quando exprobrat Burmanno, quod vitiosam Leidensem editionem *κατὰ πρόδα* secutus sit, ejusque mendas fere semper exhibeat; quod Ciceronis locum aliquem perperam advocaverit; quod non semper diverso characterum genere (hem, puerilis accusatio!) distinxerit aliorum adducta loca a suis, & quæ sunt alia hujus generis, easque cavillationes falsas esse evincit. *Cap. VII plurima furta & plagia Capperonnerii* indicantur, commissa non modo in Lexica & aliorum obvios libellos, sed in ipsas Celeb. Burmanni notas. Eaque imprimis inspexisse juvabit, quia oppido eleganter Burmannus fraudem Plagiariorum detegit, & hominum quorundam, qui his artibus gloriam quærent, impudentiam demonstrat. *Cap. VIII inscribitur de notis Capperonnerianis ex reprehensione inepta priorum interpretum natis*, ubi potissimum de notis Pseudo-Turnebianis agitur, quarum vitia, iniquissima calumnia, Capperonnerius adscribit Burmanno: obiter etiam (p. 60) ostenditur, Capperonnerium alienos errores secure excerpisse & propagasse. *Cap. IX agit de notis ineptis, puerilibus & Minellianis*, qualia sunt: Ceterum *Θεοφρασος* (Theophrastus) fit ex *Θεός*, Deus, & *Φράζω*, eloqui; civilis scientia, & sapientia, sive civilis prudentia; translata sunt metaphorica & translationes; metaphoræ vel *μεταφάσεις* (ubi obiter Clerici quædam hallucinationes tanguntur) & infinita alia: sed delectabit inspicientes maxime pagina 68. *Cap. X* habet *notas inutiles & ex sola obtrectandi & obloquendi libidine natas*, & *Cap. XI ignorantia Capperonneriana specimina ex multis pauca*. Confundit nempe *lacus & torcularia*; *rogationes & SCæa*; item ubi in variorum notis *leges* ex Digestis aut Codice citantur per nudam litteram *l*, Capperonnerius, ridiculo lapsu, inde *libr. h. e.* libros effluxit: nec non in citandis aliis autorum nominibus sæpe turpiter sese dedit. Finem Epistolæ imponunt suavissimi Hendecasyllabi, quibus fastidium severioris lectionis tandem abstergere voluit

voluit Burmannus. Et ut Epistola ipsa nitidum & fluidum (quo longe ante alios Vir Celeberrimus excellit) scribendi genus, ita numeri illi Catulliani tantam gratiam Poeticam spirant, ut legentis animum ad iterum iterumque legendam subinde invitent.

Nos, qui Virum Celeberrimum in odiosa ista re tam hilariter desuisse videmus, tranquillitas ista & desecatus animus ut propria & perpetua ipsi sint, publici commodi causa precamur. Ita certo nobis promittere poterimus, fore, ut quæ in Catalecta veterum Poetarum Vir eruditissimus meditatur, propediem publicam lucem aspiciant. Duo præterea hic addere debemus: primum, quod in Præfatione huic Epistolæ præfixa Cl. Autor contra Clericum quædam admonuerit; deinde quod *Indicem* etiam adjunxerit rerum omnium in Epistola comprehensarum, quem hic integrum exhibere placet:

I N D E X.

CAPPERONNERII calumnia, obreclationes, ignorantia, furta, ineptia, errores &c. pag. 1-102.

RERUM GERMANICARUM SCRIPTORES
aliquot insignes, primum Collectore JOANNE PISTORIO, Nidano, tribus Tomis in lucem producti; nunc denovo recogniti, adjectis Notis & Indice rerum, personarum ac locorum copiosissimo, Editione tertia emendatiori & locupletiori ad usus publicos redacti, curante BURCARDO GOTTHELFF STRUVIO, Ser. Ducum Sax.

& Marchionis Brandenb. Consil. Aul. Historico Saxon. & in Acad. Jen. Prof.

Tomi III.

Ratisbonæ, sumptibus Jo. Conr. Peetzii, 1726, fol.

Alph. 33 pl. 9, non computato Indice, qui adhuc expectatur.

Cum jam pridem rarefcere cœperit utilissima hæc Collectio Pistoriana, cujus quidem Tomus I Francofurti 1583 & alter 1584, iterumque uterque Hanoviz 16:3, tertius vero separatim sub tit. *rerum German. Scriptores VI*, Francof. 1607 & 1653, novoque

titulo: *rerum familiarumque Belgicarum Chronicon Magnum*, 1654 prodierunt; gratiæ utique debentur Celeb. *Struvio*, qui libri emendatus, quantum ob Codicum defectum fieri potuit, recu- dendum auctor existit typographo, & cum notulas passim, primo præsertim Tomo, addidit, tum singulis scriptoribus præmisit, quæ ad ipsos eorumque scripta pertinerent. Generationem vero operi præfatus, recenset plures rerum Germanicarum collectiones, simulque spem facit novæ, quam ipse parat, collectionis, partim ex MS, partim ex aliorum, ut A. & F. Duchesnii, Labbei, Ache- rii, Mabillonii, Baluzii, Martene & Durandi, ac reliquorum col- lectaneis, Actis item Sanctorum & similibus de promptæ, ut scilicet, quæ ad rem Germanicam spectant, e tot sumptuosis Volu- minibus conquirendi tædio supersedere Lectores possint. Jam cum publice constet, quæ in hoc opere contineantur, adeoque supervacaneum videatur, vel solos librorum titulos repetere, ea tantum commemorabimus, quæ imprimis novi Editoris curæ debentur.

Tom. I.

In *Reginone* emendando Paulum, Warnefridi filium, quem is sæpe ad verbum descripsit, & Annalissam Saxonem, nu- per ab Ill. Eccardo editum, qui veteres Reginonis Codices secutus, multa ex illo deprompsit, non infeliciter adhibuit Cl. Editor, qui & in illo notis suis illustrando præcipuam operam posuit. *Hermannum Contractum* Noster ex editione Ursifiana & Canifiana, quæ & Tomo XI Bibliothecæ Patrum Colonienfis inserta est, & emendatiorem & locupletiozem dedit. *Lamberto Schaffnabur- gensi*, septies antea edito, & *Martiano Scoto*, seu potius Hiberno, notas hic illic addidisse satis habuit. In *Sigeberto Gemblacensi* exor- nando nihil omisurus, multa in textum Pistorianum recepit ex editione septima, quam Aubertus Miræus e Codice Gemblacensi procuravit A. 1608 Antverpiæ, sed aliis litteris expressa, & præter continuationem *Roberti de Monte*, quam & Pistorius dederat, ex Miræi editione addidit auctaria *Anselmi Gemblacensis*, tum & alia, *Gemblacense* scilicet, *Affigemense* & *Aquicinctinum*, ut & appendicem *Samsonis Rhemensis* Archiep. Quod vero Sigeber- tum hunc cum reliquis inter Miræi Opera Bruxellis nuper (1723 duobus Voluminibus in fol.) editis iterum prodidisse existimat Cel. Editor, in eo quidem falli videtur, cum Volumen I præter Codi-
cem

cem Donationum piarum, Diplomatum Belg. Libros II, Donationum Belg. Libros II & Notitiam Ecclesiarum Belgii, nihil continet, & Tomus II folis diplomatum Supplementis repletus sit, a Jo. Franc. Foppens singulari studio collectis: nun autem cetera quoque Miræ Opera denuo expectanda sint, adhuc in incerto est. Impsimis novam hic lucem sceneratus est Noster *Epitome Siffridi Presbyteri*, additis quippe ex tribus Codicibus, quorum unus nitide scriptus in membrana, qui olim monasterii S. Jacobi in Pegavia fuit, nunc in Bibliotheca nostra Paulina exstantibus, variis lectionibus & supplementis, alio tamen caractere distinctis; quæ se debere Cl. Jo. Burch. Menckenio nostro (qui ea suæ Scriptorum Gerin. præcipue Saxon. & Misn. Collectioni, quæ nuperime prelo subiectæ cepit, destinaverat) gratus proficitur. *Pauli Langii* Chronicon Ciucense prorsus recusum ad Pistorii exemplum pauculisque notis instructum prodit, cujus cum Codicem satis vetustum exstare in Bibliotheca Guelferbytana nobis constet, ejus forte collationes sibi comparabit Menckenius noster & Collectioni suæ inferet; quæ & ejusdem *Langii* Chronicon Numburgense, nondum editum, exhibebit. Dum *Anonymi Erpbesfordiensis* Historiam de Landgraviis Thuringiæ producit, Historiam Thuringiacam variis notis illustrat, simulque ad Codicem Bibliothecæ Academicæ Jenensis provocat, & demonstrat, eam nequaquam convenire cum altera illa de ortu Landgraviorum Thuringiæ, ab Eccardo in *Historia Geneal. Principum Sax.* sup. edita, uti hic quidem existimaverat, qui auctiorem saltem & emendatiorem dixerat Pistoriana editione.

De *Godfridi Viterbiensis* Chronico, quod quia de Principibus, Tom. II. qui Dii dicuntur, agit, Pantheon inscripsit autor, *Conradi III. Friderici I & Henrici VI* Capellanus, præclare meriti sunt dum viri studio in litteratos & bonas litteras illustres, *Godofridus Thomasius & Jo. David Köhlerus*, qui magnæ molis Codicem in Bibliotheca Noribergensi publica accurate conferre dignati sunt. *Hulderici Mutii* Chronico nihil novi accessit.

Nec *Magnum Chronicon Belgicum* novam lucem accepit, nisi ubi Cl. Autor ex ingenio loca nonnulla emendavit, aut notas, quamvis breviores, adjecit. In *Wippontis* Vita *Conradi Salici* nihil muta-

III.

mutatum: quod vero ad *Antiquitates seu Traditiones Fuldenſes*, retinuit eas quidem Editor eo ordine, quo Piſtorius vulgaverat, paſſim verò ex nova editione Traditionum harum, a Clar. Jo. Frid. Schannat ante biennium edita & ad autographa reviſa, emendavit & ſupplevit, obſervans ſimul, quod, licet Schannati corpus multo plenius ſit, exſtent tamen etiam apud Piſtorium documenta nonnulla, quæ ille omiſerit. *Chronicon Auguſtanum eccleſiaſticum*, quod ſub *Sigismundi*, Religioſi, nomine Piſtorius edidit, quodque Voſſius poſtea Sigismundo Groſſenprot & Udalrico ſociis adſcripſerat, Noſter, autoritate ſolertiſſimi rerum German. indagatoris, Bernh. Petzii, *Sigismundo Meiſterlein*, qui vulgo dictus *Magiſter*; itemque *Chronicon Conſtantiense Jacobi Mantio* ejusque continuatori *Merckio* vindicat. Acceſſit poſtremo Index longe copioſiſſimus, quem debemus induſtriæ ſingulari V. C. *Chriſtiani Gottlieb Buderi*, Bibliothecæ Academicæ Jenenſis Præſecti.

VETERUM SCRIPTORUM, QUI CÆſarum & Imperat. Germanicorum res per aliquot ſecula geſtas litteris mandarunt, Tomus unus, a JUSTO REUBERO olim editus; nova hac editione diligenter recognitus & luculentis Acceſſionibus auctus, curante GEORGIO CHRISTIANO

JOANNIS.

Francof. ad Mœn. impenſis Viduæ J. M. a Sande, 1726, fol.

Alph. 15 pl. 19.

Opporſtune Piſtorio jungimus Reuberum, cujus Scriptores primum Francofurti ad Mœnum 1584, rursusque Hanoviz 1619 editi, paucorum in manibus fuere hæctenus adeo, ut jam pridem Typographus noſter excitaverit Celeb. J. C. Immanueli Weberum, ad novam operis editionem adornandam, qui cum gravioribus negotiis indies magis diſtineretur, tandem Cl. Editori noſtro demandata eſt hæc provincia, quam tanta felicitate explevit, ut & conquiſitis rite ſubſidiis omnibus, Reuberianos Scriptores egregie illuſtraverit, & inſertis Scriptoribus aliis, non minori

minori raritate commendabilibus; Collectionem illam nobis dederit duplo auctiorem. Post præfationem, in qua generatim de instituto agit, vitam Reuberi satis luculenter exposuit novus Editor, hoc magis lectu dignam, quo rarius tanti Viri mentionem fecere biographi. Accessere vero ceteris; jam antea in hac Collectione contentis, p. 399 *Boamundi*, Principis Antiochiæ, ceterorumque Sacri belli Ducum Epistola ad Urbanum II; p. 403 *Anonymi* narratio brevis de electione Lotharii Saxonis, e nuperis Pezii & Eccardi Collectionibus repetita; p. 743 *Friderici II, Manfredi, Conradi IV & Henrici* Regis Epistolæ, e Steph. Baluzii Miscellan. Tomo I; p. 795 *Nicolai* Episc. Botrontin. Relatio de itinere Henrici VII Italico ad Clementem IV, ex ejusdem Baluzii Vitis Pontif. Avenion. p. 953 *Anonymi* gesta Balduini, Comitis Lucemburg. Archiep. Trevir. & Henrici Imp. Germani ipsius, e Baluzii Miscell. Tomo I; p. 833 *Albertini Mussati* Historia Henrici VII, & p. 989 ejusdem Ludovicus IV seu Bavarus, cum Commentatoribus, ex Operibus Mussati Venet. 1636 fol. editis, hætenus rarissimis. Præstitit tamen & in ceteris, quantum potuit. Ita in *Eginhardo* secutus quidem est editionem *Reuberi*, in fine tamen operis Schminckianæ editionis, quippe optimæ, varias lectiones in peculiarem recensum redegit, quo loco etiam paginarum hujus & prioris editionis collationem in gratiam eruditorum attexuit. *Astronomi*, quem Reuberus vocat, Annalibus, ab aliis ipsi Eginhardo, rursusque ab aliis Laureshamensi cuidam Monacho adscriptis, varias lectiones editionis Duchesnii præstantissimæ, & Cod. MS. Casselani, e Bibl. Uffenbachiana depromptas, in margine adscripsit. *Pseudo-Turpini* Capiti XXXI & XXXII attexuit Supplementa e Lambecii Comm. Bibl. Vindob. Lib. II C. V f. 21 p. 334 & 336. *Luitprandi* rerum ab Europæ Imp. & Regibus gestarum Libros VI, quos rectius Historias sui temporis vocaveris, ad Duchesnii editionem recognovit, eleganter de ejus vita & rebus gestis præfatus. *Hrosvithæ* Panegyria Otthonis I cum Schurzleischii Jun. editione contulit, cujus pariter ac Hénr. Meibomii notas præcipuas adjecit. Ut prætereamus *Anonymi* de vita Henrici IV, & ejusdem bello Saxónico, Oratorem alterum, alterum Poetam, ipsiusque Henrici Epistolas aliquot, quibus parum habuit, quod

adderet Cl. Editor, *Roberti Monachi* de Christianorum contra Saracenos bello A. 1696 suscepto Historiam secundum Bongarsii editionem, Reuberiana longe emendatior, edidit, eique Casp. Barthii notas ex III. Ludewigi Reliquiar. Tomo III adjecit, addita nunc quoque *Boamundi* Epistola supra memorata. *Gualteri*, Poetae, Ligurino, ad Rittershusii editionem recuso, addidit praeter Spiegelianas notas, jam olim a Reubero vulgatas, tum Rittershusianas, partim jam editas, partim exemplo ejus adscriptas & a Conf. E. G. Rinckio liberaliter communicatas, tum Barthianas, quas Noster Cl. Felleri debet, cujus nuper defuncti Elogium modo Supplem. T. IX Sect. III inseruimus. Chronico rerum Moguntiacarum, quod Noster Christiano II Archiep. Mog. jam nuper in editione Scriptorum Mogunt. quibus illud T. II intulerat, vindicaverat, eadem, ut illic, ratione excusum comparat. *Conr. Vecerii* vitae Henrici VII notulae quaedam ex Osio & Pignorio excerptae accesserunt, quae ad errores auctoris, qui nihil fere aliud egit, quam quod Jo. Villani Italica Latinitate donavit, consellendos faciunt. Tacemus postremum Voluminis opus, *Ricardi Bartholini* Aulriados Libros XII, hic de novo cum doctis Spiegelii notis recusum. Ceterum & ipse Cl. Editor notulas subinde, quamvis raris, adlevit, nihilque omisit, dum singulis Scriptoribus praefatus est, quod ad eorum vitam & scripta pertineret. Ceterum non sine dolore nuntiamus, coorto nuper Francofurti ad Moerum incendio omnia praeter opera hujus exempla, praeter illa, quae superioribus nundinis in eruditorum manus pervenere, aequae ac Cl. Edit. nostri Scriptores Moguntinos, paulo ante memoratos, qui ex eadem officina prodierunt, igne absumpta fuisse, adeo, ut librum hunc non minoris, quam antehac, raritatis deinceps futurum, vix dubitemus.

JO. PETRI DE LUDEWIG, JCTI, FRIDERICIANAE Cancellarii, Reliquiae Manuscriptorum
omnis aevi Diplomatum ac Monumentorum
ineditorum adhuc.
Tomus VII.

Fran-

Francofurti & Lipsiæ, 1726, 8.

Alph. 2 plag. æn. 7.

CUM III. Autor tum itineribus variis jussu Potent. Regis Borus-
siæ faciendis, tum ejusdem Regis juribus, præsertim quod
ad præbendas scholastici in usum Academiarum transferendas
attinet, tuendis, occupatus, laborem hunc inde ab A. 1723 inter-
mittere coactus fuerit, jam tandem eum de novo aggreditur, &
hac occasione in præfatione non solum rationem reddit itinerum,
verum & quæstionem illam de præbendis & canonicatibus fufe sa-
tis expendit, eosque Academiis vindicat; præterea vero quid in
hoc Tomo a se præstitum fuerit, declarat, quod, ceteris brevitatis
causa omittis, paucis hoc loco indicare non gravabimur. Ex-
hibetur vero I *Diplomatarium Ludovicianum* ab A. 1330 ad 1345,
quod multa continentur in curia Electorali Brandenburgica sub Lu-
dovico, Ludovici IV Bavari Imp. filio, gesta. Ex eo Noster obser-
vat, Marchiæ urbium cives plerosque jura nobilitatis consecutos;
Comitem Hennebergensem fuisse vicarium Marchiæ; fœdus re-
ciprocum inter Principem & aliquos ex nobilitate factum, hodie
vix habiturum fidem, & quæ sunt alia II *Codex Legum Normannica-
rum*, descriptus e membrana, quæ olim Petri Pithœi fuit, a No-
stro e Bibliotheca Nic. Josephi Foucault comparata. Eo hætenus
non sine gravissimo Jurisprudentiæ damno caruisse cives nostros,
existimat Editor, qui & in notis subjectis, præterquam quod bar-
bara vocabula diligenter explicat, de Cangiani Glossarii defectu
multum conquestus; passim differentias Juris Normannici a Ro-
mano, & contra pulcherrimos ejus cum Germanico & Septentri-
onali omni concentus ostendit. Docet vero, hunc Interpre-
tem Latinum vixisse circa A. 1250, eoque magis æstimandum pu-
tat, quod leges hæ toties Gallice impressæ, nunquam tamen hæte-
nus Latine, quod sciat, prædierint. III *Diplomatarium Halberstadi-
ensis Episcopatus ab A. 966 ad 1407*. Et: vero authentica dare non pos-
set, dedit tamen L. diplomata speciminis instar, e Codice diplo-
matico, mille diplomata complexo ac circa finem Seculi XV
compilato, deprompta. Patet autem ex ipso Codice, Adolphum
Imp. adeo primum fuisse erga Episc. Halberstadiensem, ut in-
numera fere Diplomata uno eodemque die scil. quinto Idus Julii

Præf.
P. 44.
45
46

p. 68.

561.

562

564

A. 1295 ipsi confirmaverit. In his diplomatibus merito observamus cum III. Editore, Henricum se dicere numero *secundum* Imperatorem, sed *tertium* Regem, computato Henrico Aucupe; Halberstadiense capitulum jam A. 974 accepisse ab Imp: jus eligendi ac postulandi sibi Episcopum; monetandi jura Halberstadiensi tributa private; Marchias quasdam ejusdem fuisse subfeuda; Alstedensem Palatinatum cum omnibus juribus, honoribus & jurisdictionibus A. 1323 fuisse penes Comites Mansfeldenses, ut cetera omittamus. IV *Aurea bulla Friderici II Imp. A. 1232*, quam post editiones Schilteri & Heineccii, nunc deum integram & incorruptam e Tabulario urbano Halensi producit Noster & Commentariolo illustrat varia eruditione conspicuo. Sed nos, his prætermisissis, paulum hærebimus in dissertatione Autoris, quæ in Appendice exstat, *de aquila bicipite, cujus origo vindicatur Brandenburgico Marchionati*, cui accessit denique *Recessio nummorum, potissimum Brandenburgicorum*. Uti vero mille veritates, nulli ante cognitæ, protulisse se in lucem non diffitetur, idque & in omni litterarum genere, & in causis præcipue tangentibus jura & gloriam domus Brandenburgicæ, ita gaudet in sinu, se rursus consecutum esse aliquid rationibus, quod juris publici & historiz interpretes fugiebat adhuc. Probat nimirum, aquilam bicipitem, jam pridem in Brandenburgicorum nummis conspicuam, a Wenceslao & imprimis Sigisfinundo, Electore Brand. in sigillum Imperatoris primum fuisse receptam, atque ita reliquis Imperatoribus omnibus in signe Imperii fuisse, conjicitque, Noribergenses Burggravios, Marchiæ A. 1417 redemptores, religioni habuisse, bicipiti porro aquila uti, ne Brandenburgicum in signe idem sit ac Imperiale; unde conficit, Brandenburgicis adhuc jus esse recipiendæ aquilæ bicipitis, quæ ipsis tantum non propria olim fuerit.

Docet verò, Marchias olim, nunc duas, veterem & novam, nunc tres vel quatuor, computata media, aut Ukaria, aut utraque, totidem symbolis, scutis, lunulis, stellulis, liliis, orbiculis, crucibus, trifoliis, turriculis, præsertim vero aquilis, fuisse designatas in nummis aliisque monumentis. Ita, ut de aquilis specimina afferamus, quatuor aquilæ in totidem scutis exhibentur

tur in Fig. 1, totidemque aquilarum capita combinata in Fig. 2; tum biceps aquila in Fig. 3, quæ & in altera facie Marchionem idcirco Fig. 1, 2, 3, siflit duos gladios manû utraque tenentem, ut dux pariter his symbolis Marchiæ, omissis reliquis, quæ forte, ut sæpe factum, oppignoratæ tum fuere, indicentur: cum qua etiam, quod ad aquilam, conferendæ sunt Fig. 4 & 5. Hinc imitatos Noster pu- Fig. 4, 5, tat Imperatores, Marchionatus Brandenburgici Dominos, pristinum morem, & Carolum IV quidem utriusque solii lateri aquilam appoluisse, (quemadmodum & Brandenburgici turriculam aliave symbola ab utraque parte aquila cingebant,) Wenceslaum vero primum bicipiti aquila in averfa sigilli Imperialis usum, exemplo e Magdeburgico tabulario principali producto in Fig. 6; Fig. 6, quam deinde Sigismundus Elector Brandenb. & postea Imp. Fredericus V ac reliqui Imperatores omnes retinuerunt. Etsi vero Villaneus, Strada aliique in antiquioribus nummis, qui aliis habentur pro supposititiis, aquilam bicipitem agnoscant, nunc Jul. Cæs. nunc Constantino M. nunc Carolo M. asserendam, & Fresneus eam in Byzantinorum nummis, quamvis non sine hæsitacione, deprehendisse visus sit, ipsosque Russorum Czaros jam a multis sæculis aquilam bicipitem, instar symboli Byzantini, ad conservandam successionis spem adhibuisse, recentiores tradant; nemini tamen verisimile putat Noster, Brandenburgicos Imperatores, stirpis Luxemburgensis, hunc morem utendi aquila bicipite inde potius, quam a majoribus suis mutuavisse. Quæ de aquila bicipite in Africa nuper, ut fama habet, reperta, de aquila item incorporata, de bicipiti Regibus Rom. æque ac Imp. vindicata, de tricipiti item & quadrifida &c. addit Ill. Autor, nihil moramur: potius ex recessione nummorum duos reliquis addere lubet. Ex Ottonis nimirum Brandenburgici nummis pluribus in Fig. 7 eum producimus, Fig. 7, qui in averfa Ottonem siflit, in unaquaque manu literam T monstrantem, supposita utrinque litera O; ubi putat Noster, hunc Marchionem fati instar habuisse, quod nominis sui quatuor elementa Otto responderent numeris quatuor Marchiarum Brandenburgicarum. Alter est Bernhardi Ducis Saxonix A. 1170, stirpis Brandenburgicæ, in Fig. 8, de quo ita loquitur Ill. Autor: „Non est, quare se torqueant huc & illuc Auctores in legendis elementis

„BEEA sive BERA. Nam penultima litera sive R sit sive E,
 „perinde est; quia clarum est siglum, quod notare debet nomen
 „BERnArdi aut BERNARDi. Cum autem tertia litera duclibus
 „non respondeat secundæ, vel sculptor erravit, vel Lector, con-
 „vertitque R in E. Lepidis ergo conjecturis non est opus, qua fa-
 „cere hunc Ducem volunt *equitem Anhaltinum*, quod rationi ac
 „ævo est inconcinnum. „


SIMONIS FRIDERICI HAHNII, S. R. MAJ.
Britannicæ Consilarii, ejusdemque S. universæ Domus Se-
reniss. Brunsvico-Luneb. Historiographi ac Bibl. Reg.
Hanov. Præfæcti, Collectio Monumentorum
veterum S. recentium,

Tomus II.

Brunsvicæ, ex officina Frid. Wilh. Meyeri, 1726, 8.

Alph. 2 pl. 12.

Cum de primo hujus Operis Tomo, qui adhuc inedita fere con-
 tinet, prolixius dictum sit in Actis Er. Anni superioris p.
 214 sq. nunc in secundo hoc recensendo eo breviores esse possu-
 mus, quod pleraque continet jam antea edita. Primum locum
 occupat *Responsio Georgii Tyskiewicz Soc. Jes. ad libellum famosum*
cujusdam Anonymi Thorunensis: Patrocinium Veritatis Literarum
Thorunensium falso inscriptum; quem librum, non inelegan-
 tem quidem, at in Thorunenses & religionem nostram admo-
 dum acerbum ac virulentum, olim Cracoviæ A. 1615 impressum,
 hoc tempore recoctum esse, nescimus an valde gavisuri sint Tho-
 runenses. Nec ipse Cl. Editor illum probat, saltim ideo recudit,
 ut de primordiis collegii Jesuitici Thorunensis rectius constet.
 Sequitur *II Mi. b. O. Wexionii Epitome Descriptionis Suecia, Gothia,*
Fennigia &c. Aboæ 1650, 8 edita, quæ, sive quod loco a nostris
 oris valde remoto prædiit, sive quod Autor (quem Smolandia
 oriundum, Juris Professore Aboenseni, post Assessorem Tribu-
 nalis Regii ibidem fuisse ac inter nobiles relatum, nomen *Gylde-
 stolpe* adscivisse, testatur Schefferus in Suec. litter. p. 151) arcana
 quæ-



quædam Suecæ effatusse visus est, hætenus utique fuit rarissima. Post interposito III, errore typographi, brevi sed eximio scripto vernaculo *de reformatione Magdeburgi*, ibidem 1524 a *Wolff Cydoff*, Med. D. & religionis purioris acerrimo defensore, edito, succedit IV ejusdem *Wexionis Rota fortuna*, Aboæ 1647 edita, quæ plerumque Epitomæ illi accedere solet, non minori raritate commendabilis. V *Monachi Sangallensis Vita Caroli M.* e membrana Obrechtiana longe nunc auctius, quam vel in Canisiana, vel Duchesniana editione hætenus comparuit, vulgata. VI *Ordinatio Judicii Febnici seu Westphalici* vernacula, e Codice Academiæ Julix desumpta, & adhuc inedita. VII *Chronicon Comitum Cillejensium*, ut & brevius *Salisburgense*, utrumque vernaculum, cum brevi *Consilio*, satis quidem vetusto, *de electione Episcopi Patavienfis* (non Passaviensis, ut est in titulo p. 775) quæ omnia se debere III. *Christiano Wilb. ab Eyben*, Sereniss. Ducis Ebor. & Osnabr. Episcopi supremo Status Ministro, gratus profitetur. Denique adduntur VIII *Consultatio & Conjectura quædam politica*, ad bellitricennalis historiam spectantes, & incerto autore ad Nostrum perlata, quas cum Cl. Editor vel *Camerario* vel *Rurdorsio* deberi conjectat, non multum a veritate aberrat; quodsi enim evolve-rit *Rurdorsii* Consilia, superiori Mense a nobis recensita, *Consultationem de mediis restaurandi res in Europa collapsas* deprehendet a p. 137 ad 180, Conjecturas vero a p. 115 ad 134, facile observabit, scripta hæc prolegomenis aucta & emendatiora inter Consilia illa junctim edita jam produisse.

JO. ALBERTI FABRICII S. S. THEOL.

D. Prof. Publ. & hoc anno Gymnastii Recto-
ris, Bibliotheca Græca.

Volumen XIII.

Hamburgi, sumptu Theod. Christoph. Felgineri, 1726, 4.

Alph 4 pl 18.

Merito stadii ad calcem jam tibi decursum esse gaudet S. R. Au-
tor, neque minus ipsi de hac felicitate gratulatur Orbis eru-
ditus; neque enim præter mantissam Indicium & Supplemento-
rum,

rum, quorum multam & non contemnendam copiam in mundo habet, & de Scriptoribus dubiis & supposititiis diatribam, quicquam ad complendam hanc Bibliothecam expectandum esse, ipse diserte indicat. Cum vero Volumine XII nondum abfolverit, quæ de Medicis dicenda essent, nunc Capite IX sistit Indicem Scriptorum 1 a *Theophrasto*, & 2 a *Prisciano Lydo* in paraphrasi in *Theophrastum* de sensu & phantasia citatorum; 3 agit de *Nicq̃lao Myrepto*, Alexandrino Medico, & Indicem subnectit eorum, quorum medicamenta ab illo referuntur; 4 Elenchum exhibet Medicorum veterum, præcipue eorum, quorum scripta desiderantur, vel de quibus mentio in prisca monumentis occurrit, quo non modo prolixius commentatur de Medicis nonnullis, ut *Acesia*, *Achille*, *Acrone*, *Æmilio Macro*, *Adromacho Sen.* & *Jun. Ant. Musa*, *Asclepiade*, *Chirone*, *Chrysippis*, *Diagora*, *Erasistrato*, *Galeno*, *Hermogene*, *Herophilo*, *Hippocrate Coo*, *Joanne Damasceno*, *Marcello Sidete*, *Menecrate Syracusano*, *Mithridate*, *Nicomede Smyræno*, *Plinio*, *Sexto Chæroneo*, *Vindiciano*, *Xenocrate*, aliis; verum & inserit subinde scripta integra, ut p. 259 *Johannis Leonis* de viris quibusdam illustribus apud Arabes libellum, ex editione Tigurina 1664 repetitum; p. 317 *Marcelli Sidete* de Medicina & piscibus fragmentum, ex versione metrica *Fed. Morelli*; p. 395 *Sexti Chæron*. Philosophi *Platonici*, librum de medicina ex animalibus, e rara *Andr. Rivini* editione; p. 546 *Vindiciani* Carmen Latinum de Medicina, quod ab aliis *Sereno Sammonico*, ab aliis *Marcello Empirico* tribuitur; ut & p. 448 ejusdem *Vindiciani* Epistolam ad *Valentinianum Imp.* In his recensendis non diffitetur *Cl. Autor*, se usum esse imprimis opera *Andræ Tiraquelli*, qui in Libro erudito de Nobilitate Syllogen Medicorum Veterum dederat non inelegantem. Claudat opus Caput X, de Collectionibus omnis generis Scriptorum Græcorum junctim excusorum. Ex his eas memorare hic lubet (omnes enim repetere non patitur institutum nostrum) quæ in periodum, qua Acta nostra condere instituimus, incidunt, neque tamen a nobis vel visæ hactenus sunt, vel recensitæ. Sunt vero: *Joanne Patusa*, Atheniensis, ἐγκυκλοπαιδεία φιλολογική, Græce, Venet. 1710, quatuor Volumin. in 8, quo libro varia scripta minora eaque

eaque e quamplurimis Veterum Græcorum scriptis studio selecta continentur; *Jo. Jac. Schudt* Fasciculus Græcus, in usum fere tyronum congestus, Francof. 1702, 8; *Hier. Freyeri* Fasciculus Poem. Gr. Halæ 1715, 8; *Τῶν ἑλληνικῶν ἐπιστολῶν Ἀνθολογία καὶ τῶν σοφῶν ἀποφθεγμαῖα*, Patavii 1710 forma minori; Græcarum sententiarum Centuriæ, cum vers. *Haquini Spole*, Upsaliæ 1712, 8; *Ποικίλη ἱστορία*, cum not. & vers. *Joannis Uptoni*, Lond. 1701, 8; *Jos. Maria Thomasi* Institutiones Theol. antiquorum Patrum, tribus Voll, Romæ 1709, 1710 & 1712 in 8 editæ. Ceterum huic quoque Capiti quædam non ubivis obvia leguntur inspersa, nimirum p. 468 *Phil. Melanchthonis* Epistola Gr. ad Patriarcham Cyprianum; p. 479 Salutandi formæ, quibus nostra ætate Græci utuntur, a *Josepho Wasse* Londini 1724, 4 vulgatæ; p. 500 *Ant. Eparchi* Epistola Græca ad Melanchthonem lectu digna, cum catalogo operum omnium Joach. Camerarii; ap. 544 ad 604 *An.* definitiones Gr. Lat. Altercatio Hadriani Aug. & Epicteti Philos. *Secundi* Philosophi Sententiæ Gr. Lat. *Joannis Pediasmi* desiderium Gr. Lat. Disputatio Pippini cum Albino Scholastico; *Nicarii* Interrogationes & responiones; Responfa Sapientum e *Plutarcho*; *Frid. Lindenbrogii* variarum Quæstionum Centuria, & *Antonii Chapui* Quæstiones & responf. Gallicæ, ex ejus libro *Description de la Limagne d'Auvergne* excerptæ; denique p. 648 *Theophili Corydalei*, cognomento *Theodofii*, Tractatus Rhetoricus, Græce antea Lond. 1625, 8 editus, nunc etiam Latinâ versione instructus. Nihil addimus, præterquam quod serio optamus, omnem a Typographo lapidem moveri, ut operi elucubratisimo, in quo multa Cel. Autor pro summa ingenii ubertate, arrepta vel levi occasione, insperfit notatu digna, (quo pertinent e. g. Virorum eruditorum nomina, vitæ, dies æmortuales & similia) accedat Index locupletissimus; qui si satisfacere Lectori debeat, facile integrum, nec leve, Volumen occupabit.

SERMONES IN PRIMO SOLENNI ACADEMIÆ Scientiarum Imperialis conventu die XXVII
Decembris anni MDCCXXV publice recitati.

Petropoli, sumtibus Academiæ Scientiarum, 1726, 4.

Plag. 15.

ECce Tibi primitias illustrissimæ Academiæ Scientiarum Petropolitanz, a *Petro Magno*, Russorum Monarcha, ad scientiam & artem promovendam fundatæ & auspiciis augustissimæ Conjugis *Catharina*, totius Russiæ & Provinciarum ejus Autocratoris, ad præsentem, quo floret, statum perductæ. Inter leges, quibus Augusta Protectrix Academiam suam regit, id officii Academicis injungitur, ut, pro excolendis communi consilio & cura scientiis, bina quovis octiduo vice omnes conveniant, partim ut destinationes & commentationes suas Sociorum judiciis exponant, partim ut communicatis invicem sententiis si quid de argumento disquisitioni exposito utile vel exitum cognoverint, Sodalium suorum cogitata suppleant, emendent vel confirment. Iisdem legibus institutum est, ut ternos quotannis congressus publicos & solennes celebret Societas. Primus qui ob impedimenta die *S. Catharina* festo celebrari non poterat, tertio Nativitatis Christi festo, die 27 Dec. A. 1725 styl. vet. fuit institutus. Interfuerunt Serenissimus Dux Holstiaz, *Carolus Fridericus*, summi Gentis *Ruthenæ* Proceres, Viri ex Senatu, Synodo, aula & reliquis imperii collegiis præcipui, exterorum regnorum Administræ & ad Augustam Legati. Vir celeberrimus, *Georgius Bernbardus Bülfinger*, Physicæ experimentalis & theoreticæ Professor, duplicem recitavit sermonem. Primo docte ac eleganter enarrat, quæ litterarum a primis in Europa initiis ad usque Academiis Scientiarum fuerint fata, quid sit Academia Scientiarum, quæ illius curæ, qui usus, quæ circa illas Fundatorum gloria. Altero specimen destinationum methodique in Scientiis versandi exhibet, acute disquirens, an jam eos in theoria magnetica progressus eruditæ fecerint, ut sufficientem nautico scopo solutionem difficillimi de invenienda locorum longitudine problematis inde liceat repetere.

In primo igitur Sermone Vir doctissimus scientiarum fata in sex distribuit periodos, eosdemque suis discernit criteriis ac meritis. Primam tribuit famosis Graciæ sapientibus, quos tenuibus initiis & ambiguis progressibus usos vix modestiori quam Philo-
sopho-

sophorum nomine appellari posse censet. Alteram constituit in illo tempore, quo Philosophi Scholas aperuerunt, veluti *Pythagoras* in Italia, *Anaxagoras* Athenis. Reprehendit autem, quod gloriæ magis, quam veritati studentes, quibuscunque poterant artibus, sectam augere & evehere suam, detrahere ceteris conati sunt. Tertiam periodum orditur, ubi imperantes suas scientiis curas & patrocinium indulsere & Academiæ institutæ, veluti seculo septimo *Cantabrigiensi*, octavo *Parisiensi*, nono *Tholosana*, *Papiensi* & *Oxonienfi*. Quartam refert ad ea tempora, ubi *Galileus*, *Keplerus*, *Cartesius* scientiarum promœria extendere ceperunt. Quintam periodum vocat, quando in societates litteratas privata autoritate coivere viri eruditi, veluti apud *Mersennum* jam ab anno 1610 *Gassendus*, *Cartesius*, *Hobbesius*, *Robervallius*, *Paschalis* uterque, *Blondellus* aliique, deinde apud *Monmortium* & *Thevenotium* in Gallia, & sub facie dominationis *Cromwelliana* Oxonii in Anglia. Sexta denique periodus Nostro est, quo publica Imperantium autoritate post Academiam *Florentinam* a *Mago* Hetruriæ Duce fundatam, Societates Scientiarum erectæ, veluti a *Carolo II* Anglicana, a *Ludovico M.* Parisina, a *Fridrico* Borussia, a *Petro M.* & *Catharina* Petropolitana. Delabitur ita Orator ad Academias Scientiarum delineandas. Denotat hoc nomine collegium, quod divisa inter plures, sed communi consilio agentes, opera perficiendis propagandisque & applicandis ad usum scientiis pro cujusque disciplinæ genio feriam constantemque curam impendit. Necessitatem istiusmodi Collegiorum probat inde, quod ob infinitam rerum in disciplinis omnibus multitudinem earundemque diversitatem unus non sufficiat omnibus, quodque scientiarum cultura commune consilium postulet. Officia enumerat, scientias perficere, propagare & ad usus plurimos applicare. Inter istas potissimum collocat *mathematicas*, *physicas* atque *morales* & iisdem jungit *humaniores litteras*, quæ sæpe emolumento, semper ornamento sint eruditis. Prolixum nimis foret recensere singula, quæ de singulis istis officiis pererudite ac utiliter monet. Excurrit deinde in usus scientiarum deprædicandos & solide refellit nonnullorum obtrectatorum commentum, quasi inventa generi humano utilia casui debeantur, non ingenio ac industria.

dustrix. Semovet quoque alterum, quod in scientias vibratur opprobrium, non minore dexteritate, quasi speculationes sint steriles, quibus plerumque hodie indulgent excelsiora ingenia. Laudat deinde subsidia, quibus Academia ad excolendas scientias instructa. Augusta Nutrix & Protectrix dedit ipsi Præsidi, Virum illustrem, *Laurentium Blumentrost*, Medicum suum primum, cujus tantam in sublimiori eruditione peritiam experta est Academia, ut, si nulla etiam auctoritate emineret, consilio tamen & exemplo suo omnes sodales in planissimos ad veritatem feliciter inveniendam tramites certissime deduceret. Etsi autem de se modestius sentiat Orator, cui Physicæ excolendæ provincia demandata, ceteris tamen scientiis excolendis admotos esse prædicat primi ordinis eruditos, adulta partim, partim nascente gloria plurimum spectabiles. Munificentia *Petri* fundatoris præsto est Bibliotheca numero æque & selectu commendabilis, Musæum rarioribus ex omni terrarum ambitu naturalibus refertissimum, instrumentorum arte & magnificentia spectabilium locuples apparatus, omnis generis numismatum & antiquitatum rara collectio, pro re Anatomica Thesaurus *Russicæ* artifice dignus. Facit Augusta Protectrix, ut omnia quotidie exsplendescant amplius & *Cl. Schumacher*, Bibliothecario, in dijudicandis libris melioribus intelligenti, in colligendis felici, in communicandis humaniter officioso eam demandavit curam, ut omnia pateant Academicæ usibus. Id nempe egit *Petrus M.* ut in Academicæ institutione se sibi; id agit *Catbarina*, Imperii hæres, ut in ejus perfectione se *Petro* similem ostenderit. Postquam mente attonita heroica *Petri* atque *Catbarina* facta & animam fuit veneratus, laudibus magnificis extollit, suo & collegarum nomine, quod a Russico ad aulam Borussicam Legato *Alexandro Golovkio* fuerint compellati honorifice ac perhumaniter; quod, ubi Petropolin venire, Clementissima Academicæ Nutrix maximis gratiæ testificationibus ipsos dignata fuerit & omnia peregerit, quæ litteratorum bono vel optari possint; quod Præsidem dederit societati & scientiis optatissimum, terna illa, quæ Præsidem faciat, virtute instructissimum, scientiis nempe solidioribus, humanitate facili & gratioso apud Protectricem accessu: id quod ingentis beneficii

loco habet Academia, ut Augustæ ideo ex voluntate Societatis publicas gratias agat Orator.

In altero sermone tria capita expendit Vir eruditionis singularis. Primo genuinam de longitudinum problemate, de scopo quaestionis & necessaria solutioni exactitudine ideam exponit; secundo indicat, quousque theoriæ magneticæ eruditi promoverint, annotando phænomena & illorum causas divinando: tertio expendit, an illa, qualis nunc est, scopo longitudinum antea exposito sufficiat & quibus modis eo deveniendum sit, ut certi reddamur, quod præposita difficilis quaestio solutionem ex magneticis sufficientem expectare aliquando vel possit vel non possit. Acum magneticam vel A. 1260 ex China in Europam per *Paulum Venetum* delatam esse ait, vel A. 1300 a *Joanne Goja*, Neapolitano, inventam. Declinationem, *Thevenotio* referente, jam A. 1269 observasse *Petrum Adfigerium*, aliis idem inventum vel *Gonzalio de Oviedo*, vel *Sebastiano Chabotio*, vel *Roberto* cuidam *Normanno* viridicantibus. Ejus variationes eas hæcenus deprehensas, ut nihil inconstantiae possibilis cogitari possit, cui illa non sit obnoxia. Eodem Telluris loco, sed diverso tempore, esse majorem illam, vel minorem, vel omnino nullam. Vergere acum non in eadem semper plagas, sed postquam deflexerat in orientem, verti deinceps in occidentem. In diversis locis eodem tempore discrepare declinationem, alibi nullam esse, alibi orientalem, alibi occidentalem, alibi pauciorum, alibi plurium circuli graduum. In ista variatione nullam huc usque liquidam esse legem. Aliquando acum complures videri brevi tempore gradus percurrere, aliquando pauciores; aliquando in medio ex maxima declinatione ad rectitudinem regressu tardius moveri, aut omnino consistere, postea velocius perrecturum antegressam tarditatem succedente nunc celeritate compensare. Nullam hæcenus declinationis variationem respectu temporis erui potuisse mediam constantem; nullam legem pro locorum diversitate certam & regularem; qua unius loci declinatio declinationem alterius latitudine aut longitudine aut utraque differentis vel superet, vel ab eadem deficiat. Sive hoc solum quaesiveris, an maxima unius loci declinatio sit æqualis maximæ alterius, an inæqualis, & quanta utrinque; sive il-

Iud etiam attenderis, an in utrisque æqualia sint incrementorum decrementorumque æqualibus temporibus momenta, intricata adhuc omnia deprehendi. Duarum acuum perfecte æqualium similiumque discrepantiam & inæqualium concordiam eodem tempore eodem in loco observasse Cel. *La Hirium*, patrem. *La Hirium* juniorem deprehendisse, pro varia acus figura variare declinationem. Inclinationem acus inæqualem esse pro majori minorive in Zonis temperatis ab æquatore recessu. Mirum quantum differre Tabulas a R. R. P. P. *Cateo*, *Grandamico* & *Kirchero* apud R. P. *Deschaliu* collectas. Eandem esse diversam eodem loco temporibus diversis: immo plurimum variare eodem in loco eodemque tempore, prout acus ad diversas mundi plagas dirigatur, esse etiam variationes sensibiliores, si versus orientem potius, quam ad Arcum dirigatur, R. P. *Noellii* aliorumque cura patere. Huc accedere diversitatem, quæ se prodit, quando acus convertitur, ut pars borealis austrum, australis Arcum spectet. Declinationum theoriam, exponendo illarum leges & quantitates, non infelici prorsus successu tentasse Cel. *Hallejum*. Successisse ex intervallo theoriam causarum, alterius viri eruditi inventum, quod eo usque certum & exploratum ipsi visum sit, ut ad solvendum pro usu nautico longitudinum problema sufficere magneticas acus, sed dextre tractatas, existimaverit. Non dubitat Noster, Cel. *Hallejum* de eodem tacite secum cogitasse, sed, cum viderit, quantum magneticæ desit notitiæ pro tam excelso usu, nullam ejus rei mentionem infecisse. Cl. *Cassinum* juniorem cautissime hic versatum atque ex hypothese tantum locutum esse, addita etiam, quæ ejus usum particularem faceret, restrictione. Defendit autem Vir acutissimus, sufficientem pro scopo nautico solutionem problematis ex theoria magnetica hactenus exculta repeti non posse. Non sufficere observationes hucusque cognitæ, quæ paucæ sint nec dirimendo assumto audaciori aptæ, quod datis gradibus declinationis & inclinationis iisdem detur longitudinis & latitudinis gradus prior. Sane ex charta illa, quæ sub *Petri M.* auspiciis de Caspio mari constructa est, ex observationibus *Caroli van Verden* sub latitudine $41^{\circ} 30'$ & $38^{\circ} 30'$ eandem esse declinationem, scilicet $11^{\circ} 44'$, cum tamen in medio fere ejus intervalli ad
 gra

dum $39^{\circ} 45'$ declinatio sit $13^{\circ} 51'$, longitudine existente eadem. Ob-
 stare porro formidabilem illam declinationum & inclinationum
 diversitatem, mutationem declinationis pro diverso intercedente
 temporis tractu diversissimam, frequentissimas eruditorum de
 nimia observationum vulgarium inexactitudine querelas, diffe-
 rentiam declinationis a diversa acus figura pendentem, & impos-
 sibilitatem ex Nautarum, veteri more longitudes æstimantium,
 observationibus eruendi modum cognoscendi locorum in mari
 longitudes accuratius, quam illa methodo, per quam in obser-
 vationibus determinata fuit longitudo. His rationibus fretus neg-
 gat, ex ipsis immediate observationibus hactenus cognitis & in
 tabulam congestis nondum solvi pro scopo suo problema longitu-
 dinum posse. Complures eruditos tentasse theoriam sive legum,
 sive causarum declinationis inclinationisque, quæ priorum defe-
 ctus compleat. *Bartolomaum Crescentium*, editis A. 1607 de
 Nautica mediterranea libris, per insulam S. *Michaelis* & S. *Mariæ*
 Meridianum magneticum, declinationis expertem, duxisse, & sup-
 posuisse, quod a Meridiano maximæ declinationis ad angulos re-
 ctos in polis fecetur, & mensuræ declinationum, quarum maxima
 sit $22^{\circ} 36'$, sint longitudinum differentiarum proportionales. *Simonem*
Stevinum ex observationibus *Plancii* in suo de Limenheuretica
 libro A. 1608 edito & *Emanuelem Figueroam*, in nixum diario *Vin-*
centii Rodrigui simile quid tentasse. Tandem exeunte superiori se-
 culo *Cel. Hallejum* felici conjectura pro anno 1700, lineam in Tel-
 lure designasse declinationis expertem, cui ad dextram & sinistram
 declinationes diversæ orientales & occidentales ita adjaceant, ut
 in proximis lineæ illi locis essent minimæ, in remotioribus ad
 certum usque terminum majores. Etsi autem hæc conamina suo
 scopo nautico nondum sufficere arbitratur, non tamen ideo spera
 abjici debere omnem. Primo igitur inquiri jubet, quot omnino
 circa magneticas operationes occurrant varietates pro diversa lo-
 corum longitudine & latitudine proque accidentalibus illarum
 differentiis. Secundo observationes fieri optat omnes, quæcun-
 que diversum aliquid exhibent. Ita minus recte negligi censet
annulum La Hirianum, de quo Commentarii Academiæ Scientia-
 rum A. 1692 p. 416-424 loquuntur, ut ejus fere notitia intercidat
 inter

inter eruditos. Tertio ex observationibus illis condi debere existimat Tabulas varii generis; alias, quibus ad singulos declinationum & inclinationum gradus investigari possent loca, quibus illi observati sunt; alias, quibus ad singulos longitudinum vel latitudinum gradus declinationum mensuræ inquiri & inclinationum; alias, quibus ad diversa temporum intervalla declinationes inclinationesque; alias denique, quibus ad declinationum & inclinationum eodem in loco differentias inveniri tempora queant. Quarto denique inquirendum esse, an omnino pro diversa locorum longitudine latitudineque & temporum ratione legem aliquam nobis intelligibilem servant declinationes illæ inclinationesque, an a particularibus in tellure vel mari causis, quas investigare nobis non liceat, ita vel in solidum dependeant, vel in ordine suo, si quis fuerit generalis, adeo turbentur, ut nihil hac parte sperare liceat.

Hæc cum disseruisset Vir doctissimus, Cel. *Jacobus Hermannus*, Matheseos sublimioris Professor, qui inter Geometras primi ordinis dudum locum commeruit, vel his ipsis Actis testibus, suo & Collegarum nomine sententiam dicturus, *Bullfingeriana* calculum adjecit & nonnullas historicas notationes addidit. Huc pertinet, quod *Keplerus* aperte professus fuerit, eclipses solares tutius, quam lunares ad longitudinum inventionem ducere, dissentientibus *Cavallero* & *Riccio*, sed modum, quo id fieri possit, perspicue docente *Job. Dom. Cassino*, recentiorum Astronomorum coryphæo. *Galileum* longitudinum maris definiendarum negotio sufficere credidisse notitiam motus Satellitum Jovis & inventi sui arcanum obtulisse primum *Philippo III* Hispaniarum Regi, mox Statibus confœderati Belgii, cum quibus negotium eo usque processerit, ut torque aureo ab iis donatus fuerit & nisi viri illi, quorum examini inventi indoles commissa erat, vivere desissent, *Martinus Hortensius* ad *Galileum* oculorum usu jam penitus privatum Florentiam missus fuisset, ut cum ipso de invento & de modo id ad exitum & praxin deducendi tractaret. Cum inventum divulgaretur, *Morinum* & *Herigonium* id pro suo edidisse, sed *Cassinum* ultimam manum addidisse, editis tabulis accuratis motuum Satellitum Jovis. Plures tamen esse monet rationes,

nes, cur scopo nautico non sufficiat. *Hugentium* ultimis tandem vitæ suæ animis reperisse curvam, cujus beneficio horologiis æqualis motus conciliatur, qui nulla maris, vel navis agitatione turbari aut minui possit, quod in pendulis suis non satis caveri potuisse ipsemet agnoscat. Hoc verò inventum cum illustri Autore inter-
 iisse. Id solum particularius de eo sibi in Batavia agenti innotuisse, quod per libratores aliquem ambobus suis terminis insculptas habentem curvas æquales, in quibus sacomata æqualia ultro citro-
 que moverentur, horologio suo æquabilem motum nulla agita-
 tione navis turbandum inducere voluerit. Manere igitur proble-
 ma Solutore dignum: *Invenire horologium, cujus æqualis motus in agitatissima navi sine interruptione conservari possit.* Circa acum magneticam notatu dignum ipsi videtur monitum *Riccioli* ex mente *Guilielmi Perfalli*, Equitis Angli, in Geographia Reformata relatum, quod artifices in fabricando toto versorio ex ferro aut chalybe errent: unde omnes anomalias in experimentis declina-
 tionis magneticæ derivet.

CONSTRUCTIO LINEARUM ISOCHRO-
 narum in medio quocunque resistente, Autore
LEONHARDO EULERO,
Basileensi.

Notum est inter Geometras cycloidem ordinariam esse in me-
 dio non resistente isochronam seu tautochronam, vi gravi-
 tatis uniformiter versus centrum infinite distans tendente. In me-
 dio quoque pro simplici celeritatum ratione resistente, isochro-
 nam esse eandem cycloidem, ostendit Vir summus, *Newtonus* in
 principiis suis Philosophiæ Naturalis Lib. II Prop. 26. Oppido
 autem miror, neminem adhuc quicquam de isochronis in aliis
 mediis resistentis hypothelibus, non imaginariis, quemadmodum
 sunt hæc duæ dictæ, meditatum fuisse; cum tamen hæc egregia
 materia bene mereatur, quæ in scientiæ de motu corporum in
 medio resistente augmentum profundius examinetur. Ego,
 quæ hac in re inveni, quasque feliciter detexi curvas tautochronas
 in medio quomodocunque resistente, centro virium infinite di-

stante & uniformiter attrahente, hic cum publico communicabo, ut orbi literario ansam præbeam, hanc materiam penitus perscrutandi.

Ut igitur modum generalissimum hujusmodi lineas isochronas construendi tradam: resistat medium in ratione cujusvis functionis celeritatis, & pro hac amplissima hypothese, sic construo isochronam.

TAB. III
Fig. 9.

Sit AB linea verticalis, seu normalis in planum horizontis; super hac, tanquam axe, describatur curva AND talis, ut, dictis abscissa APx, huic applicata normali PN, z, & ipsius z functione quadam, Z, quæ eandem ad z habeat rationem, quam habet illa functio celeritatis, secundum quam fit resistentia, ad ipsam celeritatem, ut inquam sit $dx = z dz + Z dz$. Hac curva facta, construatur alia AMC, super eodem axe AB, ut, producta NP in M, sit portio curvæ AM æqualis applicatæ PN. Erit hæc curva CMA isochrona, corpus scilicet super ea, solo gravitatis rifu, descendens, in quocunque ejus puncto M descensum adorsum fuerit, semper æquali tempore ad punctum A perveniet.

Ex hac constructione consequitur, curvas hæc habere alibi in C cuspidem, & reverti in plagam, ex qua venerant, id quod accidere debet, ubi elementum applicatæ PM evanescit, elementum vero hoc æquatur $\sqrt{dz^2 - dx^2}$, ob $AM = PN = z$ sed quia $dx = z dz + Z dz$, erit $\sqrt{dz^2 - dx^2} = dz \sqrt{1 - (z+Z)^2}$ quod debet æquari ziphæ, erit ergo $z + Z = 1$, ibi ergo est cuspis, ubi summa $z + Z$ æquatur unitati.

Hæc ergo curva eandem cum Cycloide habebit formam, habebit enim infinitos cuspides, & portiones cuspides constituentes omnes inter se similes & æquales, nam producta PM in m erit lege continuitatis $PN = AMC - Cm$, sed $PN = AM$ ergo $Cm = CM$ partes ergo AMC, FmC cuspidem C constituentes æquales erunt & similes. Proin ex constructione puncto F, puncto A respondentem, adnectetur portio similis, æqualis & similiter posita cum AMC. Sic quoque, curva CMA continuata, erit AB diameter, eandem ergo plane cum cycloide ordinaria habebit formam.

Ut applicemus hanc generalem constructionem ad hypotheses speciales; ponatur resistentia nulla, erit $Z = 0$ ergo $dx = z dz$,
i. e.

i. e. $2x=zz$, unde curva AND erit parabola Apolloniana. Erit ergo isochrona AMC cyclois ordinaria, uti Hugenius jam demonstravit.

Ponamus resistantiam celeritati proportionalem, erit $Z=z$, unde $dx=zzdz$, i. e. $x=zz$, curva ergo AND erit denuo parabola, & consequenter isochrona rursus cyclois, quemadmodum Newtonus loco citato demonstravit.

Sit Resistentia ut quadratum celeritatis, quæ hypothesis locum habet in aere, aqua, omnibusque fere fluidis, erit $Z=azz$, unde $dx=zdz + azzdz$ ergo $x=\frac{1}{2}zz + \frac{1}{3}az^3$, ex qua curva, ut supra docui, construi poterit isochrona. Quantitas, a , eo major est accipienda, quo resistantia major est, semper nimirum proportionalis assumi debet quantitati resistantiæ.

Et hac ratione pro quavis hypothese resistantiarum excogitabili isochrona, methodo hac generali, facile deduci poterit, gravitate uniformiter agente. Pro aliis autem gravitatis hypothesebus, in medio quoque utcumque resistente, etiam possideo methodum construendi isochronas, quam autem, ut & eorum, quæ hic proposui, analysin seu demonstrationem, in aliud opportunum tempus differo; proponens interim cultoribus scientiæ hujus de motu corporum in mediis resistantibus problema sequens, quod ab hac materia haud multum abiudit.

Invenire lineam celerrimi descensus, seu brachystochronam in medio quomodocunque resistente, saltem in hypothese gravitatis uniformi.

P. S. Non possum, quin indicem Anonymo illi Anglo, cui jam per aliquantum temporis cum Celeb. Johanne Bernoulli circa trajectorias reciprocas res est, me adinvenisse methodum ex quolibet linearum ordine, excepto secundo, ad minimum unam determinandi curvam problemati illi de trajectoriis reciprocis satisficientem, quam, uno elapso anno, revelaturus ero; quo Anglo illi non desit tempus trajectoriam reciprocam, quam inveniendam ipsi proposuit Cel. Bernoulli, simplicissimam post illam tertii ordinis, quam invenire potuerit, publice indicandi.

ANDRÆ GÆRTNERI, IN AULA REGIS
Polon. & Elect. Sax. Mechanici & modulorum Ma-
gistri, Organum Astrodicticum globo cæle-
sti applicandum.

TAB. III
Fig. 10.

Fig. 11.

Fig. 10. 11.

Nobilis Mechanicus, nullique sui ordinis ingenio secundus, organum, de quo hic agitur, invenit ante plures annos; nobis cum vero figuras ejus communicavit, ad quarum ductum facilem totius negotii ideam dabimus. Sit HB globi, cui instrumentum applicandum, quadrans, & ad H & B concipiantur Tangentes maximum globi circulum, HI, IB, sibi in I ad rectos occursum. Ad quamvis distantiam IK a recta HI sit regula NO ipsi HI parallela. Huic regulæ affigatur arcus GB, quadrans FSL, cum fulcro arcuato DE & reliquis firmamentis, quæ in utraque figura comparent; sic ut compages tota superficiem globi commode possit imponi. Sit globus ad poli altitudinem, & temporis, quo utimur instrumento, momentum compositus; ipsique imponatur instrumentum, sic ut regulam NO dirigatur ad Stellam quamvis, & NOB sit in plano verticali; id quod perpendiculum imminens peripheriæ in medio cavi limbi quadrantis incisæ, ostendet; & facile patet ex elementis, angulum X, quem perpendiculum facit, cum quadrantis radio FS, seu arcum^e ejus mensuram, id est, altitudinem sideris horizontalem æqualem fore ipsi BZ in Figura 11. Unde consequens est, extremum B stellam contingere in globi superficie, ad quam regula NO dirigebatur; eademque ratione, si extremitas B applicetur stellæ in globo datæ, & instrumentum circa B in globi superficie moveatur, donec perpendiculum imminet mediæ quadrantis cavitati, regulam NO directam iri ad stellam B, quæ proinde in cælo a reliquis distinguetur.

Dum globum ad cæli situm pro temporis momento componit Inventor, ipsum movet circa unicum polum V; ne alter in hemisphærio superiore usui instrumenti obstet. Unde necessum habet globum Horizonti arcto immittere, quo sulciatur; cum fulcrum ad G, cui libere innititur, (quodque pro axe in globum inserto in Fig. 11 non habendum) nequeat omnem in latera inclinationem Sphæræ impedire. Rogatus de Semicirculo CT cum regula
mobi;

mobili AQ, respondit, hæc se non alio fine adjicere, quam ut earum stellarum, quas in Semicirculi plano tempore observationis hæere contingit, distantias metiatur; neque adeo ad Astrodiaticum proprie pertinere. Hoc instrumentum, ut quilibet videt, inservire potest curiosis, quibus animus est proprio Marte sidera dignoscere in cælo stellato, eoque nomine commendandum est. Ad usum autem Astronomicum machinæ parallaxicæ faciunt.

OBSERVATIONES HABITÆ ULYSSIPONE,
circa Primum Jovis Satellitem; Autore DOMINICO CAPASSO, Neapol. Soc. Jéf.

Anno 1725.

	Immers.	Temp. ver. corr.		
		Hor.	Min.	Sec.
Julii die 23 visus est mergi in umbra vera 2 ^l Telescopio satis perfecto, cujus longitudo palm. 30 Rom.		12	12	26.
	Emers.			
Sept. die 12 visus est ab eadem umbra emergere, fortasse non satis exacte ob proximam 2 ^l cum ☉, quæ septem ante diebus contigerat.	15	0	19.	
die 14 paulo clarius, & exactius	9	28	7.	
die 21 satis clare	11	24	55.	
Octob. die 23	8	11	10.	
Novemb. die 8 non nihil incerta, saltem quoad secunda ob aeris ex vento trepidationem	6	30	4.	
die 15 exacte	8	24	50.	
Decemb. die 8	8	32	40.	
	1726.			
Jan. die 9 non satis certa ob nimiam aeris claritatem a crepusc.	4	58	50.	
die 16 satis clare	6	51	10.	

OBSERVATIONES ASTRONOMICÆ AD ELEVATIONEM Poli Ulyssipone inquirendam, eodem Autore.

Hic tantum appono observationes habitas circa Solem Quadrante Astronomico, ac Sextante trium pedum Parisinorum.

Postmodum mittam alias habitas Quadrante murali quinque pedum, tum circa Solem, tum etiam circa reliqua astra.

Anno 1725 d. 24 Nov.

Altitudo Limbi super. ☉ in Meridie Quadrante Astronomico observata.	30 56 29.
Refractio propria hujus altitudinis ex tabulis Cl. V. D. Edmundi Halleji.	0 1 28.
Altitudo correcta ejusdem Limbi	30 54 52.
Parallaxis ☉	0 0 4.
Altitudo vera Limbi Superioris ☉	30 54 56.
Semidiameter apparens ☉	0 16 18.
Altitudo vera Centri ☉	30 38 38.
Declinatio ☉ Australis	20 38 59.
Altitudo Æquatoris	51 17 37.
Complementum, seu Elevatio Poli	38 42 23.

Die 5 Decemb.

Altitudo Limbi super. ☉ in Meridiano per Sextantem	0 1 11
Refractio ex iisdem Tabulis	29 8 10.
Altitudo ejusdem Limbi correcta	0 1 35.
Parallaxis ☉	29 6 35.
Altitudo vera Limbi Super. ☉	0 0 4.
Semidiameter ☉	29 6 39.
Altitudo vera Centri ☉	0 16 20.
Declinatio ☉ Australis	28 50 19.
Altitudo Æquatoris	22 27 7.
Complementum, seu Elevatio Poli	51 17 26.
	38 42 34.

Die 6 Decemb.

Altitudo Limbi super. ☉ in Meridie per Sextantem	29 1 0.
Refractio	0 1 36.
Altitudo correcta ejusdem Limbi	28 59 24.
Parallaxis	0 0 4.
Altitudo vera Limbi Super. ☉	28 59 28.
Semidiameter ☉	0 16 21.

Alti

MENSIS AUGUSTI A. MDCCXXVI. 367

Altitudo vera Centri ☉	28 43 07.
Declinatio ☉ Australis	22 34 24.
Altitudo Æquatoris	51 17 31.
Complementum, seu Elevatio Poli.	38 42 29.

Die 29 Decemb. 0 1 11.

Altitudo visa Limbi Super. ☉ Quadrante	28 20 22.
Refractio	0 1 39.
Altitudo correctæ ejusdem Limbi	28 18 43.
Parallaxis ☉	0 0 4.
Altitudo vera Limbi Super. ☉	28 18 47.
Semidiam. ☉	0 16 21.
Altitudo vera Centri ☉	28 2 26.
Declinatio ☉ Australis	23 14 57.
Altitudo Æquatoris	51 17 23.
Complementum, seu Elevatio Poli.	38 42 37.

1726.

Die 8 Januar. 0 1 11.

Altitudo visa Limbi infer. ☉ in Meridie	28 47 10.
Refractio	0 1 37.
Altitudo correctæ ejusdem Limbi	28 45 33.
Parallaxis ☉	0 0 4.
Altitudo vera Limbi inferior. ☉	28 45 37.
Semidiam. ☉	0 16 21.
Altitudo vera Centri ☉	29 1 58.
Declinatio Australis	22 15 42.
Altitudo Æquatoris	51 17 40.
Compl. seu Elevatio Poli	38 42 20.

Die 9 Januarii duas Solis altitudines ante Meridiem, totidemque post Meridiem accuratissime deprehendimus, addita Sextanti vel exigua differentia, quæ ex diversa declinatione Solis refundi debuerat in ipsas pomeridianas altitudines ejusdem Solis,

quo

quo semper in verticalibus a Meridiano æquidistantibus deprehenderetur, simulque differentia horologii Oscillatorii a Meridie vero, collatis utrisque inter se observationibus, dignoscetur; in singulis enim diligenter adnotavimus momenta temporis ab eodem horologio indicata. Utræque vero observationes adeo consentire in eadem prædicti horologii differentia a tempore vero definienda, ut vix unæ ab alteris in unico secundo discreparint. Emendatis igitur observationum momentis juxta inventam differentiam, supputare licuit calculis Trigonometricis Elevationem Poli his tribus datis.

	0	1	11
Altitudo vera Centri ☉	20	36	18.
Ejusdem declinatio Australis ex Tab. Hirianis	22	8	11.
Tempus verum observatæ altitudinis	<u>9^o</u>	<u>37</u>	<u>26.</u>
Quibus cognitis ope trianguli obliquanguli, in quodantur duo latera, & angulus iisdem comprehensus, invenitur Poli Elevatio	0	1	11
	<u>38</u>	<u>42</u>	<u>24.</u>
Ex secunda observatione matutina hæc tria quoque siebant cognita.			
Altitudo vera Centri ☉	23	25	47.
Declinatio ☉ ex Tabulis Hirianis	22	8	10.
Tempus verum observatæ altitudinis	<u>10^o</u>	<u>4</u>	<u>41.</u>
Quibus cognitis ope ejusdem trianguli, invenitur Altitudo Poli Ulyssip.	0	1	11
	<u>38</u>	<u>42</u>	<u>25.</u>

Ex duabus observationibus pomeridianis, cum eadem pene esset altitudo Solis, declinatio, & angulus circuli horarii cum Meridiano, eadem quoque resultare debuisset Altitudo Poli; ac proinde non opus erat novos calculos instituire.

Jam vero ex omnium observationum complexu inferre hæcenus licet, Ulyssiponeensis Urbis Latitudinem in Observatorio Regii Palatii, vel Collegii D. Antonii Magni, a quo non longe distat, esse 38° gr. 42' min. pene 30" secund. Secundorum enim certus numerus ab innumeris ac subtilioribus pendet experimentis;

tis; siquidem facile variantur vel ab inæqualibus refractionibus; quas experimur, acce diversimode affecto; vel etiam ab exiguo quantumvis Instrumentorum vitio, quod nec peritissimi Artificum in illis construendis vitare omnino possunt.

JOH. FRIDERICI HOMBERGK ZU VACH,
*Jur. in Acad. Marburg. Prof. Ord. Themis, seu de Ortu
 legis æternæ secundum sententiam Græcorum*
Liber singularis.

Marburgi Cattorum, impensis Philip. Casim. Mulleri; 1725, 4.
 Alph. 1.

Subtiliorem Juris Civilis interpretationem, quæ tædiosa juvenibus studiosis facile solet fieri, amœniore quadam narratione interpolaturus, Celebrerrimus Autor fabulam de Themide aliquot abhinc annis publicis prælectionibus exposuerat, ea sibi, ut sententiam antiquissimorum Græcæ sapientum ista fictione obvolutam detegeret. Dignas postea judicavit easdem meditationes, quas publicæ committeret luci, parum veritus librum de Themide Dea olim editum a *Stephano Pigbio*, qui saltem generalia quædam hujus argumenti tractat. Noster eam pro insigni Græcarum litterarum, qua pridem inclaruit, eruditione singulas fabulæ, prout ea ab *Ascæo* poeta in *Theogonia & Orpheo* in hymnis celebrata est, partes evolvit atque ex antiquitate Græca & Romana, plurimisque veterum locis illustrat, dum in eo totus est, ut Græcorum de juris divini humanique primæ origine ac natura philosophiam occultiorem explicet. Nos meditationes Nostri paulo studiosius recitabimus. Themidem (cujus nomen apud *Homerum & Hesiodum* passim *legem, jus & fas, oraculum, consilia*, aliquando *jus, sive vectigal Principi solvendum*, notat) veteres fixerunt Cœli & Telluris filiam, conjugem Jovis secundam, cui fertur tres peperisse filias, *Eunomiam, Dicem & Irenem*. Per Cœlum & Tellurem res visibiles intelligendæ; nam ab iis, quæ in sensus incurrunt, generationem Deorum, seu potius hujus universi creationem exorsus *Hesiodus* Cœlum antiquissimum Deorum dixit. Saturnus Themide natu posterior, sed origine tamen generis humani antiquior fingitur. Ergo Themis, i. e. jus, ante homines conditus ex gentilium opinione jam extitit. Tam alte repetierunt Sapientes originem juris, intelligentes ex ipsa

p. 9.

17.

p. 19.

- juris rerumque creatarum ratione, jus unum cum rebus creatis ortum esse. Jus enim intendit rerum, quibus præest, conservacionem, ac ne hæc in operationibus suis se invicem turbent. Quoad unum, quod per omnia sibi simile, tantummodo extitisse cogitamus, nullus apparet juris usus. At duæ res creatæ simul subsistere nequeunt sine lege, secundum quam subsistant agantque. Statim igitur dum Cælum & Terra e Chao prodire, jus etiam adfuit, quod modum operandi secundum communes, vel proprias vires determinaret. Quicquid vero virtutis in Themidem Cælum & Terra, seu parentes, contulerunt, id non aliunde habuerunt, quam ex Archetypo & primo juris fonte, i. e. prima & universali rerum causa, quam Amorem Poetæ pariterque Philosophi appellare. Terra quamvis, ut corporea & pondere gravis, nihil ad generationem juris contulisse videatur, expendendum tamen est, jus duplici natura esse præditum atque parentis utriusque naturam referre, incorpoream formam a patre, corpoream a matre habere. Promanat illa a Divina patris intelligentia, imo ipsa est ratio summi Jovis, qui fons est omnis pulchri, boni, æqui, justique decori. Ab hoc omnis ordo, pulchritudo, bonitas & amicitia rerum creatarum provenerunt. Tellus, sive natura rerum corporea, non minus jure regitur, quam ipsum cælum, sive spiritus, quo materia animatur. Jus hoc naturæ illi corporeæ conveniens esse debuit, atque hinc e penetralibus Telluris natum Græci dicere. Videntur hac mente Veteres Themidem *Θέαν σωματικήν* & *σωματοειδήν*, corpoream, vocitasse, quod affirmavit Pighius, & Platonis dictum comprobant. Hinc duæ Themides, una *σωματική*, altera *νοητική*: illa dirigit elementa & corpora inferiora, hæc animos hominum & actiones. Hinc duplicia Themidis sacra, *Carmenalia* Romanis dicta, quorum alia ad animi, alia ad corporis curam & sanitatem respexere. Carmenta enim eadem, quæ Themis, eaque eleganter traditur ex Mercurio Evandrum suscepisse, id est, bonum virum. Sed præter Themidem, juris Deam, occurrit in hymnis Orphei sæpius *Nomis*, juris Deus, more gentium superstitionum, qui idem Numen Deum Deamque effingere adamabant. Attamen dicendum videtur, *Nomon* magis earum legum, quibus corpora continentur, & naturæ præsidem; Themidem vero omnium in universum, imprimis quibus mentes huma-

humanæ reguntur, principem habitam fuisse; imo Nomon significasse legem latam & positam rebus, Themidem vero Deam & præfidem illius juris: unde forte Nomos Orpheo non Deus, sed tantum Rex salutatur. Themis etiam ob vaticinandi facultatem augustior, & concilio Deorum interesse credita fuit, non item Nomos. Magnifica & plurima sunt, quibus Themis a vatibus exornatur, epitheta, in quibus eminet illud, quo ab Orpheo celebratur *ἱεροκόπιος ἀνδροῶν*, *sacra observatrix hominum*, quod Jos. Scaliger vertit *Juritis Cortumionem*, quo quid divinandum proponere vulerit, quotusquisque intelliget? Optime reddetur *ἱεροκόπιος Sacerdos*, interpretationem hanc Helychio suggerente. Verum & complura attentione digna ab antiquis de Themide afferuntur, v. c. eam jussu Jovis Deos ad concilium convocare, cum Jove consilia conferre, e templo in Bœotia per oraculum Deucalioni & Pyrrhæ consilium instaurandi generis humani dedisse, atque in genere oraculorum & vaticiniorum præfidem esse, mentes humanas concitandi & in furorem agitandi facultate pollere. Furor iste, non Poetis proprius, sed cum aliis hominibus communis, (quo de Nolter meditationem subtiliorem inserit,) est, *cum perpetuus ille vita mentisque nostra motus extra ordinem movetur atque ultra leges vulgares omnibus mortalibus inditas ad veritatis contemplationem impellitur, ita, ut magna cum facilitate rerumque non vulgarium ubertate cogitata sua vel re ipsa explicet, vel certe ad ea explicanda mens sese aptam sentiat & idoneam*. Furor iste ubi contingit, parturire semina mentis humanæ, i. e. facultates intellectus, dixeris, & abyssum rerum atque scientiarum, qui in homine est, recludi, unde, plurimæ artes ac disciplinæ olim ut invenirentur, factum est. Themidi vero attributa vaticinandi atque furores excitandi virtus, ut innueretur, jus, cui illa præest, legem esse divinam, ab ipso summo Bono naturæ inditam, secundum quam non tantum formata sit & ordinata, sed & cujus ope facta tacta conservetur, ac si vel humanum jus tantum spectes, est illud, quatenus vel jam definitum, vel adhuc definiendum est, immanens quædam vis rationum, secundum quas actiones humanæ dirigendæ & judicandæ sunt. Hanc vim Themidi, tanquam potestati Deo inferiori, adscribere Græci, ac præterea finxere, ipsis quoque Diis, præsertim Apollini, vaticinandi

p. 47.

51.

56.

59.

72.

nandi facultatem datam esse a Themide. Homerus cecinit, *nectar*
 & *ambrosiam* Phœbo præbuisse Deam; quibus significare voluit
 sapientiam divinam & cognitionem perfectam eorum, quæ vere
 sunt, tam præsentium ac præteritorum, quam futurorum: eam
 enim scientiam Deorum cibum veteres nominasse, e Platonis,
 Jamblichi, Homeri aliorumque locis apparet. Apollinis autem,
 id est, Solis lumen ac virtutem in mentes humanas diffundi credi-
 derunt, eoque scientiis homines illustrari. Nec solum vaticiniis
 claruisse fertur Themis, sed & consilio ac prudentia, qua ipsum
 fatum, causarumque naturalium consecutiones moderetur, &
 pro sapientia sua aliud constituat, magis accommodum utilitati
 generis humani promoveudæ. Ex his licet consecutaria quedam
 elicere: *primum*, aliud esse theoriam juris, h. e. legum memo-
 riam, aliud cognitionem ordinatam causarum & rationum, qui-
 bus reguntur omnia, possidere: *alterum*, talem esse cujusque
 scientiam in jure, qualem Deus illi dedit: *tertium*, infinitarum
 consecutionum seriem, unde eventus pendet, Dei consilio & pro-
 videntia regi, gentiles etiam agnovisse, idque vel hanc fabulam
 ostendere: *porro*, omnes excellenter malos furoribus agi ad ma-
 lum: *denique* statum illum mentis, de quo supra dictum, furo-
 rem quidem nominari, revera autem summam esse animi tran-
 quillitatem, dum hic ad seria, bona & laudabilia abripitur. Jam,
 ad fabulam de Themide ut revertamur, ponendum est, unam
 esse illam, omnis juris fontem ac scaturiginem; quamvis alii du-
 as Themides sinxerint, diversa, ut indicavimus, respicientes. Pla-
 tonis certe atque Ciceronis judicio una est lex, summique Jovis
 ratio, summus & unus ille bonus finis, ad quem omnia guber-
 nantur. Sed ea lex per inferiorum Deorum & ordinum potesta-
 tem corporumque cælestium & elementorum species diversis ra-
 diis diffundi, indeque in mentes humanas ac corpora pro-
 cujusque materiæ conditione, ex supremi rerum gubernatoris vo-
 luntate derivari dicitur. Hinc *quatuor æternæ legis species* secun-
 dum Platonem, quarum primam *Divinam & Saturni legem* do-
 cet versari in ideis circa summum bonum supra rationes: secun-
 dam *cælestem* in superiore animæ mundi parte, quam *fatum &*
Jovis legem vocat, in rationibus occupari vult circa ideas supra se-
 mina: tertiam statuit movens in movente, *legemque primæ Ve-*
neris

p. 79. ff.

88.

90.

94.

niris appellat, agentem in feminibus circa rationes supra formas: quartam in hominis mente animaque rerum creatarum collocat, quam *secunda Veneris legem* nominat, in notionibus & formis circa rationes supra actus atque artes inveniendam. Conspirant hæc cum sententia Platoniorum, cuncta a Deo bona in homines per intermedios dximonas derivari, & cum quatuor illis circulis, quibus omnem rerum pulchritudinem, Deum in centro collocantes, inesse sinxerunt. Ulum quatuor istorum juris graduum si requiras, primus quidem removendus videtur, cum Deus, fons omnis juris, sit expers legis: cumque de mente & anima universalis parum confluet, duo etiam gradus intermedii non nisi eos juvabunt, qui animam mundi agnoscunt. Itaque superest ultimus gradus, quem constituit humana ratio, cui quatenus jus infitum recte dicatur, cuiusque conscientia relinquendum est: quale vero jus illud sit, quod humana ratione excogitatum tradi ac proponi solet, non ignoratur. Ceterum gradus illi nos admonent, quemadmodum a superioribus, & primo omnium rerum principio ad inferiora & extrema descendere, ita quoque ab inferioribus nos posse & debere ad summa rerum principia ipsiunque Deum ascendere. Et in infimo quoque gradu inest aliquid divini, qui divinitatis velut speculum & totam juris compagem continet: unde merito jurisprudentia rerum *divinarum atque humanarum nectitia* celebratur, quæ, fatentibus Græcis, sine Deo, ac sine animo vitis affectibusque malis purgato esse non potest. Sed hæc de virtutibus & facultatibus Themidis: considerandum nunc ejus conjugium. Dicitur enim secunda Jovis conjux, quam nuptias ejus fugientem & apud Ichnas Macedoniæ deprehensam in matrimonium duxit. Jupiter in hac fabula spectandus, ut potestas summo Deo subordinata, cui imperium mundi, conservatio & motus fiat commissa. Ei conveniebat summum consilium & perfectum judicium, per Methin, primam Jovis uxorem, representatum, quam gravidam devorasse ideo fingitur, ne illa sapientiosem Jove Deum pareret. Ex arce rationis universalis & divinæ, capite scilicet Jovis, educenda igitur erat Minerva, sapientia & scientiarum Dea. Themidis vero connubium optime decet Jovem, quoniam ad gubernationem hujus universi consilium sine jure non potuisset sufficere. Illa delitescens ac fugiens

p. 100.

107.

114.

conjugium ideo fortasse traditur, vel, ut summa æternæ legis caritas indicaretur, vel, ut Themidem per omnes res creatas dispersam, multiplicem, variam & multiformem esse, ideoque velut fugere oculos hominum, nec nisi ab ipso Jove deprehendi posse significaretur, vel, quod esset ἀγνή, *casta*, ut ab Orpheo primum ei datur elogium, quodque esset *nobilis honoque patre nata*, quam proinde fugere ac matrimonium renuere, quam sese persequenti offerre, magis deceret. Inventa dicitur in locis, *quibus pedum ejus impressa fuerint vestigia*, unde cognomen ejus *Ichneæ*, egregie quidem, cum jus magno studio ac diligenti investigatione inveniatur. Liberi ex hoc Themidis Jovisque conjugio nati dicuntur fuisse Horæ & Parcæ. Horarum prima est Eunomia, i. e. bonæ leges, aptaque earum dispositio, ordo & justitia; altera Dice, i. e. justitia, vel judicium, quod secundum leges omnia distribuit, ac turbata in ordinem redigit; tertia Irene, seu pax, quæ positis illis prioribus necessario sequitur. Hinc Pindarus, Corinthum laudans, eam Horarum præsentia beatissimam prædicat. Genuisse Themis & Parcas dicitur, itidem numero tres, quia, ut Plato explicat, una præsens, altera præteritum, tertia futurum tempus respicit. Hæ certe, quia hominibus bona & mala distribuerent ac delicta persequerentur, (qua causa Hesiodus eas *immites & atra* dixit; Horatius vero *filia earum atra* vocavit, ut frustra sit Scaliger, cum propter vitæ lucem *candida* dici debuisset contendit,) optime ad legem æternam & ad jus referuntur. At, cum Themidis fabula jam percensita sit, quid de Astræa Virgine sentendum erit? Aratus *Virginem* vocat, sed incertus, utrum Astræo, an alii Deorum filiam adscribat. Jovis & Themidis filia, ipsa Dice, habenda videtur, quod ei nomen idem Aratus etiam vindicat. Atque hæc hæc hactenus Noster de fabula Themidis. Subnectit illis doctam de simulacris Themidis & filiarum, in lapide Terminali a Pighio exhibitis dissertationem. Docet ibi, veteres Themidem ut Terminum recte animo concepisse, quod secundum legem æternam non solum totum universum terminis ac numeris constet, sed & singulæ ejus partes limitibus suis contineantur. Huc spectare illud Horatii in carmine seculari:

Vosque veraces cecinisse, Parca,

Quod semel dictum est, stabilisque rerum

Ter-

*Terminus servat, bona jam peractis
jungite fata.*

Cumque in singulis his verbis V. Cl. R. Bentlejus lectionem communem sollicitaverit, Noster nihil mutandum de illa censet, si Terminum accipias Deum, haud frustra Parcis junctum, ut sensus sit: *quod semel a Jove dictum & sancitum est de Rom. Imperii felicitate ac aeternitate, id Parca & Terminus; atque ordo rerum stabilis immutabili necessitate servant!* De forma Termini quadrata monet, eam non quidem soli Themidi aptatam, sed tamen huic optime convenire, ut immutabilis legis aeternae consilientia, atque rerum superiorum & inferiorum, divinarum humanarumque conspiratio, quam jus intendit, significetur. Hinc subnata de quaternario Pythagorico ac de Theologia Pythagoræorum disputatio, quam Noster ad finem usque libri necit, ac demum tribus saltem verbis ad Themidem applicat. Fuimus in recensendo hoc libro singulari, quam proposueramus, longiores. Vin' causas? quoniam & dignus erat, & maxime, quod verebamur, ut multi sint ad eum perlegendum satis patientes futuri: quantumcunque enim aeternitatis hae meditationes habeant, subtilitas tamen argumenti & implicati rerum nexus, quos etiam digressiones a Nostro insertae aliquoties interrumpunt, multos lectorum deterere posse videntur.

p. 151 ad fin.

NOVA LITTERARIA E LUSITANIA.

CUM non sine insigni Reip. Litterariae commōdo eveniret, ut V. C. *Dominicus Capassus*, Neapcl. Soc. Jes. qui observationibus Astronomicis, quales ab eo liberaliter communicatas huic ipsi Mensi inferuimus, in Lusitania assidue incumbit, Vir promovendis bonis litteris natus, commercium nobiscum litterarium instituere coeperit; non ingratiū futurū Lectori existimamus, si librorum quorundam in Lusitania postremis his annis editorum, quorum haecenus nulla ad nos notitia pervenerat, titulos ex ultimis ejus litteris hic describamus. Prodiere vero sequentes, omnes Lusitanico idiomate: *Emanuelis de Lima, Dominic. Hagiologium Dominicanum, in quo vita Beatorum & Martyrum aliarumque Venerabilium personarum ejus ordinis per omnes anni dies describuntur. Ulyss. T. I 1703, T. II & III 1710 & T. IV 1712, fol. Andreae Joannis Antonii cultura & opulentia Brasilia. Ulyss. 1711, 4. Franc. de*

de S. Maria Annus Historicus; seu Diarium Lusitanicum compendiosa notitia Personarum illustrium & rerum notabilium in Lusitania. Ulyss. 1714, fol. Antonii Franco Imago virtutum. Ulyss. 1714; tomo unco, Conimbræ 1717 & Eboræ 1719, tomi II, fol. quo libro de viris illustribus Soc. Jesu, qui in ea tyrocinium posuerunt, agitur. Joannis de Sacramento, Carmel. discalc. Chronicon sui Ordinis, pertinens ad Provinciam S. Philippi in Regno Lusitan. Pars II. Ulyss. 1721 fol. Dominici Teyxeyræ, Augustin. Discalc. vita D. Nonii Alvari Perenii, secundi Comitis Stabulis Lusitani. Ulyss. 1723, fol. Didaci Bernardi de Saa Exemplar Politicum, quod in gestis D. Petri Lus. Regis sibi proposuit imitandum octavus ejus Nepos, Ulyss. 1723, in 16, Augustini de S. Maria, Augustiniani Discalceati, Historia tripartita. Ulyss. 1724, 4. Agit hic Autor 1 de vita SS. MM. Verissimæ, Maximæ, Julix & Sororum, 2 de adventu & prædicatione S. Jacobi in Hispania, nec nou de Ordinis sui primordiis; 3 de origine realis cœnobii mulierum (vulgo dicti *dos Santos*) ejusque illustribus Commendatariis ab A. 1712 ad hæc usque tempora. Damiani Goes Chronicon Joannis II Reg. Lus. Ulyss. 1724, 8 recusum. Aloysii de Abreu, Franciscani, Sol in occasu oriens, occidens in ortu, seu Epitome Historiæ panegyricæ Sancti Antonii Ulyssiponensis. Conimbræ 1725, fol. Quod Latine prodierit, nihil reperimus, præter Petri de Almeyda S. J. in Caji Suetonii Tranquilli Julium Octavium & tres Flavios Commentarios, Ulyss. 1715, 4 editos. Sub prelo vero Ulyssipone nunc esse accepimus sequentes: Josephi Barbozæ, Clerici Regularis, Academici, Catalogus critico-historicus & chronologicus Reginarum Lusitanarum; Emanuelis Azevedo de Fortis Cursum Mathematicum pro integra institutione Architecturæ Militaris, qui comprehendet 1 Elementa quantitatis generalia, 2 Elementa Euclidis, 3 de Sphæra & Geographia, 4 Trigonometriam, 5 Geometriam speculativam & practicam, 6 Architecturam militarem; Historiæ Academiæ Regiæ Tomum I, quo agitur de ejus fundatione; Monarchiæ Lusitanicæ Tomum VIII, ejusdemque libri Tomum VII emendatiorem; quos plerosque idiomate Lusitanico prodituros, non dubitamus. Præterea nuntiandum, Franciscum de Cruce, Soc. Jes. summo labore integram Lusitanarum Bibliothecam ad annum usque 1706, quo e vivis excessit, prelo paratam reliquisse, in qua augenda & continuanda nunc Vir quidam doctus ejusdem Societ. occupatur, ut spes fit, eam proxime typis subjiciendam.

No. IX.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXXVI.

Der vollkommene Deutsche Soldat, ic.

hoc est,

MILES GERMANUS PERFECTUS, OMNEM
Sciëntiam militarem, imprimis quæ ad militem pedestrem
spectat, dilucide exponens. Autore JOANNE FRI-
DERICO A FLEMING, Potent. Poloniarum
Regis & Electoris Saxonie Tribuno mili-
tum pedestrium.

Lipsiæ, apud Joan. Christianum Martini, 1726, fol.

Alph. 9 plag. 8 Tabb. xn. 64.

Autor genere & eruditionis illustris, rei que venatoriæ ac
militaris peritissimus, cum intelligeret, præclarum, quod
de re venatoria ediderat, & nos proxime in Supplemen-
tis recensebimus, opus multo cum applausu excipi; de
scientia quoque militari commentari constituit in gratiam potissi-
mum juventutis generosa stirpe oriundæ ac Marti nomen daturæ.
Ingenue autem fatemur, opus in hoc genere eminens curiositati
atque utilitati omnium eorum satisfactorum, qui, quæ ullo mo-
do ad rem militarem spectare posse videantur, accurate cognoscere
aveant. Auctorem enim generosissimum non ea modo in medium af-
fert, quæ domestica experientia & multa cum Viris prudentia mi-
litari eminentibus consuetudo ei suggestit; verum etiam addidit,
quæ ex MSC. Patris, Potentissimi Regis Poloniarum & Electoris
Saxonie quondam Chiliarchæ & Præfecti Castellii montani *Kæ-
nigstein*, hausit. Partitur opus egregium & hætenus desideratum
in sex partes. Earum prima docet, quænam sint scientiæ ac artes
præparatoriæ, quibus operam navare debet Nobilis castra secuti-

Bbb

rus.

rus. Postquam hic regulas utilissimas de educatione liberorum, de- que pietate, virtute ac bonis moribus eorum formandis præscripsit, post tyrocinia in legendo & scribendo deposita commendat Artem delineatoriam ac pictoriam, Arithmeticam, Studium linguarum, Latinæ potissimum, Gallicæ ac Italicæ, Musicam, athleticam, artem saltandi, desiliendi, equitandi, venandi, profecandi. Ubi- que vero ducem fidelem experies Nostrum, præceptis salutaribus lectorem instruentem. Succedunt scientiæ Mathematicæ, in quo- rum censum refert Geometriam, Architecturam Militarem, & Civilem, Mechanicam, Aerometriam, quam in artis formam primum redactam fuisse a Cel. *Wolffo* monet, & cujus multum in arte salutari & œconomia usum agnoscit, Hydrostaticam, Hy- draulicam, Opticam, Astronomiam, Geographiam, Chronolo- giam; sed ex earum numero excludit Astrologiam cum aliis arti- bus divinatoriis. Disciplinis Mathematicis jungit Geographiam naturalem atque civilem. Rejectis methodis spuris conjectandi hominum mores ac inclinationes naturales, quæ nituntur tempe- ramentis & vulgo sic dictis passionibus dominantibus, ambitione, avaritia & voluptate, una cum physiognomia, propterea quod in- sufficientiam re ipsa expertus, eam præfert, quæ actionibus ho- minum nititur, a Cl. *Wolffo* in Meditationibus Moralibus propo- sita. Postquam regulas quasdam in usum peregrinationum pro- posuit, & quæ ex Geometria practica discenda sint, docuit; ea ex Architectura militari & Pyrotechnia explicat, quæ militi suo u- sui esse possunt. Varia vero in Pyrotechnia occurrunt practica, quæ alibi frustra quæsieris. Colophonem Parti primæ imponit biblio- theca militis. Parte secunda generosus Autor officia militum ex- ponit. Absoluto discursu generali de arte militari, quo imprimis prærogativa rei militaris modernæ præ veteri stabilitur, de eadem in specie disserit, ubi juris præsertim militaris & causarum belli habetur ratio. Recenset deinde virtutes & mores, qui militem ornant; monet, quæ circa matrimonia militum observanda; de- scribit eorum jura & privilegia unâ cum eorundem speciebus. Postquam de Ducibus militum egit; mores cum Romanorum, tum Germanorum scribendi militem delineat, & cum Præcessum criminalem Desertorum, tum dimissionem militum legitimam descri-

describit. Hisce præmissis singulorum cum militum, tum ducum, tum omnium eorum, qui castra sequuntur, quocunque demum nomine veniant, officia prolixè inculcat. Parte tertia diversæ operationes & expeditiones militares describuntur, veluti mandata imperatoris, consilia bellica, cura exercitus comparandi, faciendi & conficiendi, arma militum, eorum itinera, pabulatio, castrorum metatio, aciei institutio, exercitia militum, munitorum obsessio, defensio, expugnatio, stratagemata, induciæ, victoria, captivatio, sepultura militum, eorumque hospitia una cum plurimis aliis, quæ hisce affiniæ sunt. Parte quarta prolixè non minus quam accurate singula tradit, quæ in locis munitis tempore pacis observanda, ubi etiam nonnulla de muniendis locis præcepta præmittuntur. Singularia hic occurrunt de milite prædiario, de præparando pulvere pyrio, de tormentis, mortariis, tormento institutio, comæatu, disciplina militari, officiis militis prædiarii & supremi præfectus, ut alia complura silentio prætereamus. Parte quinta docet Autor, quomodo loca munita adversus insultus hostiles & obfessiones sint defendenda. Agitur hic inter alia de fœderibus, de avocatoriis, de singulis operationibus bellicis in defendendo loco usitatis, de capitulationibus, ubi locus obsessus hosti tradendus, de pœnis summi præfectus officio suo minus satisfaciens & quæ sunt his gemina alia. Parte sexta eaque ultima exponit Noster, quæ in locis obsidendis & expugnandis tenenda sunt. Exponuntur hic omnes operationes in bello offensivo necessariae, quæ vulgo in institutionibus Architecturæ militaris sub titulo præceos offensivæ ex parte traduntur, & triumpho quoque cum ignibus festivis representantur. In singulis Noster ita versatur per integrum opus, ut, quæ hodie usu obtinent, quam accuratissime describat. Quamobrem qui idem perlegit, eam rei militaris notitiam sibi comparat, quam vix obtinere datum fuisset, si castra diu multumque secutus singulis ipsemet interfuisset, sibi que visa atque experta sedula cura annotasset. Satisfaciet igitur Autor non modo illis, qui Marti nomen dare constituerunt, verum etiam aliis, qui Architecturam militarem profitentur, immo eorum quoque curiositati, quibus universæ rei militaris rationem perspicere volupe fuerit. Multa quoque historica operi passim inserta sunt, quibus, quæ dicuntur,

aut illustrantur, aut confirmantur. Sequitur denique appendix, in qua Autor illustris de militibus celebribus & eruditis, de nobilitate, certaminibus singularibus, equitiis, ordinibus equestribus, feudis aliisque agnatis materiis agit. Tabulæ æneæ integras plagulas occupant, ac nitide & distincte oculis spectanda exhibent, quæ ex sola descriptione non sufficienter intelliguntur. Additur in fine index locupletissimus, qui hunc etiã habere potest usum, ut termini militares, quorum sane non exigua copia est, evolvi possint, quoties eorum ignãris occurrunt.

Schauplatz der Wage und Gewicht-Kunst, der Wissenschaft
und Instrumente zum Wasser, Wagen etc.

hoc est,

THEATRUM STATICUM UNIVERSALE;

Autore JACOBO LEUPOLDO, Mathematico &

Mechanico, Potent. Polu. Regis & Elect. Saxon. Con-

siliario & Commissario rei metallicæ, diver-

sarum Societatum Regiarum

Membro.

Partes IV.

Lipsiæ, apud Autorem & Joh. Frid. Gleditschii filium, 1726, fol.

Alph. 2 plag. 11 Tabb. æn. 57.

Pergit industrius & de Mechanica omnique Mathesi practica optime merens Autor in edendo Theatro Machinarum universali, & hac vice profert machinas & instrumenta, quæ ad *Staticam* referri possunt, sub titulo *Theatri Statici universalis*. Dividit id in quatuor Partes. Earum primam *Theatrum Staticum* per eminentiam vocat & in ea libras omnis generis in scenam producit una cum ponderibus ad librandum requisitis. Parti secundæ *Theatri Hydrostatici* nomen imponit, & in ea apparatus instrumentorum ad experimenta hydrostatica requisitum describit. Partem tertiam *Theatrum aerostaticum* appellat; & in ea instrumenta aerometrica & meteorologica repræsentat. Denique partem quartam *Theatrum horizontostaticum sive libellationis* dicit, & in ea li-

bella-

bellarum varia genera cum arte libellandi delineat. Agedum vero videamus paulo distinctius, quænam in singulis partibus contineantur.

Præmissis itaque terminorum nonnullorum explicationibus Part. I.
aliisque principiis staticis, quorum ad librarum æquilibrium in- c. 1. 2.
telligendum usus est, commendatisque Autoribus, qui de Statica
cum fructu leguntur, *Archimede, Guidone Ubaldo, Daniele Mag-*
lichio, Simone Stevino, Walliso, Jungenitkelio, Wolfio & Claudio
Francisco Millieto Dechaes; instrumenta quædam describit, qui- 3.
bus ea ad experimenta revocantur, quæ a Mathematicis de libra
demonstrantur. Habent nimirum istiusmodi experimenta hunc
usum; ut rationes praxium mechanicarum illi quoque perspic-
ant, qui de demonstrationum mathematicarum non sunt capaces.
Inde Cl. Autor digreditur ad libram ordinariam quam accuratissi- 4.
me quoad singulas partes delineandam, qua in determinando
ponderè mercium utimur, & artificia singula exponit, quibus
motus libræ onustæ facilitatur. Imprimis etiam libras minores ad
expendendos nummos aureos contemplatur. Quoniam vero cir- 5.
ca libras minores, quarum multus est in diversis casibus usus, mul-
ta quoad fulcra earundem diversitas occurrit; neque in his curate
delineandis desiderari patitur industriam suam, non neglectis ar-
tificiis ad accuratam constructionem requisitis. A libra ordinaria 6.
ad stateram sese confert: ubi etiam majorum rationem habet ac
imprimis stateram majorem Lipsiensem ad ponderandum curru-
sæno onustos a se A. 1718 constructam una cum ea, qua ante ute-
bantur, repræsentat. Producit quoque in scenam stateram pro-
pendendis nummis aureis, libram *Cassini*, quæ non solum pon-
dus, verum etiam pretium mercis determinat, aliasque non mi-
nus curiosas quam utiles: quas inter comparat statera *Sanctorii* in
usum transpirationis insensibilis determinandæ ab ipso perfecta
& nomine *machina anthropometrica* insignita, atque ejusdem
Sanctorii libra Sphynicia seu instrumentum pulsus arteriarum
dignoscendi. Sequitur tandem prolixus de ponderibus discursus,
in quo Cl. Autor varia pondera describit & diversis in locis usita-
torum rationem ad Norimbergense determinat. Utitur hic operâ

Joanni Georgii Schoapp, qui de hoc argumento A. 1722 suis sum-
tibus peculiarem Tractatum idiomate vernaculo edidit.

Part. II.
c. 1.

In *Hydrostatica* Cl. Autor commendat *Cel. Wolfii* Tomum
primum Experimentorum, in quo doctrinam omnem hydrosta-
ticam maxima perspicuitate tradi prædicat: quamobrem & ejus
opera hic sæpissime utitur. Laudat tamen & passim *Cel. Gravesan-
dii* Tomum I Introductionis ad philosophiam *Newton* in quo ean-
dem doctrinam experimentis illustrat atque confirmat. Nimirum
præmissis principiis de diversitate gravitatis specificæ cum solidor-
um, tum fluidorum, ea experimenta recenset, quibus æquili-
brium ac pressio aquæ juxta varias directiones exercetur, & com-
moda describit instrumenta huc requisita. Docet deinde, quomodo
gravitas specifica fluidorum ope vasis determinatæ molis & li-
bræ vulgaris, sed exactæ, exploratur: ubi imprimis vasis habenda
ratio, ne fluidum in superficiem convexam protuberans pondus
augeat, cum molem non augere censeatur. Monet Noster, se in
his experimentis usum esse pede *Rhenano*, quem in Batavia emtum
contulit cum pede *Wolfiano* & eundem deprehendit. Reperit au-
tem pondus unius pedis cubici aquæ 64 librarum & semuncie
unius, qui juxta *Wolfium* est 64 librar. 7 unciarum 2 drachmarum.
Monet autem pedem Amstelodamensem ex asse congruere cum
Lipsiensi. Digitum cubicum argenti vivi determinat 4120, spiri-
tus vini 226, plumbi 3334, ferri 2338, stanni 2198, ligni ex pyro 193
granorum. Docet præterea gravitatem liquorum specificam ope
tubi recurvi determinare, nec non ope solidorum fluidis specificè
levioribus immerforum. Atque hac ratione delabitur ad aræome-
tra describenda, quorum varia sunt genera. Reperies hic aræo-
metrum *cerevisarium* tum *Dantiscanum*, tum *Leupoldianum*, una
cum *Leupoldianis aræometris* aquæ tam salis quam dulcis den-
sitatem ac specificam gravitatem explorandi. Occurrit porro aræo-
metrum singulare in usum mineralium & gemmarum, aræo-
metrum *Monconyssi* & *R. P. Feuillæ*, item *Cornelii Meyeri*, una
cum *Hauksbejano*, quod ex Tomo primo Experimentorum *Wol-
fi* exhibuimus in Actis A. 1722 p. 35. Ultimo tandem declarat mo-
dum determinandi gravitatem specificam solidorum in fluidis de-
mersorum. Varias describit libras, quæ huic usui inservire pos-
sunt

sunt & inter eas *stateram hydrostaticam* a *Joanne Adamo Cassio*, Architectorum militarium Praefecto, inventam, qui A. 1721 in Architecto suo militari, Cassellis idioma vernaculo & Gallico edito, novam muniendi formam trigoni & octogoni regularis dedit & a *Cel. Wolfio* in Mathesi se profecisse gratus confitetur. Nec negligit *Vitrum Archimedeum* *Cl. Schwedeborgii*, de quo diximus in Actis A. 1722 p. 264. Quoniam *Cl. Henckelius* in Pyritologia, quam nuper in his Actis p. 270 commendavimus, *Cl. Meuderi*, Medici Dresdensis, observationes circa experimenta hydrostatica in determinanda tam fluidorum, quam solidorum gravitate specifica una cum gravitate specifica multarum materiarum ab eodem explorata cum publico communicavit: Noster, ne quid omitteret, quod Lectori suo usui esse poterat, easdem huc transferre nullus dubitavit, quamvis opus ultra molem debitam excreverit, ut tres Partes posteriores minuto caractere imprimi fuerit opus.

Aerostaticam appellat Autor, quam alii *Aerometriam* appel- Part. III
 lant. Eandem ad tantam perfectionem nostro ævo pervenisse c. 1.
 agnoscit, ut *Wolfius* eam in formam scientiæ mathematicæ redigere & ipsi inter disciplinas mathematicas locum assignare potuerit. Monet autem, se non omnia hic in scenam producturum, quæ apud *Wolfium* leguntur, sed ea tantum, quæ ad instrumenta & machinas intelligendum sufficiunt, usibus aerometricis destinata. Præmissis itaque experimentis, quibus aeris gravitas, elasticitas & pressio confirmatur, ad *tubum Torricellianum* progreditur, qui hodie *barometri* fert nomen. Multa hic recenset artificia in conficiendis barometris usitata, quæ inter quoque comparent proprio Marte reperta. Describit vero tria genera barometrorum a se ipso inventorum & unum *Anglicanum* in usum itinerum. Docet deinde perspicue, quam manum medicatricem huic instrumento attulerint *Comierius* cum *Guerckio*, (vide Acta Anni 1684 p. 26), *Bernhardus Ramazzini* in Ephemeridibus barometricis Mutinensibus, *Joannes Bernoulli* in Actis A. 1716 p. 11, *Hugenius*, *Philippus de la Hire*, *Royberus*, *Amontonius*, *Boylius*, *Hookius*, *Hallejus*, *Franciscus Tertius de Lanis* aliique. Cum de causis mutationum in barometro differit, variorum quoque experi- 2.
 3.
 4.
 peti-

- perimentorum mentionem injicit, & hinc inde lectorem ad *Wolffii* Tomum I & II Experimentorum ablegat. Explicat hic quoque methodum altitudines montium opè barometri determinandi & observationes *Mariotti* cum *Scheuchzerianis* inter se confert. De luce barometrorum cum *Cl. Leutmanno*, *Beuthnero* & *Büttnero* sentit, multiplici experimentorum fide fretus, 1 barometrum in tenebris agitatum non lucere, si pars superior tubi ab omni aere fuerit vacua; 2 lucem autem extemplo comparere, admissa bullula aeris; 3 lucem comparere in Mercurii descensu, minime autem in ascensu, 4 bullulam tamen intra Mercurium interceptam lucere tam in ascensu, quam in descensu, 5 lucis quantitatem esse aeris quantitati ita proportionatam, ut nimia lucem omnem extinguat, justo minor eandem debilitet, 6 Mercurium purificatum fundere lumen clarius, impurum debilius. Instructionem barometri lucentis dat ex ejusdem *Leutmanni* Meteorognosia, nuper in his Actis p. 24 recensita. Ceterum hac data occasione agit de experimentis *Hauksbejanis* opè Mercurii descendens vel affricu vitri evacuati producendi lumen. A barometro ad manometrum digreditur. Primum exhibet *Guerickianum*, quod inventor cum *Boylis* pro barometro habuit, sed manometrum esse demonstravit *Wolffius*, cujus ex parte secunda Experimentorum demonstrationem adducit Noster. Subjungit *Varignonianum* & *Wolfianum*, ac utrumque 6. ipsis *Wolffii* verbis describit. Inter thermometra primo loco representat *Drebbelianum* sive *Batavum*, in quatuordecim formas distinctas. Subjungit *Florentinum*, ubi quoque thermometrorum *Fahrenheitianorum* concordantium mentionem injicit, de quibus diximus in Actis A. 1714 p. 380, & quorum perennem concordiam ab illo tempore in hunc usque diem expertus est *Wolffius*. Nec silentio præterit thermometrum Mercuriale, quod antea jam ab aliis descriptum tanquam novum inventum proposuit *Cl. Balthasar* in Actis A. 1719 p. 128. Inter hygrometra, quæ magno numero affert *Cl. Autor*, comparent etiam *Teubertiana*, *Lichtscheidianum*, *Gouldianum*, *Amontonianum*, in Actis A. 1685 p. 316, A. 1687 p. 76, A. 1688 p. 179, 180, 376 descripta. Inprimis detegit arcanum hygroskopium Hamburgense, quod tantopere prædicatum ab inventore, etsi Noster idem ceteris hygrometris inferius longe depre-
- hen-

henderit. Nimirum *J. G. Cotta*, quem laboratorio suo mechani-
co præfecit Autor, cum ob impedimenta ipsemet labores dirigere
nequeat, experientia in pueritia hausta recordatus reperit, pa-
rari idem ex gummi cerasi adhuc molli, si inde fila formentur & ex
iis tela oblonga instar lamellæ formetur. Est enim *Hamburgensis*
longitudo 4 digitorum, latitudo $\frac{3}{4}$ unius; quod charta obductum
in parte superiori, ubi manu tenetur. *Hyetometra* tria describit;
scilicet *Leutmannianum*, aliud inde simplicissimum a se constru-
ctum, & illud, quo utuntur Medici *Uratilavienfes*. Addit duo
alia curiosa a se inventa, quorum primum determinat quantitatem
pluviae ad singulos dies, vel singulas diei horas; alterum ejusdem
pondus ope indicis monstrat. Postquam plagoscopia varia deli-
neavit & inter ea quoque nonnulla curiosa, quæ pro diverso ven-
torum impetu diversos sonitus edunt; ultimo tandem loco ane-
mometra exhibet diversa, nempe *Anglicanum* ex Transactioni-
bus Anglicanis, *Wolfianum* ex Aerometria *Wolfiana*, *Gertbneria-
num*, quod *Dresdæ* instituitur in tecto ædium *Dinglingertianarum*,
nec differt a *Leutmannianis*; cuius mense Martio p. 125 memini-
mus, variaque a se inventa, quæ inter maxime curiosum illud
reperitur, quod plagam, unde ventus spirat, & ejus impetum
ipsi inmet in charta annotat. Hoc inventum permovit Autorem
ingeniosissimum, ut etiam de thermometris & barometris cogi-
taret, quæ ad certas diei noctisque horas mutationes ipsamet an-
notent, *Becheri* inventum ex ipsius Tractatu de nova dimensio-
ne temporis explicat; ope barometri motum penduli horolo-
gio applicati ad æqualitatem reducendi. Colophonis loco subji-
cit Invitationem *Cel. Jacobi Jurini* ad observationes meteorolo-
gicas ex Actorum horum Tomo VIII Supplem. p. 389.

Artem libellandi *Cl. Leupoldus* a linea horizontali, quæ libel-
la determinatur, *Horizontostaticam* appellat. Explicata igitur
differentia, quæ inter lineam horizontalem veram atque appa-
rentem intercedit, & reductione apparentis ad veram; libellas di-
stinguit in tres classes. Prima est earum, quæ perpendiculo instru-
ctæ sunt: secunda istarum, quæ suo sese pondere in situm hori-
zontalem componunt: tertia denique illarum, quæ ope aquæ vel
alterius fluidi lineam horizontalem determinant. Ad priorem
classen refert instrumenta fabrilia, quibus fabri murarii aliique

c. 8.

9.

19.

Part IV.

c. 1.

2.

3.

- c. 4. utuntur; Romanis olim generali *librarum* nomine designata. Addit deinde libras aquarias alias a *Piccardo*, *Sturmi*, *Chappotio* & proprio ingenio excogitatas. In *Sturmiana* & *Chappotiana* aliquot defectus notat. In classe posteriori comparent libellæ *Hugeni*, *Butterfeldii*, *Hartscheri*, *Ræmeri*, *Sturmi* & ab Autore vel inventæ, vel ulterius perfectæ. In classe denique ultima locum habent libellæ aquariz *Mariotti*, *Philippi de la Hire*, ipsius Autoris & variz anonymorum. Adjicitur ob affinitatem *Gartbneri* instrumentum metiendi altitudinem & basin turris, & instrumenta ad libellationem necessaria enumerantur.
- 5.

Joh. Georg von Eckhart gründliche Nachricht von
der Käyserl. und Königl. Alten Salzburg und
dem Pallaste Sals in Francken.

hoc est,

JOHANNIS GEORGII AB ECKHART

Dissertatio de Imperiali & Regio Palatio Sa-
le in Franconia suo.

Herbipoli, typis Henrici Engmann, 1726, 4.

Plag. 7.

Nactus est hanc conscribendæ opellæ elegantis materiam Ill. Autor, cum superiori anno Celsiss. Princeps, Episcopus Herbipol. cui Noster est a Consiliis intimioribus, a Neostadiensibus ad Salam, quibus proximè adjacet Salz palatium, juramentum fidelitatis acciperet. Palatia Regum vetera vel ideo notanda esse, quod in ijs olim procerum Convëntus Synodique celebrarentur, ac leges, privilegia præceptaque ederentur, nemo negabit. Mabilonius inde librum *de Palatiis Regum Francor.* partem Artis suæ Diplomaticæ esse voluit; in quo tamen pleraque in Germania Cifrenana sita omisit, atque inter ea etiam *Palatium Sala*. Hoc *Sala* adsitum fuisse veteres expressis verbis dicunt. Sed plerique ad Salam Thuringicam collocant, cum tamen & in Franconia celebris decurrat Sala, qui Mœno ad Gemundam miscetur. Hunc a Strabone nominatum, Autor doctissimus putat, quando is scripsit, Drusum inter *Salam* & Rhenum bellum felici successu gerentem obiisse.

obiisse. Nam Salam Thuringicum nondum tunc Romani noverant, ut ex Drafi expeditionibus Germanicis ostendit. Hunc eundem *Salam* sive *fluvium salē secundum* esse statuit, ad quem, Tacito auctore, Hermunduri Catos ingenti praelio devicere. Nam Sala Thuringicus longe a Cattis remotus fluxit, ut ad eum de finibus cum Hermunduris certare non potuerint. A Sala Franconico dictus etiam est *pagus Salageuue*; unde *Legi Salica* nomen. *Castrum Saltzburgum* in eo jacet; & sub eo *palatium Sale* in insula, quam ibi Sala facit, olim conspicuum fuit, Neolladio proximum. Recentiores quidam tradunt, Pharamundum Saltburgi resedisse, quod tamen Noster non plane affirmat, quanquam agnoscat, Clodionem quoque non procul inde sub sylva Thuringica in Hennebergico tractu castrum *Dispargum* incoluisse, unde ibi adhuc mons, *die Dieburg* dictus, nomen servet. Gregorius Turonensis suo tempore hoc castrum in *termino Thuringorum* jacuisse ait, quod non *in finibus*, sed *in regione Thuringorum* exponendum est. Thuringi enim non solum successerant Francis in pagis *Bodogeuue* & *Windogeuue*; hoc est, in terris a Boda fluvio & Albi ad Sylvam Thuringicam usque extensis, sed Francos sub Childerico I etiam Pagis *Salageuue* & *Wirogeuue* sive *Weringeuue* expulerant, aliasque gentes Moenium inter & Danubium hærentes oppresserant, unde ab ea ætate usque ad Caroli Martelli tempora *Thuringia* ab Albi ad Danubium usque extensa fuit &, quicquid *Hermunduri* tenerant, complexa est. Geographus Ravennas hac de causa *Thuringiam*, *antiquitus Germaniam* dictam esse refert, eamque inter Saxones, Francos Rhenenses & Suevos sive Alamannos collocat. Inter fluvios Thuringiæ recenset *Bac* & *Reganum*, qui in Danubio mergantur; Ubi *Bac* forte ex *Nabac* sive *Nabi* corruptum est: nam *Nabi* & *Reganus* etiamnum extant, & a Danubio excipiuntur. Thuringia igitur Danubio tunc terminata est. Eugippius in vita S. Severini *Thuringorum* & *Alamannorum* in *Noricum*, trajecto Danubio, incursiones commemorat. *Hunos* ex Pannonia in *Thuringiam* irruisse, Gregorius Turonensis & Paulus Diaconus referunt. *Winidos Slavos* sub Sathone Rege, hoc est, *Carantanos*, Thuringiam vastasse, Frædegarius testatur. *Super Thuringos*, habitare *Suevos*, Procopius

inquit; ejus vero ætate Suevi jam Nicro terminabantur, & ad hunc fluvium Thuringis vicini erant. Jornandes, Suevos Thuringis septentrionem versus confines esse, proficitur. Continuatoꝝ Frédegarii scribit, Carolum Martellum Carolomanno filio testamento legasse *Austrasiam, Sueviam & Thuringiam*. Possedit vero Carolomannus non solum Thuringiam nunc ita dictam, sed etiam, quicquid nunc Circulus Franconiaꝝ complectitur; omnis ergo hæc regio *Thuringia* tunc dicta est; neque enim ad Sueviam pertinebat; quam nemo tam late extendit. Qua occasione vero pars maxima Thuringiaꝝ nomen mutavit, & appellationem *Nova Francia* sive *Franconia & Partis Austria* aut *Francia Orientalis* receperit, pluribus Autor pandet in *Antiquitatibus Ducatus Francia Orientalis*, quas jam prælo subdit. Sanctimonialis Heidenheimensis in Vita S. Willibaldi Eichstetensis Episcopi primi dicit, eum venisse in *Thuringiam* ad S. Bonifacium & ibi in Episcopum consecratum esse in loco, qui dicitur *Salzburg*, pro quo Anonymus in Vita S. Willibaldi *Salzburg* rectius habet. Refutat hic Autor illos, qui *Salzburgum* hoc ad Salam Thuringicum collocant. Est ibi quidem arx *Salzburgum*, sed in dextra Salaripa; atque ita Bonificii ævo in Sorabis jacuit, nondum Christianis nec Francis submissis, ut adeo ibi nullatenus Synodus haberi & in ea Willibaldus consecrari potuerit. Ostendit porro Ill. Autor, in eadem Synodo, paullo tamen ante Willibaldum, *Burchardum Wineburgensem & Wittam Buriburgensem* Episcopos creatos; *Adalarium* vero, quem vulgo Erfurtensem Episcopum sequunt, nunquam Episcopum fuisse, sed *Presbyterum* cum S. Bonifacio Martyrium passum. Hac occasione Synodos a Bonifacio habitas in ordinem redigit, & hanc *Salzburgensem* inter eas necessario computandam esse demonstrat. Willibaldus enim in Vita S. Bonificii indicat, Synodum Sueffionensem fuisse *quintam*, cui præfuerit Bonifacius. *Prima* vero sine dubio fuit *Bajoarica* anno 740. congregata *Frisinga*, ut suspicio est, in qua Bajoaria in quatuor dioceses dispersita fuit. *Secunda* fuit hæc *Salzburgensis* anno 741; *tertia* autem illa, quam vulgo & etionce *Concilium Germanicum primum* nominant, & Autor anno 742 etiam *Salzburgi* in Castro Regio habitam existimat, quia ipse Carolomannus Major domus

mus regis ei interfuit. *Quarta* Sixtini anno 743, & *quinta* apud *Suffiones* A. 744 coacta est. Sic omnia bene coherent. Veteres Annales Francici ajunt, A. 768 Pippinum Regem *in castro Sels* Pascha celebrasse, quod a *Castro Salz* five *Salzburgi* non differt, quia & olim permutabantur, ut Noster pluribus exemplis ostendit. Ab hoc vero tempore sub Carolo M. non tam frequens Castri, sed plerumque *Palatii Salz* five *Sala* mentio fit. Et Laureshamenses Annales asseverant, Carolum M. A. 790 *per Mænum fluvium ad Sala palatium in Germania juxta Salam fluvium constructum, navigasse: atque inde iterum per eundem annum secunda aqua Wormatiam reversum esse.* Qui locus invicte probat, Salzburgum & Palatium Salz ad Salam Franconicum sita fuisse. Poeta Saxo hoc distinctius prodit, ubi ad hunc ipsum annum canit:

*Est aggressus iter Mænum navale per annum,
Ascenditque per hunc, donec prope mœnia venit
Magna Palatina sedis Salt nomine dicta,
Nascenti vicina Sala: nam fluminis hujus
Rivus adhuc modicus, hæc ipsa palatia cingit,
Vix raurum per saxa cœns resonantia murmur.*

Ex Mœno itaque Carolus M. in Salam ascendit, quousque navigari potuit. Navigabilem vero olim usque ad Salzburgum & Palatium Salz fuisse, non incredibile est. Hodie alveus molendinis impeditus, & tractu temporis sabulo advecto altior factus est, quæ fata & alii Germaniæ fluvii olim navigabiles habuerunt. *Palatium* vero, cum ejus ante Carolum M. nulla mentio fiat, ab ipso Carolo M. constructum reor. Adjacet ei Sylva olim ingens *Salzforst* dicta & Regum venationibus commoda. Regio amœnissima est & vini frugumque ferax. Non mirum ergo est, hoc Palatium ab Imperatoribus & Regibus nostris tempore præsertim autumnali, venationis causa, frequentatum fuisse. Anno 793 Ludovicum ex Italia ad patrem Carolum M. in loco *Salz* dicto venisse, Anonymus in Vita Ludovici Pii testatur. Anno 803 Annales veteres scribunt, Carolum legatos Imperatoris Constantinopolitani recepisse *in Germania super fluvium Sala, in loco, qui dicitur Salz.* eodem Annæ Hildesheimenses hic *villam regiam* appellant. Ibidem hoc ipso tempore privilegium Fortunato Patriarchæ Gradenfi de-

dit, ab Ughello Ital. Sacrae Tom. V. pag. 181 recensitum. Datum id est Idus Augusti in Salz palatio nostro, ut verba ipsa habent, in quibus Cointius pro Sacra recte reposuit Salz. In eodem hoc ipso anno 803 Saxones in gratiam recepit Carolus M. eosque liberos & Francis pares declaravit, ut ex Poeta Saxone & Chronico Quædlinburgensi liquet. Hic quoque anno 803 Episcopatum Haberstadtensem confirmatum, ejusque limites descriptos esse, Autor probat. Anno 804 Caroli M. Imp. Capitulari, quarto Imperii anno datum ad Salz, prodit. Ludovicus Pius Imp. anno 826, testibus Annalibus Laureshaimensibus, ex conventu Ingelhemensi trans Rhenum ad villam, quæ Seli vocatur, cum comitatu suo profectus est; quam villam Anonymus in Vita Ludovici Pii Salz rectius vocat. Hic & tunc Neapolitanorum Legatos suscepit, & trans acta autumnali venatione circa Kalendas Octobris per Menum fluvium usque ad Franconofurt secunda aqua migravit. Ludovicus Germanicus anno 841 post prælium Fontiniacense mediante mense Augusto venit ad villam regiam, quæ vocatur Salz, ut etiam Annales Laureshaimenses habent. Ludovicus III Rex anno 877 Sigehardo Abbati Fuldensi privilegium dedit, quod dicitur Actum Salz villa regia. Idem, secundum Annales Fuldenses, anno 878 a diebus Quadragesimæ usque ad mensem Majum moratus est in villa regia, quæ vocatur Salz, & inde transiens apud Franconofurt generalem habuit Conventum. Arnulfus Imp. anno 897, iisdem Annalibus testibus, Fulda ad curtem, quæ dicitur Salz, pervenit. M. P. R. Meichelbeck Hist. Frising. T. I pag. 171. Diploma Ottonis I Regis anno 940 IV Kal. Jun. datum exhibet, cui subscriptum Actum Salce. Eo vero tempore Ottonem in Franconia egisse, res gestæ evincunt. Otto III Imp. tandem Castellum & sui juris curtem Salce, hoc est, Salzburgum & Palatium Sala sanctissimas dignissimæque sedi Wirceburgensi, ut verbis diplomatis utamur, ad honorem Mediatoris Dei & hominum Salvatoris mundi dedicatæ, & in venerationem pretiosissimorum Martyrum Kiliani, Colónati & Potnani constructæ, cum omnibus ad illud pertinentibus, & cum integro Pago Salzgonus sive Salageude, villisque ac sylvis tanquam stabilibus ad præces Heriberti Archiepiscopi Colonienfis & Bernhardi Saxonie Ducis, ob remedium animæ genitoris sui sueque matris

Theo.

*Theophani Imperatricis Augustæ, nec non propter ineffabilem dilectionem & obsequium Domini Henrici venerandi Pontificis Wirceburgensis, solenni traditione donavit. Autographum Diplomatis, inter rariora numerandi, Archivum Ecclesiæ Cathedralis, asservat. In ejus titulo Otto tertius se servum Jesu Christi & Romanorum Imperatorem Augustum vocat, quò nomine etiam utitur in Diplomate Nienburgensi anno 1000 Kal. Maji dato. Ex Hildesheimensi Archivo Ill. Autor etiam produxit initium alius diplomatis A. 1001 X Kal. Febr. dati, in quo dicitur: Otto tertius, Romanus, Saxonicus & Italicus, Apostolorum servus, dono Dei Romani Orbis Imperator Augustus. Subscriptio diplomatis Castrum & Palatium Salz concernentis hoc est: Data Idus Maji, anno Dominice incarnationis Milleesimo, Indict. XIII, anno Tertii Ottonis regnantis XVI, Imperii IV. Actum Aquisgrani feliciter, amen. Loco, Sigilli appensa est Bulla plumbea, quam exacte delineatam Autor inseruit. In antica parte est Protome Imperatoris cum sero laureaceo & diademate quoque quatuor liliis ornato. Circum legitur: OTTO IMPERATOR AUGUSTUS. In postica Imperator stat indutus habitu militari: caput galea tectum est, crinibus contortis in tergum defluentibus: dextra tenet hastam regiam cum vexillo, in quo lilium cernitur, humero inclinatum, & scutum. Inscriptio addita est: RENOVATIO IMPERII ROMANORUM. Mabillonius eandem bullam ex alio diplomate edidit, sed minus accurate delineatam. Juxta Palatium in sinistra Salzæ ripa & in pago Grapsfeld, qui ibi incipiebat, jacebat & villa Salza, quam Henricus II. Rex anno 1002 eidem Henrico Episcopo Wirceburgensi donavit diplomate, quod Autor noster etiam ex autographo publicavit. Villa Salza etiam Obersalza olim dicta est, & nunc est oppidum Neostadium ad Salam. Distingueda ergo sunt, quæquam proximè sibi adita, Castrum Salz sive Salzburgum, Palatium Salz & villa Salz. In donatione Castri Salz Otto III Imp. excipit prædiolum, quod inde per Chartam largitus erat Gotzoni cuidam, quem ideo ab Episcopo Wirceburgensi Advocatum hujus loci constitutum putes, & ab eo Advocatus de Salzburg (die Vögte von Salzburg) descendere. Sub his Salzburgum Ganerbinatus factus est tandem. Castri rudera magnifica sane
restant,*

restant, unde prospectus lætissimus in valles subjectas patet. Palatii ne vestigiū quidem amplius cernitur: locus tamen Poetæ Saxonis de ejus situ in insula Salz dubitare nos non sinit. Fata ergo eadem habuit cum *Palatio Gronæ*, quod in monte prope Gotingam ad amnem Gronam sublitit olim; nunc lapidibus auctis in agrōs commutatum est. Mons vero, dum adhuc *der Burgberg* dicitur, palatii memoriam solus conservat & cives Gotingenses *Burgum* sive *palatium Gronæ* ab Imperatore adhuc in feudum accipere tenentur. *Triburia* quoque ad Rhenum celebre Palatium fuit; sed nec in villa; quæ nunc *Treber* vocatur, vel minimum de eo indicium reperias. Villæ Salz partem possedit *Richenza* Regina Poloniæ, quæ & hanc anno 1058 Ecclesiæ Wirceburgensi concessit. Autor de ea ejusque familia pluribus agit, & inter cætera ostendit, *Cunonem Bavariæ Ducem* Richezæ ex fratre Ludolpho nepotem fuisse. Pater Richezæ & Ludolphi erat *Ezo Comes Palatinus Rheni*, & Mater *Matbildis*, filia *Otonis II Imperatoris*. Tandem evincit, *S. Lutbergem* inclusam, quæ Monasterio Michaelsteinesi in Principatu Blanckenburgensi originem dedit, Salzburgi in Franconia natam esse. Obiter notamus, pag. 27 inferi Inscriptionem Latinam literis Græcis exaratam; quæ nuper Mariæmegingæ in Suevia in Monasterio Franciscanorum reperta est hujus tenoris:

ΕΥΠΟΡΟΣ

ΟΥΡΒΙCΟ ΦΙ

ΛΙΩ ΒΕΝΕΜΕ

ΡΕΝΤΙ ΦΗΚΙ.

Sub verbis hisce incisa lapidi erat Columba, olivæ folium ante se habens: unde concluditur, Euporum & Urbicum Christianos fuisse. Ceterum Ill. Autor nobis indicavit, se omnia, quæ hic brevibus protulit, fusius deducturum in *Antiquitatibus Ducatus Franciæ Orientalis*, quas ex Autoribus coævīs & diplomatibus confirmabit, & monumentis Regum Francorum, sigillis, nummis & gemmis illustrabit, cujus operis, quod avide haud dubie expectabunt Eruditi, Tomum I proxime prelo subjicere constituit. Interim quantum ex hoc opere utilitatis sperari possit, vel ex hoc, quod dedimus, specimine satis liquet.

**JOHANNIS DAVIDIS KOELERI, HISTOR.
& Polit. P. P. & Bibliothecarii Altorffini, Historia Genea-
logica Dominorum & Comitum de Wolfstein &c. ex ipsis
chartis, diplomatis, codicibus Tabularii gentili-
tatis variisque aliis fide dignis Monu-
mentis &c.**

Francof. & Lipsiæ, prostat apud Christ. Riegel, Bibl. Nor. 1726, 4.
Alph. 2 plag. 10 tab. æn. 13.

Quandoquidem Koeleriani nominis ob excellentia in res com-
munitatis patriæ Historicas Genealogicasque merita ea est cele-
britas, ut Augustissimo etiam Cæsari, CAROLO VI, innotuerit, &
singularibus prorsus, quod novimus, summæ gratiæ signis coho-
nestatum sit, illud fronti libri, quem in manus sumimus, adscri-
ptum satis de ejusdem præstantia testari videtur. Ea de causa etiam
nostra nihil opus erat recensione, aut, quod idem est, laudatione,
nisi instituti nostri intercessisset ratio, jussissetque, vino vendibi-
li hic, ut sæpe alias, suspendere hederam. Ex quo Clarissimo
Viro historiam in Altdorfina Academia publice docendi munus
injunctum est, sibi sedulo elaborandum esse credidit, ut Genea-
logicum studium, quod Nicolao Rittershusio, Antecessori Altorf-
fino, præcipuam suam culturam debet, in amœnissimo illo Musæ-
orum hospitiis non intercidat plane; bono omnino & magna illius
studii felicitate, quod huic novo Statori præ Rittershusio majora
aut debet jam, aut proxime debebit. Familiæ Augustæ, Carolin-
gica, Francica, Suevica, Luxemburgica, summa cura emaculatæ
atque firmatæ, neminem harum rerum studiosum latent; de Co-
mitibus etiam S. R. I. Illustrissimis spes ingens olim a Nostro est
excitata, & en! nobilissimi & gravissimi laboris primitias & quan-
dam veluti promulsidem, sed talem, ita res bene vortat Musis
Genealogicis, ut, si ad eam accesseris, non quadam capiaris sati-
etate, sed justarum epularum ardentissimo incendaris desiderio.

Opus ipsum in duas partes sua sponte sciinditur: Historiam
Wolfsteinianam ipsam, & Codicillum diplomatum & documen-
torum variorum historiam Wolfsteinianam illustrantium, de
quo libellis, chartis, diplomatis, literis, laudis, privilegiis,

epitaphiis sat instructo, non est, ut plura dicamus. Historia autem Wolffsteiniana tribus Capitibus absolvitur. Primum Genealogiam & successiones Wolffsteiniorum a Seculo XIII usque ad nostra tempora exponit. Initium Illustrissimi stemmatis est a *Godefrido Seniore de Sulzberg*, nobili & milite, non quod ab hoc Virò condita sit gens, aut nobilitatis honorumque aliorum decora eidem primum illata sint; sed quod injuria temporum, an majorum incuria, carere nos jufferit idoneis testimoniis, quibus, si exstarent, fortès multò majores longæ nocti eximere liceret. Sane in charta Rabadonis Comitis Palatini Bavarix & Henrici Comitis de Ortenburg A. 1217 fuit testis; idem A. 1272 Cœnobium monialium Cisterciensis Ordinis, *Felix Porta (Seligen Psorte)* vocatum, fundavit; ab Henrico etiam Raspone, Rege Romanorum & Landgravio Thuringix, alterum Castrorum Adelenburg vel Heimbürg in castrense feudum A. 1246 accepit; quæ omnia, eundem nec novum hominem fuisse, nec tenui fortuna, clarissime testantur. Hujus Godefridi I ex Filio Godefrido II fuere Nepotes Leopoldus I de VVolfstein & Albertus I Senior de VVolfstein. Leopoldi familia in duos ramos VVolfsteinensem & Allersbergensem late effloruit, sed paulò post emarcuit. Servata adeo gens per Alberti I postereros, quos inter Nepotes Albertus III & VVigulejus, ille Lineam in Sulzbergo inferiore ineunte Seculo sexto decimo extinctam condidit, hic lineam in Sulzbergo superiore propagavit. VViguleji Nepos Albertus V a Carolo V an. 1522 Liberi Baronis in superiori Sulzbergo dignitatem accepit; Alberti autem V Atnepos Albertus Fridericus A. 1673 ab Imperatore Leopoldo S. R. I. Comitibus adscriptus est. Hujus Filius Christianus Albertus Pater Patriæ laudatissimus suis feliciter imperat, filio unico decenni Friderico Wilhelmo Augusto post multam sed aut femininam aut minus vitalem sobolem ex illustrissima uxore, Augusta Friderica, Comite de Hohenloe & Gleichen susceptam, in spem Patriæ superflite. Affecta præstantissimis monumentis ubique sunt firmata, adjectæque Tabulæ & Progonologicæ, & Genealogicæ, ut summæ perspicuitati nihil omnino deesse videatur. Hactenus optime meritus est de Wolffsteinis suis celeberrimus Autor; sed si, eundem magnam etiam nobilitatis Germanicæ partem sibi de-

vinxisse, originibus vel demonstratis, vel illustratis, dixero, non erravero, uti fatebuntur, qui doctissimas notulas accuratius paulo inspicient. Hoc modo attingit Vir doctissimus p. 8 Haydeckios, p. 16 Nortenbergios, Seldenecios & Bebeuburgicos, p. 32 Pincernas de Reicheneck, p. 33 Breitensteinios, p. 40 *die Spaten*, p. 44 de Thungen, p. 57 Parsbergios, p. 59 Buchbergios, p. 60 de Kamer, p. 61 Waldenfelsios, p. 69 Lichtensteinios, p. 70 Rosenavios, & Stauffios de Erufels; p. 75 Frauenbergeros, p. 81 Marschallös de Pappenheim, p. 85 Tœrringios, p. 86 Schaumbergios, p. 91 Kunspergios, p. 92 Grumbachios, p. 96 Steinios, p. 98 Wiesenthavios, p. 103 Degenbergios, p. 110 Abspergios, p. 128 *die Schutzper*, *genannt Milchling*, p. 150 Teufelios in Gündersdorf, p. 154 Heydeggios p. 171, Puchaimios p. 176, Thauhausios p. 183, Freybergios, p. 185 Lodronios, p. 187 de Scala, sive *von der Laiter*, p. 185 Windischgrätzios, p. 190 Pampflingios & Weyneggiosque, p. 192 Ebersteinios & Rögendorios.

Caput II Possessiones, Dignitates, Jura, Prærogativas Wolfsteiniorum exhibet. Ad possessiones pertinet Castrum Wolfstein, quod versus orientem æstivum unius horæ intervallo a Neo-foro, Palatinatus Superioris oppido, in edito monte situm olim jacebat, nunc dirutum & prostratum, nec ad Wolfsteinios amplius pertinet. Castrum adeo patrimoniale est Sulzbergum, in altissimi montis cacumine duabus leucis a Novo-foro situm; superius appellatum; quod inferius olim in eodem montis jugo exstaret nunc planè dirutum. Sed & arx vicusque Pyrbaum ad Wolfsteinios pertinet; Allersberga vero olim exciderunt. Ditiones Salzbürgensis ac Pyrbaumensis immediate subsunt Imperio Germanico, Dominique eorum soli Imperatori obnoxii ad Circulum Bavaricum pertinere, Comitibus autem S. R. I. inferti, inter Franconicos locum Nostitios inter & Schœnburgios medium occupant, & Status Imperii immediati jura; plenariamque territorialem superioritatem exercent. Beneficia & decimas nonnullas debent Episcopo & Principi Eichstadiensi, Duci Palatino Neoburgico, & Marchioni Brandenburgico Onoldino. Sed & ipsi nobilia Feuda concedunt Vasallis suis, quos inter Reverendissimum capitulum Ecclesiæ Cathedralis Eichstettensis, Respublica Norimber.

bergenſis & Familiæ nonnullæ patritiæ ejuſdem Reipublicæ nomen ſuum profitentur. In Torneamentorum monumentis probis & genuinis, ut de Rixnerianis fabulis taceamus, honorifica Wolffleiniorumſit mentio; Inſignium autem in decore nunc utuntur in hunc modum. Scuto ſimplici aureo, in quo duo leones pardini rubei conſpiciuntur, galeæ inſiſtunt duæ, prior coronatâ inter expansas alas duas nigras vulturis, quarum ſingulæ pennæ lineis trium aureorum trifoliorum notatæ ſuſtinent leonem exorientem coronatum & aureum; e poſteriore protenditur cum collo caput lupi nativi coloris, collari aureo redimitum, portantis aureo ore agnellum nigrum unguis aureis ornatum; laciniæ circumfluunt auræ & nigræ.

Cap. III denique vulgariſſimi errores nonnulli de Wolffleiniiſ reſutantur, quorum primus eſt, Wolffleinioſ eo demum tempore, quo acquiſiverunt nomen & dignitatem liberi Barônatus, in ordinem Dynaſtarum Imperii immediatum relatoſ fuiſſe, ac jura territorii Imperio plane ſubjecti accepiſſe; alter: Wolffleinioſ Bavaricis, Neoburgicis & Sultzbaceniſibus Landſaſſiis quodammodo eſſe accenſendos; tertius denique eorum, qui Wolffleinioſ Collegio Comitum Suevicorum adſcribunt, cum anno ſeculi præteriti ſexageſimo octavo Collegio Comitum & Baronum Franconicorum acceſſerint. Hæc de ipſa Hiſtoria Wolffleiniana. Nunc de ejuſdem ornatu dici poſſet, niſi jucundiſſimas imagines oculis uſurpare quam deſcribere eſſet fatius. Indicandum tamen eſt, eſſe Tabulas æneas XIII, figilla, lapides ſepulchrales, nummoſ, inſignia aliaque Wolffleiniorum monumenta ſiſtenteſ; præterea Iconiſmiſ frontes ſectionum exornant VI. Initiales etiam literæ æri ſunt inciſæ V, Coronideſ eodem artificio additæ V, non inani lubidine artificis effictæ, ſed magna cura ab celeberrimo Autore ſelectæ & ordinatæ, ita ut omnia iſta ornâmenta vel Hiſtorici, vel Heraldici, vel Topographici quid magna animi oblectatione exhibeant.

AMOENITATES LITTERARIÆ, QUIBUS
varie Obſervationes, ſcripta item quedam anecdota & rariora Opuscula exhibentur.

Tomus

Tomus V.

Francof. & Lipf. apud Dan. Bartholomæi, 1726, 8.

Plag. 20.

NON sine voluptate etiam hanc partem *Amanitatum Cl. Schelhornii*, probis observationibus referatissimam, perlustravimus. Primo statim loco comparet lepida Dissertatio *de Solacifimis litterariis* à nonnullis circa vocabula quædam aut etiam Chronologiam commissis. Memorat nempe, quomodo Albertus de Eyb ex titulo libri *Hermaphroditi* nomen viri fecerit, quem nominavit *Jo. Antonium Hermaphroditum*: quomodo Præsul quidam *Clementinas & Novellas* pro meretricibus, alius autem *Decalogum* pro honesto & satis spectato viro habuerit: ut alii Hebraicæ aut Græcæ linguæ ignorantia in similes errores prolapsi sint. Nec omittit *Symposium* illud Lactantii in viri nomen transformatum; neque historiolum de aulico Francisci regis Galliarum, qui *epigramma* genus edulii esse putavit, & de alio Gallo, qui libros *dominorum* elogio, tanquam filios viri eruditi, insignivit. Hinc & §. 7 ostendit, Theophrastum Paracelsum prænomen *Aureoli* adsumsisse ex male intellectis Hieronymi verbis: *Fertur aureolus Theophrasti liber* &c. Alii ex vernaculis verbis *fare wol, weiland* nomina Propria fecerunt, & *Tomum* pro viro valde docto & *πολυγράφω* habuerunt, quod vidissent, libris plurimis additum *Tomus I, Tomus II* &c. Quin & sanctos, malos genios, hæreticos & alia portentosa ex innocentibus vocabulis effictos esse, variis exemplis monstratur, quæ longum esset hic repetere. Concludit Dissertationem duobus Epigrammatibus in factum Juristi Lipsii, qui Virgini Haleas virilem vestem dicavit, ob quod in altero *Solacifimi* arguitur. Sequitur II *Epistola M. Jo. Conradi Durræi, Prof. Al. ad Dom. Georg. Sigismundum Fubrerum, de Johanne Fausto*, quæ non modo totam istam ineptissimam Fabulam, olim quidem ideo usurpatam, ut rudis plebecula horrendo isto Fausti exitu mota a superstitione & magicis artibus revocaretur, postea autem magis magisque corruptam, fabulam tamen, non historiam esse, abunde & ex ipso commento desumptis argumentis evincit. Occasionem autem fictioni dedisse *Jo. Faustum, Ger-*

meribeimensis, Palatinum, qui inter primos in Germania typographicam artem excoluit, & adeo monachis, qui scribendo multa lucrabantur, detrimento fuit: istos nempe odio impulsos Faustum præstigiatores abominandum fecisse, non imperite demonstrat. III de *Jo. Aventini Annalium Epitome, variisque ac variantibus editionibus* Anonymi Dissertatio exhibetur. Nempe ipse Aventinus dum viveret, Annales non edidit. Epitomen tamen eorum publici juris fecit hoc titulo: *Bayrisches Chronicon: im Latein versertigt: und in syben Püecker getailt ein kurzzer Auszug &c.* impressam (ut in calce libri notatur) Noribergæ apud Fridericum Leypus A. 1522, fol. ut vocant, minore. Fata etiam & dotes, quæ varias ipsorum Annalium editiones illustraverint, accurate recensentur. IV inferitur *Petri Lambectii de bibliotheca Vindobonensi Commentariorum Lib. IX fragmentum*, ex operis hujus præstantissimi exemplo in bibliotheca Uffenbachiana Francofurti ad Mœnum existente descriptum, quod Græcos quosdam codices MSos recenset, & alioquin eadem forma, ut nempe adnotationes quædam margini addantur, quæ in editis libris Commentariorum observatur, sistitur. Et quamvis jam olim hæc *Λεξικον* typis descripta sint, tamen quia non plures, quam duas plagulas compleverunt, hodie rarius obvia sunt, nec adeo immerito hic repetuntur. V legimus *Marci Velseri antiquorum, quæ Augusta Vindel. exstant, monumentorum supplementum*, quod Cl. M. Jacobus Brückerus ex editione monumentorum illorum Veneta 1594, fol. cujus oræ ipse illustris Vellerus hæc additamenta inscripserat, excepserat: dignum sane, quod a tenebris vindicaretur. VI *Analecta ad Historiam Francisci Josephi Burrhi*, ubi excerpta ex variis epistolis, integræ etiam epistolæ de artibus & præstigiis Burrhi, & Bulla, quam vocant, ab inquisitionis Officio conscripta, quæ immanes viri errores late enumerat, exhibentur. VII *Tabula donationis, quibus D. Huetius, Episcopus quondam Abrincensis, suam bibliothecam Jesuitarum domus professe Parisiensi addidit*, quibus inter alia sollicite cautum, ne vel unicus liber extra istud, quo ejus bibliotheca asservatur, sacerarium aliorum commodis concederetur. VIII sequuntur *Epistola quaedam ineditæ*, ut Jani Gruteri ad Mich. Piccartum, Bohus.

huslai Balbini ad M. Koenigium, Andreæ Christ. Eschenbachii ad eundem, Almelovenii ad Helenam Sibyllam Wagenfeiliam, cui adjectum carmen gratulatorium Elisæ Kolaritiæ de recuperata ab Almelovenio sanitate. IX *Electa Epistolica* h. e. Excerpta ex litteris virorum doctorum ad Theophilum Spicelium datis, quibus & tria Jo. Fabricii in Comenii obitum epigrammata festiva continentur. X *Oratio in laudem Bartholomæi Berlini Ecclesiæ Memmingensis conscripta A. 1563*, & nunc primum edita. XI *Dissertationis de libris rarioribus continuatio*, qua dictis Tom. II & III quædam adjiciuntur, v. g. de Rituum Ecclesiasticorum Romanæ ecclesiæ libris, de libris combustis, aliisque talibus: ubi simul ex Moronesæ libello D. Lutheri quædam elogia recitantur, p. 250 sqq. Agitur ibidem de *Osfredi* Evangeliorum libro, eaque occasione nunciatur Cl. Schelhornius, Schilteri Thesaurum Antiquitatum Germanicarum cum maxime Ulmæ prelum exerce-re, in quo ille *Osfridus* agmen ducit. Ceterum ii potissimum hic libri recensentur, qui aliorum doctorum hominum judicio inter raros relati sunt: quanquam & suo judicio raros Cl. Autor nominet. Agmen observationum cogunt XII *Addenda & Emendanda* in Tomis III, IV & hoc ipso V.

BIBLIOTHEQUE HISTORIQUE ET CRITIQUE DES
Auteurs de la Congregation de S. Maur.

i. e.

BIBLIOTHECA HISTORICO - CRITICA
Scriptorum e Congregatione S. Mauri; Autore PHIL-
LIPPO LE CERF, Benedictino.

Hagæ Comitum, apud Petrum Gosse, 1726, 8.

Alph. 1.

ET si de Benedictinis e Congregatione S. Mauri ante paucos an-
nos commentari e Germanis cœperit R. P. *Hieronymus Pe-
zium*; non parvum tamen spicilegium sibi relictum vidit Rev.
Autor, cui utique de civibus suis ac sui Ordinis Sociis rectius con-
sulare potuit. Recentem quidem, & fere nuper natam, hanc Societa-
tem esse, non dissimulat; adeo ut mirum non sit, quod tot ex illa
Viri celebres non prædierint, quot formando grandiori Bibliothecæ
corpori sufficere videantur. At cum multa Bibliothecarum

Syste-

Systemata ideo non paucis laborare n̄vis probe intelligeret, quod concinnandis illis tum demum manus adhibitz fuissent a Viris doctis, cum Auctorum Ordinis memoria temporis edacitate jam prope evanuisset; hinc mature colligendis Sociorum meritis operibusque eruendis adhibendam operam putavit, quam forte successu temporis alii ex eodem ordine supplere atque emendare possint. In eo vero egregia laude dignus est Cl. Auctor, quod nec invidiæ nec adulationi aliquid dedisse videtur, adeo sinceram & exactam crisin ubique servans, ut nec sociis suis pareat, si digni censure fuerint; quod, dum DD. Martianum, Pisantium & Lironium, ultra meritum in Republica Litteraria famam & opinionem assecutos fatetur, ingenue comprobat p. 287 sqq. Menardi vero, Mabillonii, cujus honori inserviturus, insigni inscriptionis Latinæ monumentum Bibliothecæ inseruit, Acherii, Galloisii, Delsavii, Massueti, Bulteavii, Gerberonii, Gesvresii, Lamii, Garnierii, Roussellii & Ruinarti memoriam extrema quoque tempora servatura esse, plenus bonorum omnium spondet. In ipsa construenda Bibliotheca ita versatur, ut cujusque indolem & studia, & quæ monumenta dedit, narratione judicii plena exhibeat. Dabimus hujus rei aliquot specimen. Primum *Luca Acherio* locum concessit, modestiæ laude imprimis commendabili, quod rerum ineditarum collectionem satis præstantem sub *Spicilegii* titulo ediderit. Nec tamen dissimulat, eum majorem nominis sui existimationem Societatis tum vix instauratæ fama, quam scriptis suis sibi conciliaffe. *Joachimum Contartium* vitæ sceleris puræ laude commendat; libellos vero ejus, ad vitam spiritualem spectantes, stylo paulo obscuriori ac minus eleganti conscriptos, notat. *Michaelem Felibienum* eruditione & solertia nemini secundum sinit; in Historia autem Monasterii S. Dionysio sacri judicandi artem desiderat. *Francisco Lamio* ingenii gloriam concedit; quo tamen subinde ad luxuriam abusus esse videatur. *Joannem Lironium* notat, quod in Bibl. Auctorum Gallicorum quadrata rotundis, rudes doctissimis hominibus misceat. Miratur, cur *Ant. Vincent. Thuilleries* edendo Polybio operam impenderit, quem gravioribus exerceri negotiis, par fuisset; quamvis dignior hac censura videri posset

set. *Lud. Gabr. Bugnotus*, celebris *Barclajanæ Argenidis* commentator, quem sine nota quidem dimittit. Doctrinam *Romanæ Ecclesiæ*, si quis alius, egregie callet *Noster*, testatus illud, sive difficillimas de *Gratia divina* controversias enarraret, sive de auctoritate *Romanorum Pontificum* differeret; ex quibus illos, qui profligata vita *Servatoris* doctrinæ offecerunt, *Petri* sedem non diu tenuisse, forte magis optat, quam credit. In *SS. Patrum* editionibus, quas magno studio procurarunt *Viri hujus ordinis doctissimi*, tanta imprimis cura versatur *Cl. Autor*, ut, qui concinnas ejus recensiones legerit, ipsos libros præ oculis habere videatur. Ceterum cum iis, quæ de *Nicolai le Nourri* Dissertatione, libellum de mortibus persecutorum *Lucio Cæcilio* vindicante, monuit *Noster*, conferri merentur *Vindiciæ Lactantii*, quas *S. R. Dan. Maichelius* Introductioni suæ ad *Bibliothecas Parisinas* adjecit.

JO. GOTTL. HEINECCII, JC. AD
Legem Juliam & Papiam Poppæam
Commentarius.

Amstelædami, apud R. & S. VVetstenios, 1726, 4.

Alphab. 2 pl. 17.

Legis *Papiæ Poppææ* capita tantum non per omnes *juris civilis* articulos se diffundunt, ut verissime judicavit *Jan. Vinc. Gravina*, tam multa huic legi *Jureconsultorum responsa & fragmenta veterum esse implicita*, ut, qui hac luce careat, eum in cursu *juris passim offendere oporteat & prolabi*. Idque *Virum sumum Jac. Gothofredum* etiam permovit, ut inter fontes *juris civilis huic* legi dandum esse locum censeret. Et vetustissimum est *jurisprudentum* de lege *Papiæ Poppææ* bene merendi studium, cum ex antiquis jam præter *Celsum*, qui obiter eam septem *pandectarum* libris exposuerat, sex *Jureconsulti*, *Terentius Clemens* libros XX, *Junius Mauricianus & Ulpus Marcellus* libros sex, *Cajus* quindecim, *Domitius Ulpianus* libros XX & *Julius Paullus* decem, in modum *commentariorum*, ad hanc legem scripserint, quorum *fragmenta bene multa supersunt in Pandectis*. Post re-

vocatas in lucem meliores literas resuscitata quoque nobilem hanc Juris Romani partem a tenebris vindicandi, in ordinem restituenti atque illustrandi contentio. Hinc subnati Læv. Torrentii & Justi Lipsii, illius ad Horatium, hujus ad Tacitum de hac lege excursus; hinc Franc. Balduini *de lege Papia Poppæa, Falcidia, Voconia & Rhodia* liber singularis; hinc Joannis de Pareia & Ramez del Manzano commentarii; hinc Fichtneri, Kirchmaieri, Mulleri aliorumque dissertationes prodire. Sed & præter institutum haud exiguam lucem nonnullis legis capitibus affuderunt Viri insignes, Barn. Briffonius *de jure connubiorum*, Ferd. Pæz, Ulyssiponensis, *de numero liberorum excusante a numeribus publicis*, & M. Vertranius Maurus eleganti commentatione *de jure liberorum*. Omnium horum curas longe superavit Jac. Gothofredus, qui primus legis Papia Poppææ capita & fragmenta ordini integritati que suæ restituere aggressus est, brevemque, sed eruditum & præstantem commentarium adjecit. Sed præclarum hoc opusculum & primis juris stipendiis, ut ipse profitetur, ei adhuc juveni exciderat, nec supremam sustinuit Autoris limam, dum post ejus fata ab Esaja Colladone, senatore Tigurino, ex defuncti ultima voluntate in dias luminis auras exivit. Inde non mirum, libello multos adhæsisse nævos, cum antea viris doctissimis, tum Nostro imprimis observatos. *Dum enim, inquit Noster, varias leges Papias Gothofredus confudit: dum aliqua ex legibus Julii de adulteriis & judiciorum publicorum Papia Poppæa adsuit: dum quadam maximi momenti capita prætermisit, quadam in sensum plane alienum detorsit: dum Sæta atque interpretamenta veterum ab ipsa lege non satis accurate secevit: dum denique sibi omnia indulgit in emendandis, fingendis resingendisque legum inscriptionibus: fieri profecto non potuit, quin post messem ejus magnum aliis idem saxum voluturis spicilegium superesset.* Hos itaque nævos tollere ipsamque legem Juliam & Papiam Poppæam plenior, ac multo accuratior, quam a Gothofredo factum est, restituere conatus Celeb. Heineccius, tribus exhibuit libris, quod ille plagulis vix undecim complexus erat. Liber primus sistit legis historiam & capita ejusdem, quorum memoria superest, omnia de novo collecta, &, quantum fieri potuit, ad pristinum ordi-

ordinem revocata. Hinc diversas Leges Papias, quas Gothofredus aliique cum nostra confuderunt, velut LL. Papias *de virginibus Vestalibus, de sociis nominis Latini in suas civitates remittendis, de peregrinis*, a Papia Poppæa accurate discernere docet Capitulum primum. *Papiam Poppæam*, inquit Tacitus lib. 3 Annalium, *senior Augustus post Julias rogationes incitandis cœlibum pœnis & augendo ærario sanxerat*. Dux legis causæ, totidem partes. Prior pars ad *πολυτεκνίαν* fuit comparata, quam plerique populi variis institutis promotum ivere. Hinc instituta ad eam directa Hebræorum, Persarum, Atheniensium, Lacedæmoniorum, Thebanorum, Germanorum, sed præcipue Romanorum, Capite altero explicantur. Ipsa legum Julix & Papix occasio totiusque illius legislationis historia succedit capite tertio, in quo merito laudamus primo antiquum marmor ludorum sæcularium, in quo legis de maritandis ordinibus mentio sit, ingeniose & ad fidem antiquitatis restitutum, deinde locum Suetonii: *Legem de maritandis ordinibus, quam aliquanto, quam ceteras, severius emendasset, &c.* leviter mutatum, legendo: *severius mandasset*; tertio brevem legis historiam conspectu chronologico comprehensam, ita:

A. V. C. LCCXXXVI Cn. Cornelio & P. Cornelio Lentulo Coss. Augustus de Lege Julia ferenda ad Senatum retulit, & egre obtinuit SC.

A. V. C. LCCXXXVII C. Furnio & C. Silano coss. ante messum ludii sæculares facti, quo tempore nondum perlata fuerat lex Julia, sed jam tum, uti videtur, promulgata. Sub finem hujus anni rogata lex, sed antiquata.

A. V. C. LCCLVII Sexto Aelio Cato & C. Sentio Saturnino Coss. perfertur lex Julia, sed detracta parte pœnarum, auctis præmiis & vacatione data triennii.

A. V. C. DCCCLX Q. Cæcilio Metello Cretico Silano & A. Licinio Nerva Siliano Coss. nova biennii vacatio data est, circumacta priore triennio.

A. V. C. LCCCLXII Q. Sulpitio Camerino & C. Poppæo Sabino coss. equites abrogationem legis, ineunte anno, frustra urgent, Augustus denuo legis vacationem concedit. Sub finem anni M.

Papio Mutilo, Q. Poppaeo Secundo coff. suffectis, fertur lex Papia Poppaea.

De Consulibus his, a quibus lex nomen indepta est, & utriusque gentibus ac familiis tractat Caput quartum, ne quid ad pleniorē historiam deesset. Jamque sequitur præcipuum caput *de legis Papiae Poppaeae partibus & capitibus, & quomodo ea ordini suo restituenda sint.* Prior legis pars agebat de maritandis ordinibus, de præmiis conjugum & parentum, & de cœlibum atque orborum pœnis: posterior de caducis, vacantibus & ereptitiis bonis tractabat, atque hinc *lex caducaria* dicitur Ulpiano. Plura utriusque capita fuerunt, & citatur a Marciano *caput XXXV legis Juliae*, in *l. 19 ff. de ritu nupt.* ubi tamen pro XXXV rescribi XV jussit Gothofredus, qui ultra XXVIII capita legis de maritandis ordinibus nullum agnovit. Corn. van Bynckershoek non a Marciano caput legis Juliae ejusque verba allegari, sed a collectoribus Pandectarum autumat adjectum esse titulum, quo Marcianus ad legis Juliae, nescio cujus, caput XXXV commentatus erat in libro XVI Institutionum, unde deprompta est dicta *l. 19.* Noster ad morem huic Jcto familiarem, in Institutionibus suis aliorum libros, designatis capitibus citandi, imprimis provocat, multisque confirmare satagit, non alterius, quam Juliae & Papiae legis caput & fragmentum in isto Marciani loco superesse. Sed haud contemnenda sunt argumenta, quibus Ill. Bynckershoek suam sententiam verisimillimam fecit, eoque praesertim, quod veteres editores, qui plane ut Graeci in Basilicis, solo auctoris nomine retento, ubique omiserunt reliqua inscriptionum verba, pariter in h. *l. 19* etiam *ad capite XXXV L Juliae* non adscripsere: & simile est commixtionis Rubricae cum ipsa lege exemplum in *l. 48 ff. de V. S.* qua multi diu vitiose sunt usi. Quando vero in *l. 7 §. 1 ff. ad L. Jul. de adult. coerc.* allegatur *lib. 2 de adulteriis Papiniani*, videntur nobis ea verba Tribonianum esse. Neque enim de se ita dicturus erat Jctus: *In lib. 2 de adulteriis Papiniani MARCIANUS notat;* quae eadem formula extat in *l. 57. §. 1 ff. de ritu nupt.* ex qua simul manifestum fit, e Marciani notis ad Papiniani libros de adulteriis ista deprompta & commodo loco inserta esse. Cumque lex Julia de adulteriis coercendis in plerisque legibus *tit. ff.*
ad

ad hanc L. absolute dicatur *lex Julia*, ejusque diversa capita addito numero citentur, verba autem *l. 19 de R. N.* satis apta sint capiti hujus L. Juliae, quod sanxerit, *ut, qui liberos, quos habent in potestate, injuria prohibuerint ducere uxores, vel nubere, cogantur eos in matrimonium collocare*; certe nondum expedita res est, an e fortassis Marcianus, qui, ut diximus, in Papimiani libros ad L. Juliam de adulteriis notaverat, hanc ipsam potius, quam legem de maritandis ordinibus, lib. XVI Institutionum illustraverit. Sed revertamur ad Nostri diligentiam in restituendis Legis Papiae Poppaeae capitibus navatam. Gothofredus non nisi quinque loca in jure nostro viderat, in quibus verba legitima superessent, quibus Noster jam praeter *l. 19 ff. de R. N.* quam modo sollicitavimus, addit *l. 23 ff. eod. & l. 2 ff. de minor. vig. quinq. ann.* atque insuper ex Celsi libris Digestorum reliqua studiose in subsidium vocavit, quae Gothofredus, paucis exceptis, neglexerat. Comparat hinc fragmenta ex commentariis veterum Jurisconsultorum ad priorum partem legis Papiae secundum librorum ordinem per laterculos accuratius disposita, ita ut imprimis temperatum sit a numeris librorum immutandis, in quo plus justo ingenio Vir summus olim indulgisse videbatur. Hanc tabulam excipiunt ipsa priorum partis capita, illorum fragmentorum ope aliorumque bonorum Autorum ductu restituta & cum textu Gothofredi perpetuo collata, subjectis allegationibus & notis, in quibus haud pauca sane elegantia accessere ad ea, quae Gothofredus jam annotaverat, & e quibus se profecisse, Noster nec ipse dissimulabit. Capitum numerus ad XLIV auctus visitur, dum duo a Gothofredo penitus omissa, scilicet *de concubinato*, & *de jure affinitatis inter novercam & privignum, vitricum & privignum*, recens addita, & septem capita in viginti quatuor divisa sunt, tribus aliis in unum contractis. Sed in translocandis capitibus, quae secundum ordinem fragmentorum, aut, prout argumenta legis, sibi invicem respondentia, poscunt, minus recte disposita videbantur, pariter ac in verbis legis ad mentem Autorum & formam antiquitatis concipiendis eximia diligentia elucet, ita ut major pars legis novum prorsus habitum acceperit. Annotabimus praecipua quaedam hujus laboris specimina. Ita statim Caput secundum,

dum, de ingenuorum nuptiis, nunc a primo, de Senatorum eorumque liberorum nuptiis, separatim e Celsi Digestorum libro XXX l. 23 ff. de R. N. in hæc verba conformatum est: Omnibus reliquis ingenuis, præter Senatores eorumque liberos, libertinam uxorem habere licet, neve quid eis, qui duxerint, liberisve ex eo matrimonio natis, fraudi ignominiave esto. Gothofredus conceperat: *Ceteris ingenuis libertinas uxores ducere jus esto, neve quid eis, qui eos duxerint, fraudi ignominiave esto, liberive eorum legitimi sunt.* In cap. III (ap. Gothofr. II) non solum omiserat Gothofredus initium: *omnes puberes virique potentes matrimonium liberorum quasundorum causa intrare tenentur*; cujus tamen testes sunt Ulpianus *Fragm. XVI §. 1* & Commentator vetus a Cruquid editus ad Horat. *Epod. XVIII* verum & sequentia: *Sexagenarii masculi, quinquagenaria femina & spadones a penis hujus legis liberi sunt*; male extulerat ita: *Sexagenario masculino, quinquagenaria femina nuptias contrahere jus ne esto: Post eos tantum annos conjuges penis hujus legis solvantur. Spadonibus item nuptias contrahere jus ne esto*; admixtis Legi Papia SCtis Perficiano & Calvisiano. A cap. V (ap. Gothofr. III) de sponsalibus relecta, quæ ex lege Papia antiquiore de *Virginibus Vestalibus capiendis* adfuta erat lacinia. Caput sequens non modo emendatum ab errore, quasi de *imparibus nuptiis* statuisset, quæ tamen ex SCto Calvisiano ita demum dictæ, cum hoc caput ad omnes *injustas nuptias* pertinuerit, sed & idem docte suppletum est ex §. 12 *Inst. de nupt.* ubi Justinianus hoc caput expressit; atque verba: *nec vir, nec uxor, nec socer, socrusve, nec gener nurusve intelliguntur*; una cum fragmentis Pauli l. 4 ff. de test. & Ter. Clementis l. 146 de V. S. suo loco sunt reddita, cum ex his textibus perperam acceptis Gothofredus affinxisset capiti, de *divortio libertæ prohibito*, verba: *Gener socerive invitati in reos testimonium ne dicunt.* In cap. X (apud Gothofr. IX) de *jure Quirit. ob liberos consequendo*, delentur merito verba: *At Latina si ter enixa fuerit, jura Quiritium consequitur.* Sunt enim non ex hac lege, sed ex SCto, ut diserte Ulpianus *fr. s. III §. 1*. Leges *decimarias*, uti vocantur capita Legis Papia, quæ de *decimis* disponunt, & quæ Gothofredus in unum caput XII compegerat, Noster in quinque capita distinxit, cum

veto.

verifimilius fit, plura capita, quam unum, *leges* dicta fuisse. Similiter & *leges de solidi capacitate* in capita distinctæ varieque emendatæ sunt; inter alia, quod Gothofredus cap. XIII de *jure communium liberorum* a populo *impetrato* scripserat, cum tamen ex eodem Dionis loco, quem ipse allegat, discamus, Senatum hoc justè tribuisse; quamvis hæc emendatio non videatur adeo magni, cum & Gothofredus per Senatum autoritate populi id factum affirmet. Ad Caput XXIX (apud Gothofr. XVII) obiter notamus, huc de: uni recte referri *l. 72* (pro qua male apposita *l. 92*, errore typorum, qui apud Gothofredum admissus erat, repetito,) ejusque §. 2, ubi Papinianus docet, *eam Papie legis sententiam videri, ut quod omnino nuptiis impedimentum inferatur*: puta per legatum sub conditione coelibatus relictum. Vix videtur his verbis confirmari posse Caput XXXV (apud Gothofr. XV) *de cogendis parentibus, ut liberos elocent*, quandoquidem non aliud certius, quam in *l. 9 ff. de R. N.* vestigiū ejus extat. Caput *de fundo dotali*, legis Juliae de adulteriis particulam esse, & ipse Gothofredus postea in notis haud invictis agnovit, & confirmavit Ill. Schultingius ad Pauli *Sent. Rec. lib. II, t. 21 b.* Gothofredus ad populum retulerat gratiam Legis Papie faciendam, quam Noster Senatui vindicat, autoritate Dionis *lib. LIX*; sed iterum vix discrepat a Gothofredo, præterquam, quod in capite XXXIII (ap. Gothofr. XIX) substituit *Senatus* nomen, cum ille per Senatum factam legis gratiam & asserat, & exemplo illustret ex Livii *lib. 39 c. 19*. Atque hæc sufficiant specimina indicando, quid Noster in restitutione legis profecerit. Libro secundo singula capita legis, quæ ad partem de nuptiis & procreatione liberorum pertinent, multa cum cura exponuntur, nec jura traduntur solum, sed & iis, quæ alioquin obscura videri possint, ex philologia & Antiquitatibus Romanis lux accenditur. Variæ huic libro insunt conjecturæ de emendandis juris Autorumque veterum locis compluribus. Imprimis vero historia singulorum capitum & mutatio usque ad Justinianeam legislationem sollicitè exponitur. Liber III sistit alteram partem Legis Papie, *caducariam*, quæ ad locupletandum ærarium erat comparata, itaque more supra servato primo Jurisconsultorum veterum fragmenta, pariterque Justiniani constitutio de *caducis tollendis*

ad capita legis reducuntur ac disponuntur per tabellam, deinde ipsa capita restituta & in pristinum ordinem redacta comparent, recens adjectis duobus, a Gothofredo omisis, quæ Nostro suppeditavit *l. un. C. d. caduc. toll.* Deerat enim caput primum, *de additione hereditatis, & quando dies legatorum cedat*: sed Justinianus *d. l. §. 1. materiam atque exordium caducorum legem Papiam ab additionibus, quæ circa defunctorum hereditates procedebant, sumpsisse*, scribit, & sententiam hujus capituli accurate suppeditat Ulpianus *fragm. t. XXIV §. 31.* Deerat etiam caput *de transmissione legatorum*, quod manifesto deprehenditur in *ead. l. un. §. 13 C. de caduc. toll.* Ceterum neque parcius, quam in priore libro, Noster est in notis ad confirmanda vel illustranda Legis capita subjectis, neque in commentario ad partem de caducis quicquam prætermisit, quod ad capitulum illustrationem pleniorum, ad historiam & mutationem legis, ad fraudes, quibus ingeniosa civium improbitas eam elusit, noscendas conferre poterat. Habent itaque melioris jurisprudentiæ studiosi librum elegantem & multa eruditione confectum, in quo non solum vix quicquam desiderent, quod ad inclytæ adeo cognituque necessariæ Legis intelligentiam pertinere videatur, sed ex quo etiam aliâ permulta ex antiquitate ad penitiorum juris Romani scientiam necessaria perdiscant: idque intelligentes avide expectabunt commentarios, quorum in præfatione spem facit, & quos jam affectos in scriniis suis pridem latitare affirmat Vir doctissimus; quemadmodum non sine voluptate accipimus, Antiquitates juris Germanici, quas jam inde ab aliquot annis expectare nos jussit, propediem Argentorati prælo exituras esse.

M. CHRISTOPHORI WOLLII, LIPSIENSIS,
Catecheta ad D. Petri, Commentatio philologica de Parentesi sacra. Accedunt duæ Dissertationes: prior de usu & abusu ἀγίων nominum divinorum sacra; posterior de loco Dan, Genes. XIV, 14, contra Spinozam. Præfationem præmisit CHRISTIAN. FRIDER. BOERNERUS,
Theol. D. & in Acad. Lips. Prof.
Primarius.

Lipsiæ

Quantam quamque insignem sacrarum litterarum exquisita tractatio publicæ rei christianæ afferat utilitatem, illi omnium optime intelligunt, qui non satis habent, generaliores dumtaxat exegeticæ artis præceptiones cognitæ per spectasque habere, sed ad specialiores etiam regulas perquisitius & diligentius pervestigandas animum appellunt. Eandem rem considerans præsentis commentationis philologicæ Cl. Autor, peculiarem maxime, longèquæ nobilissimam *de Parenthesi sacra*, eademque in sanctioribus, cum Ebræis, tum Græcis Pandectis occurrente, materiem sibi explicandam sumere eo lubentius animum induxit, quo magis præstare putavit, in argumento a nemine adhuc ex instituto pertractato, & a magni nominis Philologo, Sal. Glassio, vix commemorato, studium suum collocare ingenique vires periclitari. Animadvertit in super, τὰς γὰρ αἰσ a paganis olim criticis superfluarum parenthesisum nomine suspectas contemtasque fuisse: qua de re ex Isidoro Pelusiota notatu perquam dignum in præmissa præfatione recenset confutatque locum. Ipsam vero rei tractationem in duas dispescuit *Sectiones*, quarum prior *theoriam*, altera vero *praxin*, hoc est, canones atque exempla parenthetica exhibet. Nostrium in præfenti erit, breviter hæc summamque percurrere.

In *Sectione priori theoretica*, postquam utramque *παρενθεσις* sacræ definitionem, nominalem § 1, realemque § 2 recitavit exposuitque, dividit eandem 1 in *breviorem & longiorem*, 2 in *plenam & ellipticam*, §. 3. Postea illius *tres causas* suppeditat, ἐξήγησιν videlicet §. 4, πᾶθος §. 5 & denique ἐμφασιν §. 6. In §. 7 observat ἐν ἐπιτομῆς, reperiri etiam parentheses sacras *exegetico-patheticas*, aut *emphaticas*, & *pathetico-emphaticas*. Porro ad *criteria* pedem promovet, sic, ut §. 8 *generale*, in §. 9 autem 9 & 10 *specialia παρενθεσις* sacræ commendat *criteria*. *Breviores* parentheses cum stili sacri elegantia pugnare, negat §. 11; contra vero ea *longiores*, cuiusmodi in canonicis Pauli epistolis inveniuntur quam plurimæ, ad ἐμφασιν orationi conciliandam conducere plurimum, ibidem affirmat probatque. Eo quoque confi-

lio ex Thucydide satis longam §. 12, ex Cicerone vero duas ellipticas allegat παρενθέσεις, §. 13. Tandem & usum pariter, atque abusum παρενθέσεως sacræ in personibus §. 14 caueat, priorisque sectionis abruptum filium.

In sectione posteriori, eademque practica, Canonet una cum exemplis, ex utriusque fœderis codice de promptis, in medium profert, ita tamen, ut nonnulla tantum allegare satis habeat, reliqua vero ex philologiæ sacræ penu, translationibus optimæ notæ, & orientalibus & occidentalibus, itemque Judaicis, Græcis Romanisque antiquitatibus, in consilium advocatis, uberiori demonstratione illustrare sui muneris esse existimaverit. Nos canones huc exscribemus, notabiliora etiam nonnulla subjuncturi exempla, hac tamen lege, ut datam brevitatis fidem ubivis exsolvarimus. Can. I: παρενθέσις sacræ ἐξηγήσεως seu declarandi causa

p. 25-62.

sapissime usurpatur: qua ideo ἐξηγητικὴ pulchre vocari poterit. Sic, exempli gratia, II Pet. I, 19 verba (ὡς λύχιν φαινοῦντι ἐν ἀνυμνήῳ τόπῳ, ἕως ἂν ἡμέραι διαυγάσῃ, καὶ φωσφόρος ἀνατείλῃ) parenthesi exegeticæ includuntur. Ceterum pericopa hæc Apostolica novo exponitur more. Etenim ἀνυμνήος τόπος erat, sub V. T. œconomia, tabernaculum Mosaicum, typicarum umbrarum involucri integumentisque involutum; his autem ὁ βέλτερος ὁ πρὸς φητικὸς λόγος, ejusdemque sublustria oracula paululum clariorem accendebant lucem: donec tandem illustrissima clarissimaque N. T. exoriebatur ἡμέρα. Hac ratione integer locus ex antiqua cærimonia lucernarum Sabbaticarum, in

gente Judaica usitatissimarum, prolixè p. 49-61 illuminatur. Can. II: παρενθέσις sacræ πείθεσς alicujus indicandi gratia non raro adhibetur, in Epistolis maxime D. Pauli: eademque vel longa, vel brevior, itemque elliptica, esse solet: qua ideo παθητικὴ satis

apte vocatur. Can. III: παρενθέσις sacræ ἐμφάσεως cujusdam declaranda ergo non raro a viris θεοπνεύστοις usurpatur: unde ea ἐμφατικὴ jure meritoque vocari meretur. Ejusmodi parenthesis emphatica, prout Autoris fert sententia, reperitur II Sam. VI, 2, in hisce verbis: (שם יהוה צבאות ישב) שש נקרא שש

96-116. exposuit. Can. IV: παρενθέσις sacræ ἐξηγητικῆς, παθητικῆς, & deni-

denique ἐμφατικῶς, non sunt temere & citra necessitatem fingenda: precipue ubi verba, quae parenthetica putantur, ad integritatem sermonis sacri necessario requiruntur. Sub hoc canone p. 100-113 locus vexatissimus I Joan. V, 7 a ficta parenthesi Thomae Emlyni, Angli, qui verba (ὅτι τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ θρανῷ, ὁ Πατήρ, ὁ Λόγος, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα καὶ ἑτοὶ οἱ τρεῖς ἐν εἰσι) nota parenthetica eo consilio, ut prorsus omittantur, insigniēda esse contendit, argumentis cum hermenevticis, tum criticis, liberatur vindicaturque. Can. V: παρὲνθεσις sacra V. T. Ebraea clauditur utique nobiliori accentu, quam is est, post quem παρὲνθεσις inittum capit: juxta antiquam illam Ebraea gentis magistrorum regulam: nec potest exemplum in contrarium productum; ἐνωτυριωφάσεαι autem haec parenthetica rite sunt concilianda. Can. VI: παρὲνθεσις sacra non sunt temere fingenda, & nullo modo admittenda, in vitis ac repugnantibus accentibus, tamen voces, harumque structura, eandem non respuant. Sic etiam παρὲνθεσις in dictis N. T. ex V. T. allegatis obvia ad accentuationis Ebraea indolem est exigenda. Ita Rob. Stephanus Marc. IX, 13 hancce parenthesin observat: Ἀλλὰ λέγω ὑμῶν, ὅτι καὶ Ἡλιᾶς ἐλήλυθε, (καὶ ἐποίησάν αὐτῷ, ὅσα ἠθέλησαν) καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτόν. Confirmat eandem Auctor p. 127 seq. atque hac ratione contra Guil. Whistonum evincit, Malachiae prophetiam C. III, 23, quippe ad quam formula καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτόν respicit, minime mutilam mancamque, contra Codd. antiquorum fidem, pronuntiandam esse. Can. VII: παρὲνθεσις sacra non sunt temere fingenda, adversante ac repugnante vocum structura grammatica cum Ebraea, tum Graeca, tamen si sigillatim accentus V. T. Ebraei eadem non respuant: verum opera potius navanda, ut genuinam constructionem vocum sacrarum grammaticam, imprimis verborum cum particulis suis propriis, accurate diligenterque evolvamur. Jo. Franckius II Sam. XVIII, 12 voculam וַיִּבְרַח vult esse parentheticam, in hisce verbis: וַיִּבְרַח (יֵ) בְנֵי אֲבִימֶלֶךְ כַּנְזִי וְכַנְזִי אֲבִימֶלֶךְ observate (quem?) puerum Absalomum. Verum ista opinio ex principiis accentuationis Ebraicae refutatur, haecque in ejus locum substituitur: observate omnes, sive quotquot estis, puerum, nempe Absalomum. Vid. p. 131, 132. Can. VIII: παρὲνθεσις sa-

p. 116-120

120-128

128-129

139-142

cra in versionibus ac nonnullis Græcis N. T. editionibus alieno loco collocata, & vel angustiōri spatio definita, vel etiam latius, quam par est, extensa, juxta rationēs grammaticas, reliquasque πεισισοείας hermenevōtico-sacras diligenter est emendanda. Hic ultimus Canon unico illustratur exemplo; eodemque ex Matth. XV, 5 petito, ubi parenthesis in nonnullis versionis B. Lutheri vernaculæ editionibus obvia deletur, ipsumque dictum, per se difficiles explicatus habens, p. 139 ad finem usque fassus enucleatur.

- P. 143-178. Adjectarum huic opusculo Dissertationum prior de ἀνέκδοτα nominum divinatorum sacra inscribitur, quoniam in illa theoretice non minus, quam practice, collatis etiam profanis, Græcis Romanisque monumentis, demonstratur, quo pacto divina nomina in sacris maxime litteris ad rei exprimendam magnitudinem excellentiamque, non tantum ἐπιπέτως, sed περὶως, proprie & formaliter, adhibeantur. In Dissertatione posteriori adversus Spinozam disputatur, utpote qui receptam suam hypothesein, Mosē videlicet pro Pentateuchi Autore perperam haberi, extra omnem controversiam collocaturus, provocat, inter alia, ad locum Dan, Genes. XIV, 14 commemoratum, quo nomine urbem Lais, sive Leschem, longe post mortem Josuæ designatam fuisse, Jud. XVIII v. 29, opinatur. Equidem alii jam Viri doctissimi Spinozianam hanc explosam ivere sententiam, verum, uti in eorum refutationibus nonnulla, quæ desideret, habere sibi videtur Autor, ita tandem cum P. D. Huetio in eam ingreditur sententiam, ut putet, celeberrimum in veteri Palæstina fluvium, Jordanem, quibus olim defluxisse rivulis, Tor atque Dan, a quibus & suum retulisset nomen, horumque alterum Mosaico in loco significari. Probat hoc primum multis argumentis, appellationem deinde Jordanis suppeditatam contra Hadr. Relandum defendit, & denique de Clarissimi Viri, Jo. Clerici, consensu mirum in modum sibi gratulatur. Ceterum in ultimis paginis quinque subnectuntur Indices.

D. JOACHIMI LANGII, S. THEOL. PROF.
Ord. in Regia Fridericiana, Causa Dei & religionis, Ju-
deis

*deis revelatae, adversus sic dictum Naturalismum
methodo demonstrativa adferta.*

Halæ Sax. impensis Orphanotrophii, 1726, 8.

Alph. 2 plag. 4.

Cœperat Summe Rev. *Langius* anno 1723 *Causam Dei & religi-*
onis naturalis adversus Atheos & ipsorum patronos, pseudo-
philosophos, tum veteres, tum recentiores defendere; quem
librum in Actis nostris Mense Octobri ejusdem Anni p. 454 seqq.
sedulo recensuimus. Nunc Vir doctissimus a religione ista natu-
rali lectorem deducit ad revelatam, ejusque patrocinium adver-
sus naturalismi sectatores suscipit, eadem, qua liber ille primus
conscriptus est, methodo usus demonstrativa, quæ veritates re-
cte definitas, & ex evidentissimis principiis justa serie deductas,
ita inter se connectit, ut tanquam ejusdem catenæ articuli firmi-
ter inter se cohæreant.

Tractationi ipsi necessariam præmittit *prothecoriam*, quæ
Postulatis & Theorematis constat. Et *Postulata* quidem præci-
pue exhibent illos revelatæ religionis characteres, quos quilibet
sincerus Dei secundum lumen naturæ cultor non potest non pro-
divinis agnoscere, & confiteri, se eam religionis revelatæ for-
mam, quæ istos characteres ostendat, lubenti animo pro vera
ac divina esse agniturum. Postulatis subjunguntur *Theoremata*,
ubi membro 1 agitur de theologiæ ac religionis naturalis defecti-
bus historicis, dogmaticis atque moralibus, qui satis indicant,
eam non esse sufficientem ad æternam salutem consequendam;
membro 2 agitur de revelationis possibilitate, probabilitate, uti-
litate ac necessitate.

P. I. II.

12-30.

30-34.

Lectorem ita præparatum Ven. Autor ad ipsam *Tractationem*
admittit, quumque revelatio illa divina, cujus & characteres & pro-
babilitatem necessitatemque cum summa utilitate conjunctam
hactenus a priori ostenderat, in *gente Judaica* quaerenda sit, par-
te tractationis priori primum agit de *historia Judaica*, ejusque anti-
quitate & veritate, nec non de integritate librorum apud Judæos sa-
ccorum; deinde de *ipsa religione Judæis revelata*, tanquam centro

istius historię, secundum præstantiam atque divinitatem suam consideranda.

- Sectio I* de historia Judaica quinque propositionibus adsolvitur. *Prop. I* generatim agit de antiquitate gentis & veritate historię Judaicę, & his verbis includitur: *Gens Judaica, quę adhuc hodie per orbem terrarum dispersa quam copiosissime superstes est, omnium est antiquissima, antiquis Assyriorum & Chaldeorum, nec non Persarum, Gręcorum & Romanorum imperii: multis modis innexa, & ab omnibus aliis gentibus mirum in modum distincta, multisque prerogativis insignita: id quod octo argumentis comprobatur.*
- Prop. II* speciatim agit de veritate historię, quę libro primo Mosaico continetur, & deinceps singulatim deducta, ita habet: *Moses in Genesi narrat res, 1) quas ita, uti narrantur, factas esse, ipsa ratio sibi relicta probabiliter adsequitur: 2) quę inter se quam optime coherent, & ad nexum rerum Judaicarum, quotquot insecuta sunt, catenatum pertinent, ideoque nec omitti potuerunt: 3) quę eo adhuc tempore, quo a Mose, Deo per specialem directionem concurrente, conscriptę sunt, non solum Judęis, sed reliquis etiam, præcipue Orientis, gentibus maxima ex parte per traditionem erant notissima; certe ita comparatę, ut istis, inquisitione facta, de iisdem facile posset constare: 4) quarum notitia residua, inter gentes omnes longiore temporum progressu propagata, variis sese monumentis ac vestigiis prodidit. Ergo Genesis continet veram vere factorum historiam.*
- Prop. III* hæc est: *Quatuor reliqui Mosis libri eisdem continent historiam rerum Judaicarum, uti antiquissimam, ita etiam verissimam: quod variis rationibus extra dubium ponitur.*
- Prop. IV:* *Etiã reliqui libri gentis Judaicę sacri historici, dogmatici, morales ac prophetici, sua antiquitatis & veritatis luce amplissima radiant, ideoque fide sunt dignissimi.*
- Prop. V* integritatem librorum V. T. incorruptam demonstrat, ubi probatur, a Judęis abfuisse non solum actum libros suos sacros corrumpendi aut interpolandi, sed etiã facultatem ac voluntatem ipsam.

Sectione II ab historia Judaicã ad religionem Judaicam, ejusque tum præstantiam, tum divinitatem demonstrandam transitur. *Membro hujus sectionis I* præstantia religionis revelatę octo pro-

propositionibus, quæ totidem characteres continent, evincitur. Sunt autem isti characteres 1) antiquitas & veritas religionis revelatæ historicæ, 2) ἀξιωματικὰ Mosis ac reliquorum scriptorum sacerdotum, 3) revelationis modus Deo dignissimus, 4) sermonis sacri dignitas, in evidentia ac simplicitate posita, & singulari cum gravitate ac sanctimonia conjuncta, 5) præstantia doctrinæ tum credendorum, tum agendorum, quæ perfectum juris & legis naturæ systema exhibet, 6) præstantia rituum, doctrinæ supervenientium, 7) harmonia singularum partium & librorum, 8) perfectio, qua religio revelata defectus theologiæ naturalis historicos, dogmaticos & morales supplet. Quibus positis declaratur, summam religionis Judæis revelatæ præstantiam ex istis characteribus elucere; quæ ad ejusdem divinitatem agnoscendam quosvis invitet. Per *divinitatem* autem religionis ea intelligitur illius præstantia, quod ab ipso Deo peculiariter est revelata, & ad spirituales æternamque hominum salutem ordinata. Hæc *membro II* duodecim rationibus characteristicis seorsum evincitur, quæ sunt 1) solemnitas νομοθετικὰ Sinaitica, 2) δευκατηκὶς in conscientiam, 3) salutis mysteria, ingenio humano superiora, 4) harmonia credendorum & agendorum admiranda, 5) convenientia inter bona gratiæ medicinalis ac forensis, & mala naturæ, 6) admirabile gratiæ ac justitiæ temperamentum in salutis fundamento ac ordine, 7) analogia summa inter doctrinæ revelatæ capita generalia, legem & evangelium, 8) religionis revelatæ finis & effectus efficacissimus ad hanc & futuram vitam, & ad ipsos vitæ civilis ordines singulos, 9) cruenta ac funesta confessorum martyria, 10) prophetiæ, ipso eventu quam evidentissime comprobata, 11) admirandus miraculorum cumulus, 12) religionis Judæicæ revelatæ complementum plane divinum in Christianismo. Hisce duodecim characteribus subjiciuntur *confectaria*, quibus redditur liquidissimum, religionem revelatam, tot divinitatis radiis coruscantem, non nisi a brutæ mentis hominibus, quorum præcipui sunt athei, posse repudiari; *scrupulos* autem, qui imperitis restant, non in *arma*, quibus doctrina revelata impugnetur, sed in *stimulis diligentia* convertendos esse.

Sectione III demonstrata religionis revelatæ veritas ac divini-

p. 132-134.

134-188.

183-188.

tas *adversus exceptiones & objectiones* defenditur ac vindicatur.
 p. 189-200 *Membro I* solvuntur objectiones, quæ adversus Pentateuchi Mo-
 201-224. saici aliorumque librorum historicorum antiquitatem & integri-
 224-247. tatem moveri solent ac possunt. *Membro II* solvuntur objectiones,
 248-260. quibus historia creationis sollicitatur. *Membro III*, quæ circa histo-
 261-296. riam lapsus oriri possunt. *Membro IV*, quæ causam mali Deo vi-
 296-318. dentur tribuere, præcipue vi decreti alicujus absoluti. *Membro V*
 illæ, quas Vir clarissimus, *Jo. Clericus*, nomine philosophorum
 gentilium contra religionem Judæis revelatam neclit. *Membro VI*
 Præf. p. 16. farrago aliarum objectionum solutarum exhibetur. Hæc est par-
 tis prioris œconomia, in quâ Ven. Autor nihil se protulisse dicit,
 nisi quod meditatione propria excretum fuerit digestumque, & cu-
 jus vim ac robur ipse ad convictionem usque non perceperit, post-
 habita interim polyhistoria, quâ animus inter legendum distrahi
 solet.

Posteriore libri Parte sibi tractanda sumit præcipua revelatæ
 religionis capita, posita in *doctrina de Messia*, quæ *mysterium*
Trinitatis supponit. Hinc *Sectione I* agitur de *mysterio trium hy-*
 321-339. *postasium* in unitate divinæ essentia, ubi *propositiones* exhibentur
 & illustrantur loca V. T. quindecim, quæ *mysterium* plurium hy-
 339-358. *postasium* in Trinitate generatim insinuant: *prop. 2* loca sedecim,
 in quibus expressa fit mentio duarum *hypostasium*, patris & filii:
 359-402. *prop. 3* loca viginti & sex, in quibus Dei filius seu *Messias*, a Je-
 hova distinctus, vocatur *angelus Jehova*, & ejusmodi prædicatis
 insignitur, quæ ipsum vetum Deum esse, quam evidentissime
 evincunt; cui deductioni præmittitur theorema, suis instructum
 argumentis, de emphasi nominis *Jehova* absolute positi, quod sit
 nomen soli vero Deo proprium, & cum nulla re creata commu-
 402-410. nicabile: *prop. 4* loca triginta & octo habentur, in quibus duarum
hypostasium ita fit mentio, ut *hypostasis* tertia, nomine Spiritus,
 seu Spiritus sancti vocata, referatur ad alterutram duarum reli-
 410-442. quarum *hypostasium* vel ad utramque: *prop. 5* loca viginti qua-
 tuor exhibentur, in quibus pluralis *hypostasium* numerus specia-
 tim ad ternarium restringitur. Singula illa V. T. loca doctis ob-
 servationibus illustrantur, quæ nucleum demonstrationis, ex
 442-449. quolibet loco colligendæ, nervose continent. Addantur *prop. 6*
 testi.

testimonia pro hoc dogmate, quæ in libris V. T. apocryphis exstant, & *prop. 7*, quæ in scriptis *Philonis* Judæi occurrunt, pro copia sua in sex diversas classes distincta. p. 450-462

Huic demonstrationi mysterii Trinitatis *Sectione II* superstruitur doctrina *de Messia*, salutis nostræ autore, nec non de ejus fundamento & ordine. Membrum 1 agit de Messiæ *persona*, secundum utramque ejus naturam, ubi cap. 1 pro adstruenda *divina* Messiæ *natura* integræ phalanges testimoniorum ex Mose, Prophetis & Psalmis producuntur, & adversus Judæos ac Socinianos in acie collocantur: cap. 2 de *humana* Messiæ *natura* copiose tractatur, & quidem 1) de tribu & familia Messiæ, 2) de loco nascituri Messiæ, Bethlehem, 3) de tempore nativitatis Messiæ, per LXX hebdomadas definito, 4) de Messiæ matre virgine, 5) de ejus unctione ad officium ejus triplex, unde is Messiæ nomen habet. Membrum 2 sistit Messiæ *officium* in duplici ejus statu. Unde Cap. I agit de officio Messiæ *sacerdotali*, & in eo de *salutis nostræ fundamento & acquisitione*: quod argumentum ut eo plenius tractetur, articulus 1 agit de peccato, ejusque culpa & pœna, tanquam supposito doctrinæ de officio Messiæ sacerdotali; art. 2 de peccati Adamici ac contractæ per illud labis imputatione & participatione; art. 3 de justitia Dei, peccati vindice; art. 4 de natura rei sacrificialis piaculari & typica, & sacerdotum Leviticorum officio typico in peccatorum expiatione; art. 5 de ipso Messiæ officio sacerdotali, in expiatione anti-typica posito. Cap. II de officio Messiæ *prophético* & de *salutis* acquisitæ *promulgatione*, ad ejusdem applicationem tendente, tractatur, ac denique Cap. III de officio Messiæ *regio*, *salutis* per sacerdotium partæ ac per officium propheticum promulgatæ oblatæque *communicationem ac consummationem*, beatamque usuram complectente. Utrique libri parti epimetron subjungitur, de religionis Judæis revelatæ imperfectione, seu indole temporaria, qua respectu evangelii novæ œconomix prælusit. Denique index & rerum præcipuarum, & locorum, tum ab objectionibus vindicatorum, tum de Messia explicatorum additur.

463-515.

516-565.

566.

568-582.

582-590.

590-616.

616-642.

642-647.

647-687.

687-714.

715-fin.

Et hæc ratione S. R. Autor simul fundamentum posuit tractationis *Anti-Judaicæ & Anti-Socinianæ*, quæ *tomus* causæ Dei *ter-*

tio propediem insequetur. Ceterum sub finem præfationis proficitur, se hunc librum non sine eximia fidei corroboratione elaborasse. Hanc ipsam igitur lectori etiam, cui causa Dei in procuranda animæ suæ salute curæ cordique est, ex animo apprecatur.

D. JOACH. LANGII, THEOL. PROF. ORD.
Institutiones Studii Theologici Litterariæ, quibus methodologia de studiorum sacrorum ordine, subsidiis ac impeditis præmissa, & monitis ac consiliis litterariis passim inspersis, notitia librorum, præcipue selectorum, in singulis Theologiæ partibus exhibetur.

Halæ Sax. impensis Orphanotrophii, 1724, 8.

Alph. 2 plag. 11.

QUUM ignoratio bonorum librorum cum multis damnis conjuncta sit, consultum putavit Summe Rex. Autor juventuti Academicæ, ut in singulis Theologiæ partibus sufficientem sibi comparet librorum selectorum notitiam, iis instructam consiliis monitisque, quæ librorum usum dirigant, & non expeditum minus reddant, quam salubrem. Hunc ipsum in finem has institutiones in usum Auditorum Collegii sui literarii, quod quolibet semestri æstivo habere solet, typis tradidit, quæ VII Sectionibus constant. *Sectione I* agitur *de methodo studii Theologici*, & quidem cap. 1 generatim, ubi 1) de scopo & ordine studii theologici, 2) de prudentia studii theologici litterariæ, 3) de diligentia studii theol. litterariæ: cap. 2 speciatim 1) de studio exegetico & philologico, 2) de methodo studii thetici & moralis, 3) de methodo reliquarum studii theologici partium. *Sectione II* exhibet *Isagogem generaliorum in rei litterariæ & librariæ notitiam*, ubi cap. 1 de re librariæ & litterariæ in genere, cap. 2 de iis rei librariæ & litterariæ subsidiis, quæ sunt in re bibliothecaria & typographica. *Sectione III* tractat de *studio historiæ ecclesiasticæ*, & quidem cap. 1 de ipsis fontibus historiæ ecclesiasticæ, cap. 2 de iis scriptoribus, qui historiam ecclesiasticam e fontibus haustam condiderunt, tum universalem, tum particularem. *Sectione IV* sistit *philologiam sacram*, ubi cap. 1 de par-

p. 1-46.

46-85.

85-122.

122-166.

166-195.

195-265.

265-285.

285-308.

partitionibus ac versionibus Scripturæ S. cap. 2 de editionibus p. 308-339.
 Scripturæ & operum biblicorum, cap. 3 de apparatu ipsius philo- 339-380.
 logiæ sacræ librario, cap. 4 de antiquitatibus sacræ V. & N. T. 381-570.
Sectio V complectitur *Bibliognosian studii exegetici*, secundum di- 570-661.
 versas librorum classes digestam. *Sectio VI* apparatus librarium
 in Theologia dogmatica & morali. *Sectio VII* notitiam librariam p. 662-734.
 in studio *antibiblico*, ubi recensentur scriptores adversus adversari-
 os extra ecclesiam cap. 1, & intra ecclesiam cap. 2. Judicium de
 librorum indole, vivæ voci reservatum, Ven. Autor rarissime appo-
 suit. In enumeratione Autorum data opera abstinuit a nimia co-
 pia, ne eorum quidem omnium, quos ipsius supellex librariæ
 continet, librorum nominibus in censum relatis. In nonnullis
 etiã Theologiæ partibus notitiæ magis, quam selectus, ratio-
 nem habuit. Sedulam insuper, interspersis hinc inde monitis,
 operam dedit, ut Studiosi Theologiæ a vanitate illa litteraria, quæ
 hodie cum magno totius rei litterariæ abusu & damno dominatur,
 avocati, sobrie & caute in re libraria versari discerent. Præter
 appendicem adjecti sunt copiosi indices. Speciminis loco subji-
 cimus, quæ Vir Summe Rev. idemque doctissimus Sectione IV
 Cap. I §. II pag. 279 de nova S. Codicis versione latina adornanda
 moquet, optantes, ut Autor S. Rev. etiã sepositis tantisper
 aliis quibusdam occupationibus, utilissimum institutum urgere
 pro virili velit.

„Cum versio, inquit, utriusque codicis, eaque nuda &
 „notis destituta, ita esse possit adornata, ut aliquo modo vicem
 „commentarii præstet; mihi translatio optima adhuc in desidera-
 „tis est, & fortassis nunquam elaboranda. Qualem vero optem,
 „imprimis Germanis nostris, paucis exponam. Viris doctis ex-
 „ploratum est, inter alia præcipue sequentia in reddendo textu
 „authentico, maxime Hebræo, deprehendi. 1 Occurrere voces,
 „singulari aliqua prægnantes emphasi, quæ nulla alia alius linguæ
 „voce satis significanter possit exprimi. 2 Ejusmodi emphasim &
 „δὲν ὄντων passim deprehendi in integris aliquot locutionibus. 3
 „Quam frequentissimos esse idiotismos linguæ Hebrææ, cum
 „nulla linguarum occidentalium commanes, qui ideo in versio-

„ne deferendi, seu idiotismo ejus linguæ, in quam textus authenti-
 „ticus transfertur, exprimendi sint, quia retenti expressique lin-
 „guæ alii barbarissimos aut solæcismos inducunt. 4 Multa esse lo-
 „ca, aut locorum phrasæ, in quibus tacite respiciatur ad hunc
 „vel istum morem Judæorum vel Gentilium antiquum, occi-
 „dentalibus ignotum, aut obscurum. 5 Passim etiam adhiberi
 „proverbia, occidentalibus itidem haud usitata. 6 Non pauca esse
 „loca, adeo obscura, dubia & vexata, ut sensus inde non nisi per
 „conjecturam erui possit incertam: qualia tamen in argumentis
 „ad salutem necessariis non occurrunt, & si occurrant, facile
 „expediri possunt. 7 Nec pauca esse loca, quæ quidem per se nul-
 „lam habeant obscuritatem, non incommode tamen plures, quam
 „unum sensum admittant, ita, ut unus, qui legenti reliquis vi-
 „detur esse commodior, ideoque proprius & intentus, sit eligen-
 „dus. 8 Occurrere interdum paronomasias, quæ nulla alia lin-
 „gua exprimi possint, aliter autem reddita omnem suam elegan-
 „tiam & *δὲξωσι* amittant. 9 Non raro ellipsin, orientalibus non
 „insolitam, sed occidentalibus plane inusitatum, & ita compa-
 „ratam, ut sensui obslet, in versione esse supplendam. 10 Non
 „raro accentuum positum aliquam pascere metaphrasin, fere a
 „nullo alio metaphrasæ adhibitam, & a commentatoribus negle-
 „ctam. 11 Multas voces, & quasdam locutiones in integro sacro
 „codice tantum semel aut bis legi. 12 Varia loca a beato Luthero
 „minus recte esse reddita. Hæc, & plura alia, non potest non
 „observare, qui versionem aliquam adornat, cujuscunque hæc
 „linguæ sit. Jam vero si observata diversis in ipsa versione signis
 „notarentur, præmissa ad lectorem aliqua signorum istorum ex-
 „positione, versio nuda vicem commentarii alicujus non sper-
 „nendi præstaret, saltem legentium diligentiam esset excitatura,
 „& ad dignam meditationem & investigationem exacuturâ.
 „Quod si notæ accederent, signis istis accommodatæ, eo magis
 „discitentibus foret consultum. Vigésimus jam agitur annus, ex
 „quo desiderium ac consilium meum cum viro quodam doctissi-
 „mo, & ad hunc laborem a necessariis haud leviter instructo,
 „communicavi; quod quidem ipsi adeo non displicebat, ut haud
 „obscu-

„obscure mihi sociam suam promitteret operam. Sed, utroque
„nostrum aliis operis distracto, res effectum caruit, nunc aliis com-
„mendanda.

TEXTUS V. T. ORIGINALIS EBRAEUS AB
Enallagis liberatus, ita ut CLXXIIV. T. loca, in quibus
Enallage regnare dicitur, ope pietatis criticae, simplicitati
Deo dignè restituantur, & sine Enallagis exponantur
a FRANCISCO WOKENIO, P.P.
in Acad. Lipsiensi.

Lipsiæ & Wittenb. apud Sam. Hannauer, 1726, 8.

Pl. 13.

CL. Autor, Collega noster honoratissimus, uti jam A. 1718 ab
Hypallagis & 1720 a Synchysibus utrumque textum origina-
lem V. & N. T. absolvit: ita jam telam ulterius pertexens, Enal-
lagis, quas B. Varenus ignorantiae & audaciae theatrum appella-
re solebat, e sacrorum Biblico excludendis operam impendit. Et
hac quidem vice; Bibliopola ita statuente, in proximum differre
coactus N. T. Enallagas, V. T. a capite ad calcem evolvit; & quæ
aliqua cum specie ab Exegetis; antiquis & recentioribus, prolata
invenit, ad asserendas in V. T. Enallagas; brevi quidem plerunt-
que, sed sollicito tamen subiecit examini. Cum enim leviora fue-
rint, quæ pro Enallaga statumina Viri docti attulerunt, satis
esse putavit, si paucis rem conficeret, & ostenso sensu probataque
Grammaticæ Biblicæ simplicitate, dubia removeret. Si vero gra-
vius quoddam allatum dubium, non prius illud dimisit, quam
collatis aliorum expositionibus, veriorem & simpliciorum inve-
niret. Quoniam & in his rebus criticis haud raro duæ aut plures
expositiones probabiles se obtulerunt, eas asserre non super sedit,
licet unam ex illis modo probet, quo lectoribus eo melius consu-
lat, ne forte quis, cui non eadem, quæ Autori, sententia arridet, ad
Enallagen relabatur, si alia, quam eligat, non statim suppetat. Ne-
mini etiam mirum videri potest, quod Autor, qui, paucissimis
sibi in hoc vel illo dicto ad stipulantibus, vulgarem impugnat opi-

nionem, hinc inde novam quandam expositionem loci alicujus Bibliici suppeditet: cum novæ, quæ occurrunt, expositiones maximam partem puram Criticam & Grammaticam concernant, omnes vero & simplicitati & fidei analogiæ congruant. Ut dictis fidem conciliemus, unum alterumque tangemus exemplum. Quam variis variorum expositionibus locus *Gen. II, 7* torqueatur, fufe docet, & hanc ultimorum maxime controversorum verborum *לפתח חטאת רבץ* evincit exegesis esse genuinam: *ad osium est*, prope est, instat, peccatum, non illud quod jam commisi, sed *peccatum secure cubans*, seu securitatis, quo ad execrationem devenies. Masculinum *Exod. I, 21* de obstetricibus adhiberi visum, de Israelitis, & *Ruth. I, 8* *sqq.* occurrence Masculina de integris familiis accipit. *Hiob. XL, 11* *שרירים* quod *umbilicos* reddunt, velex Arabismo per *bilaritates* aut *nodos*, vel, quod præfere, ex Chaldaismo per *firmitates* exponit. Locum controversum *Jes. LIII, 9* interpretatur, ut *קבר* sit subjectum totius versus: *Dabit quidem sepulchrum ejus impios, sed idem sepulchrum, & dabit divitem, per mortes ejus. Hos. XIII, 9* autem locum, non minus intricatum, simpliciter vertit: *Perditio tua, o Israel, est, quod es contra me, contra auxilium tuum.* Qui plura nosse cupit, ipsum libellum adeat, & multa ex accentibus, multa ex intimiori Ebraismo luci restituta esse, inveniet.

BASILII FABRI THESAURUS ERUDITIONIS
Scholasticæ, recensitus, emendatus, locupletatus
 a JOH. MATTHIA GESNERO.

Lipsiæ, ex officina Thomæ Fritschii, 1726, fol.

Alphab. 18.

Quicquid de scholastica eruditione sentiant nonnulli cum fastu imperiti, nemo certe, nisi *αμβος*, laborem ei impensum dixerit ignobilem. Inter primarios potius libros referendi sunt, qui Lexicorum vulgo nomine veniunt, si cum cura elaborati rerum & vocum thesauros ad bonorum autorum intellectum pandant. Ista vero laude commendatus aliis tantum non omnibus esse Fabri hoc opus, & longissimi temporis usus com-

pro-

probavit, &, ut esset, virorum doctrinæ fama haud ambigua conspicuorum operæ cum studio in illud collatæ effecerunt. De anterioribus non opus est, ut dicamus, quorum editiones dudum in omnium manibus versatæ fuerunt. *Cl. Gesnerum*, qui hanc novissimam ornavit, cuiusque nomen sæpe jam a nobis prædicatum est, nunc etiam tacere non possumus. Rogatus scilicet primum, cum Faber de novo per *Stubelium* edendus esset, totum opus perlegendum sumsit & recensendum, & socios proin aliquandiu labores cum illo sustinuit. *Stubelio* autem illis immortuo, cum prior pars ad vocem *Cotinus* perducta esset, altera ad vocem *Villa*; quicquid agendum fuit postea, id omne soli *Gesnero* incubuit. Duo autem sunt, quæ Vir doctissimus egit. Auxit & emendavit. Nova quædam vocabula dedit, sed pauca, cum castigatius tractandum hunc librum probe videret, quam ut promiscuam vocabulorum turbam & cuiusvis ævi fordes in illum coacervare liceat. Liberalior fuit in addendis vocum significationibus & constructionibus, quarum ignorantia non lectionem tantum, sed imprimis styli exercitium magnopere impedit. Solennes & publicas formulas diligenter annotavit, & antiquitates Romanas explicavit selectis, tum aliunde, tum ex *Ill. Spanhemi* de Numismatibus opere, observationibus. Alias Critici recentiores suppeditarunt, quorum in bonos autores annotatis ita est usus, ut inde non tantum discrepantes illorum ab aliis editionibus lectiones indicaverit, sed docuerit etiam, quæ vocabula inter se miscere & permutare soleant librarii, illis, qui Criticam amant, hac ratione gratum facturis. Attamen haud adeo præclare de hujus generis observationibus sensit *B. Stubelius*, qui curare debebat, ut, quæ absens *Gesnerus* mittebat, suis locis accommodarentur. Multas igitur omisit, quæ sibi non placebant, in quibusdam etiam, pro suo sensu, *Gesneriana* verba mutavit. Et istud quidem modeste queritur *Gesnerus*, ne sibi, quæ hinc ortæ sunt inæqualitates in elaboratione, tribuerentur. Emendandæ erant versiones Germanicæ, planè contra veritatem peccantes, corrigenda locorum ex autoribus citatorum indicia, tollendæ quædam bis dicta, restituendæ, quæ non suo loco posita, aut luxata, distracta, perversa fuerant.

Id

Id diligenter præstitit *Cl. Gesnerus*, & cum totum librum a capite ad calcem perlegerit, effecit, ut illa vitia jam hic sint rariora, quæ pluribus unum tractantibus & interpolantibus, vitari sepe nequeunt. Præstantiorem igitur hanc Fabri editionem prioribus cunctis merito asserimus, & cum dudum hoc Lexicon antea erit alia omnia, nunc ejus prærogativam luculentius multo & certius apparet. Dicat quis: nondum tamen omnibus numeris absolutum. Neque vero id *Cl. Gesneri* modestia negat, & quis exigit? in tali præsertim opere; in quo tot minuta sectanda & cujus materia frustillatim prius concidenda est, quam in totum coeat. Sed dicat etiam censor, quis meliora, quis Lexicon Latinum copiosius magisque digestum dederit? Ceterum, si quis specimina industriæ Gesnerianæ desideret, eum ad vocabula quædam ex multis, unde nobis de ea constitit, ablegamus. In vocibus *labo* & *labor* interpretatio melior longe & accuratior data est, quam antea. *Lascinia* quid sit, jam demum distincte videas expositum. *Delicias* morositatem quandam & fastidium significare, ex *Plauto*, *Seneca* & *Quintiliano* annotatur. *Legulejus* nunc melius exponitur de homine, qui sine liberalium literarum cognitione fora sectatur, quam olim de procuratore. *Quilibet* pro vulgari & promiscuo poni, nunc primum indicatur. Ad vocem *litura* ex duobus *Ciceronis* locis perspicue declaratur, quomodo intelligenda phrasia *liturae sunt in litura*. In voce *elixus* correctæ versio plane ridicula loci cujusdam *Plautini*, ubi verbum *assum* de carne assa acceptum fuerat. *Loculus* non marsupium, sed cistulam aut armarium loculatum significare docetur. Adverbum *locatim* nunc primum Lexico insertum, ut & *luto* frequentativum a *luo*, *mamatus* & alia, *Messiam* deam fuisse, in *Circo* a Romanis cultam, nunc dicitur; olim e *Lexico* non intelligebatur. In vocibus *manus*, *committo*, *promitto*, *mollis*, luculenter apparet, quanta cum cura, quantoque cum judicio varios ejusdem vocis significatus evolvendo, accurate distinguendo, concinne collocando, versatus *Cl. Gesnerus* in universo hoc *Lexico* fuisset, si vel ipse solus illud curasset, vel per temporis statuti modum huic labori & aliis negotiis pariter sufficere potuisset.

Errata.

pag. 410 lin. 15 pro *Sabbathicarum lege sacrarum* & p. 412 lin. 16 pro *Tor* lege *Jer.*



No. X.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXXVI.

Η ΠΑΛΑΙΑ ΔΙΑΘΗΚΗ ΚΑΤΑ ΤΟΤΕ ΕΒ-

δομήκοντα.

h. e.

VETUS TESTAMENTUM, EX VERSIONE
septuaginta Interpretum, secundum exemplar Vaticanum,
Romæ editum, denovo recognitum. Præfationem una cum
variis lectionibus, e præstantissimis MSS. Codicibus
Bibliothecæ Leidensis descriptis, præmisit
DAVID MILLIUS.

Tomi II.

Amstelodami, sumptibus Societatis, 1725, 8.

Alph. 5 pl. 7.

Post Jo. Millii, Angli, de Novo Testamento merita, toto orbe illustria, non minus bene de septuagintavirali V. T. versione meritis nuper est David Millius, Belga, hoc magis laudandus, quod editionem nobis dedit minoribus sumptibus parabilem, nitidam tamen & novis, iisque non contemnendis variagibus lectionibus instructam, tum illis, quæ e MSS. codicibus vetustissimis nunc primum producuntur, tum quas Is. Vossius in margine ed. Romanæ annotaverat, quæ Millianis numero, forte & pondere cedunt. Præmisit vero Cl. Millius Præfationem luculentam, in cujus primo statim limine observat, versionem hanc septuagintaviralem dici, quia a Synedrjo, non illo Hierosolymitano, sed, quod ex Talm. Succa probat, Alexandrino, probata & proceribus Alexandrino. Judæorum prælecta fuerit. Fabulas autem Aristæ, de LXXII interpretibus totidem-

iii

que

que cellulis, de exemplari item aureis literis conscripto, nec non de *Theopompo & Theodecta*, cœcitate punitis, merito expedit; ceterum non omnem Aristelæ fidem derogans. Interpretes ex ignorantia Ebrææ linguæ adeo lapsos fuisse fatetur, ut non solum miretur; Viros quosdam doctos hanc versionem Ebraico textui antepone, sed & credat, "ita sentientes nulla re vehementius confutari posse, quam si rogarentur, ut idoneam sensum in infinitis locis (libris metricis & Prophetis maxime) textu Ebraico in subsidium non vocato, e Græca versione asserant, qui perspicaci & erudito lectori satisfacere queat." Ritus etiam patrios, uti in Talmude conservati sunt, his Interpretibus non satis fuisse notos, ex collatione versionis eorum cum Talmude doctissime demonstrat. Confert nempe *Exod. XXV, 29* cum *Gem. Menachotb f. 96, 1*; *Exod. XXVII, 5* cum *Gem. Sebach. f. 62, 1, 2*; *Exod. XXIX, 24* cum *Gem. Men. fol. 63, 1*. Librariorum quidem mendis subjacere plurima loca, quorum aliquot affert, non negat; simul tamen evincit, multa quoque loca pro vitiosis haberi, quæ vitio careant; vindicatis contra *Jf. Vossium* locis, *Gen. III, 15*, & *Ezech. VIII, 15*. Eadem quoque ratione a *Cl. Bor* emendationibus liberat *Ezech. XX, 37* & *Hab. III, 64*, in quibus LXX Viri non quidem verbum verbo, commode tamen sensum reddidisse, Nostro videntur. His observationibus *Cel. Millius* pauca subnectit de usu hujus versionis, & sic ad describenda decora hujus novæ editionis conversus, textum quidem ad edit. *Cl. Bor* expressum esse, fatetur; præmissæ tamen seorsim sunt variantes lectiones MSS. Codicum, quas *Cl. Havercampio* potissimum se debere, indicat. Hæ autem variantes lectiones partim desumptæ sunt e vetustissima membrana, quæ aliquot Geneseos capita, Leviticum, Numeros, Deuteron. Josuæ item & Judicum libros complexa, olim fuit Mentelii, dein Patricii, postea Vossii, nunc vero in Bibliotheca Lugdunò-Batava asservatur. Hoc MS. literis majusculis, sine verborum distinctione, sine accentuum item & spirituum notis scriptum, e contrario autem asteriscis Origenianis ✕ crebro distinctum, Parisino, Basiliano & Alexandrino æqualem præfert ætatem. De quo rectius judicabunt, qui ipsum scriptiois specimen,

cimen; quod *Cl. Millius* exhibet, considerabit. Ceterum *Cl. Millius* sæpissime in illo Codice quædam addita observavit; rarius pronomina & alia quædam omissa sunt: Sic v. gr. additum est *Jos. X, 42, ✕ καὶ ἀπέστρεψεν Ἰησοῦς καὶ πᾶς Ἰσραὴλ μετ' αὐτῶ εἰς πόλεμον εἰς τὴν παρεμβολὴν εἰς Γάλλοι- λά.* Quod ad variantes illas, quas *Vossius* ad oram editionis Romanæ alleverat, attinet, nondum quidem constat, unde illas deprompserit, cum nec ipse indicarit, nec hodie similis liber MS. in *Bibl. Leidensi* exstet; videtur tamen non modo MSS. cum nunc MS. simpliciter, nunc *Catenam MS.* nunc *Eusæbii Emiffen. MS.* nunc alios alleget, verum & ingenium secutus. Ita ad *Exod. XXXV, 35* nota: τὰ ἔργα τῶ ἀγίῳ) Ὡρ legerunt pro Ὡρ. *Deuter. XXXIII, 8, δότε Δεὺ δῆλες αὐτῶ*) Mallem δῆλωσιν. Nos minime dubitamus, editionem hanc nitidam & accuratam Lectoribus maxime se probaturam, quamvis forte futuri sint, qui varias Lectiones textui suis locis subjectas, quam in unam farraginem redactas mallent.

ΚΑΣΣΙΟΥ ΔΙΩΝΟΣ ΡΟΜΑΙΚΗΣ ΙΣΤΟΡΙΑΣ

υ. τ. λ.

h. e.

CASSII DIONIS ROMANÆ HISTORIÆ
ultimi Libri tres, reperti, restituti studio ac labore NI-
COLAI CARMINII FALCONIS, Presbyteri, in
utroque Jure & in sacra Theologia Doctoris &
Proto-notarii Apostolici.

Romæ, ex Typogr. Chracas, prope S. Marcum in via Curfus, 1724, 4.
Alph. 1 plag. 3½.

POST felicissimam operam duorum magni nominis virorum,
Fuly. Ursini & Henr. Valesii, quorum ille ex duobus vetu-
tissimis codicibus insignia quædam fragmenta *Cassii Dionis* Ant-
werpæ A. 1582, hic autem ex codice veterrimo Peirescii aliisque
monumentis Parisiis A. 1634 haud deteriora vulgavit, vix spera-

re auti sunt eruditi, fore, ut præstantissimo Historico a quoquam melius confuleretur: cum Viri Reverendi atque Eruditissimi *Nic. Carminii Falconis* studium ipsa etiam bonorum vota vicisse appareat, qui integros tres postremos Dionis Libros publicæ luci, ex situ & squalore protractos, exponit. Is nempe, cum propter lucubrationem suam *de varia provincia Romani Metropolitanæ* Cassii nostri testimonio ex libro ejus LXXIX opus haberet, adiit Vaticanam bibliothecam, & præter opinionem ipsum illum codicem admirandæ vetustatis, & ex omnibus, quotquot supersunt, facile antiquissimum, ex quo Fulv. Ursinus fragmenta quondam desumpsit, nactus, diligentius eum evolvere, & ad ea quoque loca attendere cœpit, quæ Ursinus, quoniam propter scissas membranas de commoda sententia eruenda desperaverat, sicco pede transferat. Quæ ubi cum Valesii Excerptis, Xiphilino, Cedreno & Zonara contulit, multa in istis laciniis legit atque cognovit, ex quibus vera scriptura restitui, & ab aliis collecta fragmenta, suo quæque loco, digeri, adeoque integri libri contexti possent. Et quanquam in ipso codice, ut alia multa, ita etiam Libri LXXIX finis, & LXXX initium non comparerent: ex Xiphilino tamen, quem ipsa Dionis verba sæpissime repræsentasse, extra dubium est positum, ea ita supplevit, ut, si a læcunis quibusdam, a temporis & bibliopecti injuria profectis, discesseris, una nunc serie postremam Dionis partem legere queamus. Hoc ut eo melius appareat, per partes operam Eruditissimi Falconis enarrabimus. Principio Liber LXXVIII in veterrimo illo codice destituitur; id igitur addidit ex Xiphilino, quem sua ista hausisse a Dione ex stilo judicat & consensu Zonaræ. Cap. II pag. 4 incipit ipse codex, & quæ eo loco in orationis nexu memoranda fuissent, ea jam descripsit Ursinus, Editor auxit paullulum & suo loco inseruit. Eidem capiti tribuit quædam ex Valesianis Excerptis pag. 758, quæ Valesius, contra auctoritatem veterrimi codicis, Libro LXXVII adscripserat. Cap. III a Valesio, Ursino & Xiphilino quædam sibi vindicat. Cap. IV ex Xiphilino maxime, sed etiam ex conjectura ad integras ferme duas columnas mutilas egregie restituit, posita simul in notis pag. 110 scriptura ista codicis mutila. In Cap. V, VI & VII concinnandis auxi,

auxilio fuerunt fragmenta ab Ursino edita. Cap. VIII cum duæ columnæ codicis ab antiquo bibliopecto penitus recisæ sint, supplet easdem ex Xiphilino; ea potissimum ratione ductus, quod ea, quæ sensus ex Xiphilino assumenda esse suadebat, exacte spatium duarum columnarum respondeant, ut, verba per has columnas ad numerum litterarum ordinando, demonstrat Cl. Editor in notis pag. 116. Cap. IX, X, XI ab Ursino edita, & ipse codex persanarunt. Sed Cap. XII totum hiulcum est in codice, omissum propterea ab Ursino, sed fideliter a Nostro repræsentatum, ita, ut pro litteris, quæ desiderantur, totidem numero puncta apponantur, quædam etiam ex conjectura suppleantur, v. gr. ex . . . λευην, fecit βελευτην; ex . . . λυ, πολυ; ex . . . δραγαθη . . . ω. fecit ανδραθητης αν: sed ne sic quidem minima pars lacunarum expletur, & fortuna exspectanda erit, quæ iis ita succurrat, ut Xiphilinus fini hujus capituli. Integriora sequuntur Cap. XIII & XIV, ut faciliora lectu & olim jam edita. Cap. XV & XVI idem facinus Bibliopecti laceravit, quædam tamen vulnera egregie sanavit Editor: adjectis simul in notis p. 123 eo ordine, quo in codice visuntur, vocibus & litteris, quæ per illam injuriam inviolatæ manserunt. Iteratur idem facinus Cap. XIX, XX, XXIII, XXVI, XXX, XXXI, XXXIII, XXXVI, XXXVII & XL, quibus Eruditissimus Falco interdum ex sola conjectura & vestigiis litterarum relictarum, interdum e Xiphilino, Theodosio, Constantino Aug. qua licuit, medicam manum attulit. Cetera bene habent & olim ab Ursino vulgata sunt. Eodem modo Libro LXXIX versatus est, in quo restituendo certissimam habuit operam Excerptorum Peirescianorum. Sed cum Capite ejus libri VIII deferretur a duce suo, codice illo eximio, reliqua ex Zonara, Cedreno, Valesianis, & maxime omnium ex Xiphilino adjecit, quoniam ex stilo sibi existimare posse visus est, quæ Dionis essent, quæ minus. Adspersit etiam in notis aliquas conjecturas, atque emendationes haud contemnendas. Idem de perbreui illo Libro LXXX & ultimo Dionis dicendum est. De notis enim specimina proferre superfedemus: cum nullum ambitiosæ eruditionis apparatus contineant, sed simpliciter, unde quodque fragmentum desuntum sit, enarrent,

aut tribus verbis emendationem proponant, aut scriptores sæpe memoratos inter se comparent. Atque hi sunt libri Dionis postremiti, a Cl. Falcone integritati suæ, qua licuit, restituti. Et gratulamur omnino industriæ Viri doctissimi: cujus exemplo si alii Vaticanos thesauros sedulo excutiant, plura fortasse reperientur, quibus res litteraria augeri possit. Laudamus etiam vehementer fidem optimi Viri & patientiam, qua reliquas codicis sui litteras sua serie describi curavit: ut alii copiam habere possent ingenium suum experiendi. Et quanquam probe cognitum habeamus, quantum iis sit tribuendum, qui longo usu genium & stilum Autoris familiarem sibi reddiderunt; is possimum locis, quibus ex aliis simul rationibus Autori verba vindicant: multi tamen erunt, qui difficulter iudicio Cl. Falconis accedent, ubi ex solo stilo Xiphiliana pro Dionianis habet, & integras paginas huic ex illo vindicat. Esto enim, quod multa defumferit compilator ille ex Cassio, non tamen omnia sumit: & si integrum librum LXXX in Xiphilino legimus, non ideo integrum librum LXXX Dionis habemus; nisi aliis rationibus, quam ex solo stilo derivatis, illud comprobare possimus. Incidebat nuper in manus nostras Liber X Qu. Curtii in membrana scriptus, integer sane & nullis lacunis deformatus; sed ab edito Curtio valde diversus. Servabant hæc membranae integrum Caput V hujus libri, maximam partem prout editur, & reliqua cum hoc capite una & perpetua serie erant connexa. Sed si quis propterea, quod ex membranae unum Caput Curtii representant, affirmare auderet, reliqua etiam Curtii esse, is morem compilatorum vetustiorum ignorare fateretur. Ita propemodum de Xiphilino & Dione iudicandum est. Et si quis maxime daret, Epitomen hanc perpetuo servasse verba Cassii, Epitome tamen est, nec omnia Cassii habet: adeoque de integro Dione timidius credet. Hæc eo commemoravimus, quo doctissimus Editor, qui novam omnium librorum Dionis editionem promittit, ea occasione hos scrupulos lectori exinere, suamque sententiam, quod potest, latius confirmare velit.

M. AUGU-

MENSIS OCTOBRIŒ A. MDCCXXVI. 439
**M. AUGUSTINI CAMPIANI, ACTI, DE OFFI-
cio & potestate Magistratum Romanorum &
Jurisdictione, Libri duo.**

Genevæ, apud Marcum Michael. Bousquet & Socios, 1725, 4 maj.
Alph. 2 pl. 22.

Primam nominis ac eruditionis famam nostratibus commen-
dat hoc labore doctissimus Autor, origine Prævernas, munere
Taurinensis Antecessor, haud postremus inter Italos sagaciores
& meliori jurisprudentiæ addictos. Cum enim bene intelli-
geret genuinam Jus Romanum docendi atque illustrandi ratio-
nem, fontesque pernovisset & subsidia, quæ vulgus commen-
tatorum ignorat, novam animo concepit interpretationem Di-
gestorum, non Iliada post Homerum scripturus inter populares
suos, ex quibus vix pauci fortasse instituti similis commenta-
tionem meditati sunt, nemo certe perfecit. Hujusque operis
specimen ac initium voluit dare his Libris duobus *de officio &
potestate Magistratum Romanorum & Jurisdictione*, qui si mini-
me displicuerint Juris studiosis, pollicetur primæ Digestorum
partis enarrationem, prorsus eadem industria pertractandam.
Quod vero prætermisissis prioribus titulis Pandectarum, a titulo
de Senatoribus auspiciatus sit, ne id sine consilio factum pute-
mus, monet, illorum explicatione vix indigere, qui elementis
juris acceptis ad latiores Digestorum campos accedunt, quibus
ipsis Commentario suo consulendum putavit. Præterea necessa-
riam non minus, quam dignissimam, quæ in limine jurispru-
dentæ collocetur, judicavit illam præcipuæ partis juris publici
notitiam, quæ in Magistratibus & eorum jurisdictione versa-
tur, pluribus commentariis, sed dispari studio successuque a ve-
teribus ac recentioribus illustratam, & quæ permultos juris ar-
ticulos pervagatur. Neque tamen ab ipso *de Senatoribus* titu-
lo primum initium capit Noster, sed præmisit huic tractatio-
nem *de potestate Romani Imperatoris*, qua sine accuratam & per-
fectam Magistratum cognitionem dari non posse, recte vidit.
Refertur in libris Juris officium & potestas Magistratum, qua-
lis fuit sub Imperio Principum: hi vero fons erant omnis po-
tella-

- testatis, imperii vel jurisdictionis. In Imperatore igitur explicat ejus nomen, Proconsulare Principis Imperium, (cujus titulum in marmoribus superstitem contra Gutherii, Casauboni & Gravinæ objectiones defendit,) jus relationum ad Senatum, Censoriam, & Tribunitiam potestatem, Consulatum, sacerdotia & potestatem divinam, (ubi, Christianos Imperatores ad Gratiani tempora nomen Pontificis assumpsisse, adversus Jac. Gothofredum multis probat,) liberam & legibus solutam auctoritatem, (ad *L. Princeps. D. de Legib.*) legislativam potestatem (ad *L. quod Principi. D. de Constit. Princip.*) nomen Patris patriæ, Legem Regiam, cujus celebre fragmentum exhibet & paucis illustrat, denique potestatem Principis in Magistratus diffusam. His expositis accedit ad tit. *de Senatoribus*, quorum recenset originem & numerum, censum & ætatem, ritum legendi in Senatum, auctoritatem Senatus, insignia Senatorum, præcipue tunicam laticlavem, quam sequioribus temporibus *colobium* appellatam fuisse, contra Jac. Gothofredum tuetur. Sequitur explicatio singularum legum hujus tituli. Ad *legem primam*, subjectis brevibus notis, quales ad unamquamque legem additæ & quæ plerumque similibus locorum indices referunt, aut verba legis obscuriora declarant, commentatur Noster de viro præfectorio feminæ consulari præferendo. Ad *l. 2* dicit de senatu motis, quibus autoribus, & quorum criminum causa ordine moveri Senatori Romano contigerit, deque in ordinem restitutis. Ad *l. 3* quærit, utrum ordine moti capite minuantur? itemque ostendit, motos propter turpitudinem ex Principum Severi & Antonini indulgentia potuisse Romæ morari, cum antea solum vertere exilii causa cogerentur: infamia vero eum demum notari, cum remotionis turpem causam sententia expresserit. Ad *l. 4* disserit de tribus gradibus Senatorum post tempora Constantini, *Illustrium, Spectabilium & Clarissimorum*, docetque, ab his primum gradum obtinuisse *Equestris dignitatem*, secundum *Perfektissimorum*, tertium *Egregiorum*, secus, quam Pancirolus in *not. imp. orient.* docuerat. Talem in reliquis hujus tituli & sequentium omnium, qui de jure & officio Magistratum agunt, legibus illustrandis morem atque commentandi rationem Noster studio.

studiose & constanter servavit, ut specimini sufficere, quæ hæc-
tenus annotavimus, queant. Facile etiam ex his colligas, No-
strum haud certe Autorum de notitia Magistratum Romano-
rum, aut Interpretum juris scrinia compilasse, sed cum eos mul-
ta cum cura legisset contulissetque, proprio ingenio eruere me-
liora in haud paucis studuisse. Habet vero illud, quod jam in
scenam produximus, volumen priorem saltem de duobus in
rubro promissis Librum, qui de officio ac jure Magistratum
Romanorum totus est: alter *de jurisdictione*, Nostri fide, pro-
pediem sequetur, ad *Librum secundum Digestorum*, ni fallimur,
præcipue comparatus.

**CODEX ITALIÆ DIPLOMATICUS, COLLE-
git ac Elencho Indiceque reali instruxit JO. CHRIS-
TIANUS LUNIG.**

Tomus II.

Francof. & Lips. impensis Hæred. Lanckif. 1726, fol.

Alph. 15 pl. 11.

Postquam de primo Tomo diximus supra M. Martio p. 99,
jam quo modo tela pertexatur hoc altero, vel levi digito in-
dicasse satis fuerit. Nam cum illo nondum absolvi potuerit
primæ Partis Classis III, hinc primo loco hic sistuntur literæ Inve-
stiturarum ac privilegiorum, quæ ad Marchiones e familia
Gonzagarum oriundos, Castilionenses item & alios, tum ad Do-
minos Gonzagas, Novellaræ & Bagnoli Comites, Dom. Grimal-
dos, Januenses, Dom. Guarzones de Piscia, Com. Hippolythos
de Gazoldo, Dom. Lercarios, March. de Malaspina, Massæ Prin-
cipes & Carraræ March. Comites a Mollart, Feudi Frinchii in
Italia possessores, Monæci Principes, Odescalcos Princ. March.
Pallavicinos, Duces de S. Petro, March. & Com. Roboreti, Dom.
de Romano, it. de la Scala & de Scarampis, March. Soranæ,
March. & Dom. Spinulas, Dom. de Trissino & Principes ac
March. Vasti spectant. Succedit Pars II, quæ XII Sectionibus
divisa, conscripta est de summo Pontifice ac sede Romana, de
utriusque Sicilia Regnis, de Sardinæ Regno insulaque Corsica,

Kkk

de

de Parma & Placentia, de militari S. Johannis Hierof. vulgo Melitenfi ordine, de Republica denique Veneta, Genuenfi & Lucana. His demum accessere varia diplomata alia, in utroque Tomo suis locis prætermiffa. Multum vero hic Tomus copia superat priorem; nam cum illo dictum fit contineri diplomata DCXLI, in hoc numeravimus omnino MCCCCVI. Horum etsi plurima fuerint hic illic per Autores dispersa, singulares tamen gratiæ debentur Autori nostro, quod illa iusto ordine chronologico collegerit, imprimis vero etiam, quod ingentem ineditorum, recentium imprimis, copiam e Tabulariis summorum Principum nunc primum extraxerit. Nec dubitamus, Autorem vere polygraphum non desitutum, donec aliorum quoque Regnorum Codices, seu potius Thesauros Diplomaticos in lucem produxerit; quod ut fiat feliciter, vitam illi & otium apprecamur.

Leben und Thaten Friedrich des Andern Chur - Fürsten zu Brandenburg.

i. e.

VITA ET RES GESTÆ FRIDERICI II, ELECTORIS Brandenburgici, Autore JACOBO PAULO L. B. de GUNDLING, Potentissimi Borussiae Regis intimo Supremarum Provocationum, rerum Bellicarum & Domaniorum Consiliario, ac Societatis Regiæ Scientiarum Præside.

Potsdami, apud Bartholomæum Neumann, 1725. 8.

Alph. t. pl. 18.

Serenissimorum Electorum Brandenburgicorum, qui ex Burggravii Noribergensibus sanguinem ducunt, vitam resque gestas summa curâ ex Archivis, Codicibus MSCTis, diplomatibus ac Scriptoribus optimæ notæ delineandas existimavit Autor Ill. ut rejectis anilibus quorundam figmentis, plura huc usque ignota, veramque rerum seriem ob oculos poneret. Hinc Friderici I. vitam in Actis Anni 1716. p. 92 commemoravimus;

nunc

nunc Friderici II vitam, anno superiori prelo liberatam, breviter recensēbimus, omiſſis iis, de quibus jam aliunde constat. In Præfamine Illuſtris Autor ſimplicitatis quendam coarctat, cui ſuperfluum viſum, fontes Scriniorum & MſCtorum absque verbis iſtorum aut diplomatibus inde petitis allegaſſe, quod iſto tamen ſine neceſſarium duxerat, ut legentibus pateſceret, unde poſſiſſima ad Hiſtoriam conſcribendam ſint haurienda; nec ullo jure poſtulari poſſe, ut Hiſtoriæ Electorali unice intentus Autor, ad fidem dictorum corroborandam, ipſa diplomaſata, & verba ex MſCtis deſumpta conſarctet, cum *Archivium Statum* in lucem emittere ſibi non fuerit propoſitum; denique cum Mandato Clementiſſimo, inſpectantibus ſummæ dignationis Viris, Hiſtoriam hanc congeſſerit, nullum de veritate documentorum, eorumque exiſtentia dubitare jubet, niſi temeritatis notam incutere velit. Ordine Chronologico inceſſiſſe Autorem Ill. deprehendimus, unde res invicem connexas compilare nobis erit integrum. Natus eſt *Fridericus II* A. 1413, Tangeminda, inſi in Polonia educatus, cura Eliæ Decani Sendomiriensis & Petri Chelanky Nobilis Poloni; inſignem optimarum artium ſcientiam ſibi comparavit. Vicaria poteſtate Marchiam ab A. 1438 ad 1440 rexit. Parente deſuncto, Tangeminda; hinc Berolini ſedem fixit, palatio ibidem extructo, arceque munita, quæ ad Joachimi II tempora perduravit. Statura fuit præcæra, corpore ſucculento & robuſto, ut *Ferrei* cognomine inſigniretur. Ingeſſo mirando, tacitum ſecretum premens, non vi, ſed conſilio, & intentis occaſioni Domus Sereniſſimæ impetium propagavit; divitiis præpollens, munificentia in Eccleſias, egentes, ſiſosque miniſtros clarus exſtitit. Luſatiam, Electoribus Brandeburgicis quondam ſubjectam, & ab iſdem oppignoratam, eſi Carolus IV, deſuncto Belcone Sileſiæ Duce, ſe Brandeburgicis reſtituturum promiſiſſet, Bohemiæ tamen junxerat, quam Sigismundus poſtea Joanni Polenzio oppignoravit; at is in turbis Bohemiſis ſibi meruens, tutelæ Friderici II A. 1441 ſe totamque provinciam ſubmiſit. Deinde cum, Georgio Podiebratio Vicario, ſiſis Bohemia turbis concuteretur, Polenziorum jura, in Lubenam maxime, Fridericus ſolutis 10000 fl. Rhen. A. 1448 redemiſt;

- p. 374. mox & reliqui Ordines ac Civitates Lusatiae Inferioris, servatis
 sibi privilegiis, in ejusdem ditionem concesserunt. Quo nomi-
 ne investituram a Rege Ladislao, ipsiusque Vicario Georgio im-
 petravit, eamque ab Anna, Bohemiae, si Ladislaus absque prole
 194. 214. decederet, haerede, Wilhelmo Saxoniae Duci elocata, firmari cu-
 ravit. Polenzii praeterea caverant, intra 100 annos & unum diem
 216. semet adversus Electorem ejusque successores nemini militatu-
 ros, ne arcana forsan, vel aditus cuiquam pandereat. Hoc com-
 220. perto, Fridericus III Imp. patrimonii augendi cupidus, literis ad
 Electorem datis, eandem pecuniae summam obtulit, quo Lusa-
 tia sibi cederet, verum cum jure desisteretur, paulatim absti-
 73. nuvit. Interea Fridericus II Reinhardum, Cotbusii Dynastam, in
 clientelam receperat, qui biennio post omnem ditionem, cen-
 tum & quod excedit pagis constantem, partim 5600 sexagenis
 245. grossorum persolutis, partim feudi aperti jure, a Gerone Mar-
 chione quondam derivando, in Electorem transtulit. Mox au-
 505. tem facies rerum mutata, cum Georgius Podiebratius solio Bo-
 hemico admoeretur. Hic enim Sternbergii, Cotbusium vindi-
 cantibus, saevabat, qua in causa Elector Georgii Regis judicium
 haud recusavit, ita tamen, ut, cum eum sibi infensum experire-
 tur, ad summum Imperatoris tribunal provocaret. Nimirum
 511. Georgius ille Inferiorem Lusatiam cum pleno Dominio, supe-
 rioremque certis conditionibus fuerat pollicitus Electori, si se,
 ad dignitatem Regis Romanorum aspirantem, suffragio suo ju-
 514. vareret; verum Elector, se prius vitam cum morte commutatu-
 rum, quam petitioni Austriacorum eminentia adeo adverse pra-
 beret assensum, intrepide pronuntiabat. Tandem cum supremi
 560. Judicis munere in his litibus componendis haud defungi vellet
 Imperator, cujus quidem gratia istis turbis immixtus fuerat Ele-
 ctor, pax coivit cum Rege Georgio 1467, his legibus, ut Cotbusium,
 Peiza, Teupizium, Beernwalda, Lubbenam Magnam, in Electoris
 potestate manerent, una cum expectantia in Beskoviensem &
 319. Storkoviensem Dynastiam, reliqua vero Lusatia ad Bohemos re-
 40. verteretur. Joannes Dux Megapolitanus Brandenburgicus A. 1427
 terras universas in feudum obtulerat, quam ob rem Wilhelmo
 Venedorum Principe 1436 absque prole extincto, Fridericus I
 Ele-

Elector, accedente Imp. Sigismundi autoritate, Principatum
 vacuum sibi vindicabat. Verum Agnati Megapolitani & terras
 & fidem clientelarem negarunt, unde ad arma deventum, donec
 1441 his conditionibus tota lis componeretur; ut remissa clien-
 tela, Ducibus aliquando extinctis, Ducatus universus Brande-
 burgicorum ditioni cederet; eumque in eventum Ordines
 Provinciales homagium præstarent; quam transactionem Im-
 perator ratam habuit. Neo-Marchiam vero, a Sigismundo oppi-
 gnoratam, ab Ordine Teutonico, æris tunc indigente ob dissidia
 cum Polonis, persolutis 100000 florenorum Rhen. sub jure retro-
 venditionis, reluit Fridericus II. Pari modo, cum Sigismundus at-
 que Jodocus plurimas Marchiæ partes quondam alienassent, Fri-
 dericus noster rem apud Imperatorem eo perduxit, ut aliena-
 tiones illas 1444, vi Aureæ Bullæ, quæ integros ac indivisos
 Electoratus esse voluit, nullas publico edicto pronuntiaret. Pa-
 sewalkura & Torgelaviam, ad Marchiam Ukeranam pertinen-
 tes, Duces Pomeraniæ sui juris fecerant, unde ad arma ferme
 fuisset procursum, nisi mediante Saxoniz Electore & Megapo-
 litanis, locis illis Friderico II restitutis, pax fuisset stabili-
 ta. Uladislao a Turcis cæso, cum Frater ipsius Casimirus diadema
 Regium Polonorum recusaret, atque Podoliam Volhyniamque,
 Lithuaniz de novo jungendam, a Polonis repeteret, Poloni irrita-
 ti, Fridericum Brandenburgicum Regem suffragiis suis nuncu-
 parunt; verum Elector, Regnum meruisse, quam cum injuria
 aliorum possedisse satius ducens, & bella internecina veritus,
 si Casimirum pœnitentia postmodum subiisset, tempus delibe-
 randi Casimiro indulgendum existimavit, quo elapso, si Casi-
 mirum juri suo renunciare sacramento contingeret, Polonorum
 desideriis se haud adversaturum, est pollicitus. Cum fratre Fri-
 derico Juniore Noster 1447 his conditionibus transegit, ut vi
 Aureæ Bullæ, superioritate Electori salva; fratri regimen Vete-
 ris Marchiæ certo modo committeretur. Cives Berolinenses,
 Regimini Electorali nondum assueti; jura sua debilitari quere-
 bantur, verum Elector, ne judicis & partis vices subiisse vide-
 retur, litem vicinorum Principum, Nobilium, Civitatumque ar-
 bitrio dirimendam commisit; qui, rebellibus capite damnatis,
 Kkk 3. molen-

p. 60.

74.

81 sq. 379.

99.

107.

113 sq.

117.

177.

291.

- molendina aliaque civitatis bona Camerae adjudicarunt. Inter
 p 229. Albertum, Electoris fratrem, & Noribergenses sævum bellum
 est exortum, quo durante novem pugnae depugnatae intra uni-
 us anni spatium vulgo memorantur, quas velitationes potius
 adversus submissa ab Helvetiis sociisque civitatibus auxilia di-
 cendas, Ill. Autor existimat. Fridericus postea terras, tempore
 237. Waldemari a Marchia divulsas, sibi restitui postulavit ab Ar-
 chi-Episcopo Magdeburgensi, jura in Veterem Marchiam, olim
 sibi donatam, frustra allegante, cum quo tandem 1449 ita trans-
 egit, ut Comitatu Wernigerodæ accepto, reliqua retineret Mag-
 deburgicus. Dum Albertum Austriacum Electores Imperatori
 Friderico velent adungere Regem Rom. ad impensas sustinen-
 das destinarent aurum coronarium a Judæis post electionem
 402. pendendi solitum, quod summam 10000 aureorum confecit, ejus
 cogendæ cura Friderico nostro fuit commissa: at in his consul-
 433. tationibus Imperatorem saltem Imperatoriam *Grattam* (*Räpser-
 liche Gnaden*) nominari, deprehendimus. Interea 1456 Ducatum
 Mediolanensem Elector, ejus avia ex stirpe Mediolanensi pro-
 gnata, præ Francisco Sfortia, qui Philippi Mariæ ultimi possesso-
 ris filiam notham in matrimonium duxerat, sibi jure deberi con-
 497. tendebat; aliis tamen negotiis implicitus, haud ultra institit.
 Lites Alberti fratris cum Ludovico Bavaro Landshutano, qui ju-
 dicio provinciali Norico suos in Nordgovia subditos subesse re-
 cusabat, 1460 sopire Fridericus II. omni studio est annisus; bel-
 lo tamen mox recrudescente, acerrimum prælium prope Gien-
 genam est commissum, in quo Albertus hostem, numero longe
 556. superiorem, 5 horarum spatio detinuit, eundemque insigni de-
 trimento affecit, donec cedere, paucis suorum amissis, consul-
 tum duceret: unde *Adlaeiteri* error patet, qui Albertum levi
 negotio in fugam conjectum hariolatur. Regnum Bohemæ, quod
 587. Georgii hæresin a Pontifice oblatum, Noster haud declinavit,
 ut vulgo volunt, occasionem tamen rei bene gerendæ operiri,
 consultum ratus. Anna, Wilhelmo Saxoniz Duci nupta, moriens
 568. filiam Margaretham hæredem juris in Bohemiam sibi compe-
 tentis nuncupaverat; quamobrem ipsam *Bobemia hæredem* se-
 pius se dixisse, ejusque maritum Joannem Electorem Brande-
 burgi

burgi jura contra Reges Bohemorum Jagellonidas uſiſſe, docu-
 menta teſtantur. In cauſa Pomerana Elector aduerſum adeo ſi-
 bi Imperatorem expectus eſt, ut & omnes ipſius ſocios arma po-
 nere juſſerit, & Erico Wolgaſienſi, inueſtituram, ſub pœna 1000
 librarum auri, ab Electore impetrare, interdixerit. Tandem Fri-
 dericus II perſuſus regiminis, ac difficilem auditum, capitiſque
 vertiginem ex vulnere in obſidione Ukermundæ accepto, & tu-
 morem pedum ſentiens, denique ob mortem præmatram ſilii
 Joannis 1469, quem matrimonio Filizæ Caſimiri Regis Poloniæ
 deſtinaverat, Electoratu in gratiam Alberti fratris ceſſit, Burg-
 graviatu ſuperiore, & annuo 12000 aur. ſi. reditu ſibi ſervato.
 Hinc Plaſſenburgum ſe recipiens, ut vicinis Bohemorum thermis
 uteretur, non melancholia tamen ob fortunam ſibi aduerſam
 correptus, quod aliqui ſomniant, Plaſſenburgi 1471 placide vi-
 tam cum morte commutavit. Fidei confeſſionem primum 1445,
 ac denuo 1453 ſua manu exaratam reliquit, in qua ſolo Salvato-
 ris merito ſtetus, peccatorum remiſſionem, miſericordiamque
 divinam ſibi pollicitus, in vera fide in Chriſtum ſe moriturum
 proſitetur, unde plures ex recentioribus interque illos Weizen-
 dorffius ſcriptis eandem illuſtrarunt. Ceterum imagines Electo-
 rum in frontiſpicio harum Vitarum conſpiciendas ex picturis
 vetuſtiſſimis in ſacris ædibus aut palatiis Regiis reperiundis
 deſuntas, refert Autor Ill. ac vitam Alberti Achillis brevi ſe-
 daturum ſpondet, quam ut ſelici fidere perſiciat, ſancle vo-
 vemus.

605.

628.

620.

615.

617.

629.

630.

LA VIE D'OLIVIER CROMWELL, LORD PRO-
 tecteur de la Republique d'Angleterre &c.

h. e.

VITA OLIVERII CROMWELLII, PROTE-
 ctoris Reipublicæ Anglicanæ, ex Scriptoribus optimæ notæ
 ſumulque plurimis egregiis MSſis collecta & ex An-
 glico in Gallicum ſermonem verſa.

Tomus II.

Hagæ

Hagæ Comitum, apud Jacobum Jonghium, 1725, 8.

Alph. 1 pl. 17.

Ingens eorum, qui vitam & res gestas Cromwellii antea exposuerunt, numerus Anonymum Anglum, quem nunc e Gallica versione recensebimus, detertere neququam potuit ab eadem opera denuo suscipienda; quum nimirum pauci inter illos ipsi vili sint ea in re cum industria & fide versati. Ipse nec Encomiasten acturus, nec Satyricum, simpliciter facta non levi aut dicali, sed gravi sermone recenset, nihil omittens præter fabulas illas Romanensibus haud absimiles, quæ a Scriptoribus, præsertim extraneis, Cromwellii rebus sunt affictæ; contra multa superaddit memorabilia, quorum hætenus ne ipsi quidem Angli meminere. Illud in eo desideres, quod parcius, nec accurate satis, scriptores abs se lectos allegaverit. Ceterum supplementi loco subijuncta sunt, tum accuratior familiæ Cromwellianæ genealogia, ab ipso Autore Anglo scripta, tum animadversiones criticæ exque satis acerbæ in Gregorium Leti, vitæ Cromwellii itidem scriptorem, ab interprete Gallo additæ. Nos potiora quæ nobis visa, haud ubivis obvia, pauca tamen, pro instituti ratione delibabimus.

Tom. I p. 3.

Memorat vero Autor, Cromwellium cum prius ecclesiæ Anglicanæ fuisset addictus, postmodum in castra Puritanorum transiisse, eorumque tam scrupulose adhæsisse religioni, ut certam aliquando cuidam redderet argenti summam, ludo jam triennio ante ab illo obtentam, addens: se diutius eam retinere per conscientiam non posse. Certe religionis fervore incitatus fertur, ut A. 1641 vehementius urgeret in Comitibus inferioribus querelas contra Regem, quæ cum tandem in bellum erumperent, primum centurio factus est, & mox sublimioribus militiæ dignitatibus admotus, multa feliciter adversus regium exercitum gessit. Imo cum aliquando Parliamentum numero militiæ præsectorum exempta vellet omnia sua membra, ipse non solum constitutionem istam, quam *de abnegatione sui* dixere, eloquentia singulari commendabat, sed etiam solus militare suum munus sibi conservabat, in quo tot præliis A. 1645 & 1646 gestis, tot urbibus captis, fortitudinem probavit, ut vel

nomen

nomen ejus terrorem incuteret Regiis. Veruntamen A. 1647 aliqua intercessit ei cum Parlamento similtas, cujus tum causa tum etiam effectus, prout Cap. V memorantur, lectu maxime digna sunt. Scissa nimirum tum temporis fuit ecclesia Anglicana in tres partes, primam Episcopalem, inter quos erat Rex ipse, propterea maxime invisus, secundam Presbyterianorum, ex quibus praecipue constabat Parliamentum & civitas Londinensis, & tertiam eorum, qui dici volebant Indifferentes, quorumque maximus numerus erat in exercitu. His itaque cum Cromwellius faveret, nimiam scilicet Presbyterianorum licentiam, qualis vix antea sub regio & episcopali regimine Angliam opprimerat, animadvertens, enata inde similtatis illius causa. Quippe Cromwellii imprimis opera, qui mira calliditate atque apud belli duces pariter ac milites auctoritate gaudebat, tam plenum periculi dissidium Parliamentum inter & exercitum natum, ut alterum quasi inde exurgeret Parliamentum, militare scilicet, cujus superiorem ordinem belli duces, quorum summus Fairfaxius, nomine quidem, re ipsa autem Cromwellius erat, inferiorem agebant ex militibus illi, qui *Agitatorum* nomine tum maxime memorabili veniebant. Rex etiam per dissidium illud, Cromwellii cumprimis feroci instigatione, ex captivitate Parliamenti in exercitus custodiam raptus, longe melius atque antea habebatur, ino nunc utrinque certabatur quasi de pace cum Rege incunda. Certe Cromwellius ipse, sive simulata, quam nonnulli imputabant, sive bona fide tantopere rebus Regis, cujus quippe conveniendi potestatem nunc pro lubitu sibi sumere poterat, studuit, ut cum is parum prudens nimiumque pertinax omnes pacis condiciones fuisset aspernatus, neque tamen nosler desisteret a fidel specie saltem erga Regem, proditoris instar in suspicionem non levem adduceretur. Quam tamen mox, de fuga Regis in insulam Vectim ejusque ibi satis arcta custodia in publico Parlamento confessa verba faciens, mire elisit; cum exercitu autem, praesertim Agitatoribus illis, qui *Libratores* deinde, sive omnium rerum arbitri dicti & Regi tandem maxime funesti extiterunt, in gratiam rediit, publice testatus, quod nunc demum distincte cognoscat grande opus, quod Do-

p.67 seq.

91.

102.

- p.179. *minus operetur.* Ad A. 1649 observatur, Cromwellium pariter & Fairfaxium, cum Oxonium pervenissent, honoris causa Doctores Juris civilis, simulque aliquot tribunos militum Magistros artium fuisse creatos. Anno sequenti, Hibernia a nostro domita, prodit libellus sub titulo; *Character Regis Cromwelli*, qui etiam mox suppressus, prælagii tamen loco habitus fuit.
- 221,224. quidem mox deinde in Angliam reversus, triumphali quasi pompa, maximo comitatu ac occurso, Londinium intrabat, quanquam hoc concursu minus delectari visus est, quippe adulatori cuidam, dicenti: *ecce quanta populi multitudo triumphum tuum comitetur*, subridendo respondisse fertur: *atqui major foret numerus, si ad supplicium patibuli ducerer.*
- Tom. II. p. 6. Miretis autem conatus varios Cromwellii, quibus primo
15. quidem placide, tum in solenni præterea deliberatione, tum in colloquio privato cum *Whitelockio*, harum rerum postea scriptore, innociam regis dignitatis restitutionem suavit, subtilemque simul sui ipsius commendationem subinde peroravit; mox autem severius rem aggressus est. Quibus vero artibus essece-
rit; ut, omisso Regio nomine, summam rerum Protectoris titulo consecutus fuerit, apud Autorem legi mereatur. Interim obtre-
stationibus, odiis, insidiisque non carebat, adeo ut mater ejus
114. in perpetuo timore versaretur, & ad quemvis bombardæ fra-
199. gorem auditum exclamaret, filium perisse. Magna quoque, inde a repudiato Regis titulo, miser homo angebatur animi inquietudine, quæ ita angebatur dolore ex amicorum & imprimis *Elisabethæ Claypollia*, filia dilectissima, cujus colloquiis frequenter delectabatur, morte concepto, ut in febriam incidere tandem, qua exstinctus est, antequam de successore in Protectoratu statuere aperte posset. Quantæ formidini fuerit exteris, Gallis imprimis, Hispanis & Italis, apud Autorem fuisse legas, qui inter alia observat, Mazarinum nunquam ejus nomen sine aliqua perturbatione audivisse, adeo ut in proverbium abierit, eum ne Diabolum quidem æque formidasse ac Cromwellium. Quod ad supplementa, de quibus supra diximus, patet utique ex Cromwellii genealogia, eum & antiqua nobilitate generis & gloria majorum floruisse, & filias quidem habuisse vi-
ragi-

ragines, filios autem sibi impares. Certe id conspicuum fuit præsertim in Richardo, qui patriam dignitatem, non quidem hæreditate, nec indubitata patris nuncupatione, attamen voluntate civium acceptam, vix ultra septem menses sustinuit. Quæ vero ultimo Interpres addidit de Gregorii Leti Vita Cromwelli, ea ut repetamus, vix operæ pretium putamus. Illud monuisse suffecerit, ad octo classes reduci Nostri accusationes, quarum prima ejus vitia contra modestiam, secunda contra accuratam debitamque industriam, tertia partium studium, quarta vitia contra sanum sensum, quinta chronologica, sexta curam de pane lucrando, ex eaque natas ambages plane supervacaneas & tautologias tædiosas, stilumque popularem nimis & humilem, septima contradictiones absurdissimas, octava denique ejus sublestam fidem & aperta mendacia producit. Denique sub finem etiam Historiam Cromwellii, à *Rageno* Abbate conscriptam, sub censuram vocat, cui nomen Romanensis fabulæ tribuit.

p. 253.

DE MENTE HUMANA SUBSTANTIA A Corpore distincta & immortali Dissertatio Philosophico-Theologica; Autore JOH. PETRO de CROSA, Lausannensi, Reg. Par. Acad. Socio, Mathes. & Phil. in Acad. Groningensi Professore.

Groningæ, typis Gesinæ Elamæ, 1726, 12.

Plag. 12.

Etsi titulus promittere videatur scriptum theticum; attamen evolventi apparet, quod in numerum eristicorum referri debeat. Autor enim clarissimus calamum potissimum stringit adversus *Leibnitii* harmoniam præstabilitam & electionem mundi optimi: illam enim cum libertate hominis, hanc cum libertate Dei consistere non posse; sumit, sed non probat, atque ex hoc supposito, quod per istas hypothesès omnis libertas evetatur, eas omnibus illis consequentibus odiosis onerat, quæ ex fatali rerum omnium & absoluta necessitate fluunt. *Cel. Wolfsum* quoque atque *Bülfingerum* satis aperte pungit, etsi utriusque nomini parcat. Citare enim subinde *Wolfiana* ex scriptis *Lau-*

giani, nonnunquam etiam *Bülfingeriana* ex ipsius viri monumentis. Postquam Sect. 1 *Cartesianorum* hypothesein adstruere conatus fuit, quod Corporis essentia in extensione consistat, quodque extensio sit ipsa substantia corporea, monadibus *Leibniti* notatis & in numerum figmentorum rejectis; Sect. 2 evincere nititur, Substantiam cogitantem esse a Corpore distinctam. Tribuit menti vim, qua semet ipsam modificat. Etsi autem videri nolit, eam a *Leibnitio* mutuasse, hac addita ratione, quod ipse animæ libertatem relinquat, nec ex ea automaton efficiat; constat tamen, ipsum quoque *Leibnitium* libertatem eisdem non adimere, nec in sensu mechanico vocem automati de anima usurpare. Tandem Sect. 3 omnium prolixissima de libertate mentis agit & maxima animi acerbitate harmoniam præstabilitam & recentiorein, quam vocat, Philosophiam consequentiis illis impugnat, quæ ex negata animæ Dei que libertate consequuntur, quasi nimirum per hypothesein harmoniæ præstabilitæ & electionis mundi optimi omnis religio, præsertim christiana, omnis virtus atque honestas, omnis pœnarum & præmiorum æquitas, omnis denique disciplina civilis & iustitia tollatur. Vocat ideo Systema harmoniæ præstabilitæ *Leibnitianum* obscurum, supra quam dici potest paradoxum, libertatem homini eripiens, unde virtutes suum decus trahunt, moralitatem tollens, miracula ad seriem fatalem revocans, præmiorum splendorem & decentiam, pœnarum iustitiam & eo ipso legum æquitatem, uno verbo religionem omnem & christianam præsertim, quæ satisfactionem tanti meriti ad peccatorum absolutionem agnoscit, funditus evertens. Monet tamen in præfatione, sese ab imputandis consequentiis tam longe abesse, quam longe ab hypotheseibus absit, quas iisdem adoritur. Et in ipso contextu fatetur, se illas consequentias consequentiarum non eum in finem cumulare, ut in odium a se dissentientes adducat suspectosque irreligionis agat. *Absit*, inquit, *a me adeo inhumanum propositum. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, nec alios suscipe metiri, qua mensura si alii te ipsum metirentur, graviter reclamaret.* Hoc non obstante, novam philosophiam sectantes autoritates undique conquirere solere affirmat,

mat, quibus se tueantur & ab hypotheseos suæ periculo animadvertendo lectores suos distrahant; eos arana a Theologis mutare, quibus Theologiam convellant, & si modo possint, religionem omnem penitus evertant; fore hodie, qui christianam religionem ore profitentes a Christo & Apostolis læti & exultantes recedant, ut metaphysicis subtilitatibus, quas ne quidem ipsi plene intelligant, ex animo adhæreant. Tribuit, sicut Cl. *Langii* fretus, novæ philosophiæ, quod mundum ponat creatum, sed simul æternum; Deo adimat in creando libertatem; mentes humanas statuat per seriem rerum æternam & singularem naturæ suæ mechanismum necessario disponi ad tales cogitationes & voluntates, ita ut primi parentes vi structuræ corporis mechanicæ & per mechanismum mentis non magis emendabilem voluerint comedere & comederint de fructu vetito; quod ipsum Deum faciat autorem peccati, qui alios hominum vitiosos creet & in peccata trahat atque impellat, ut sint ipsi occasiones aliorum in contrarias partes sectendorum; monades doceat æternas simpliciter, nec nisi una facultate donatas, quæ per mechanismum suum, quamvis sint simplicissimæ, sic mundi, operis summe compositi, mechanismo respondeant; quod monadem illam unam substantiam esse neget, si pluribus donata foret facultatibus, cum tum foret aggregatum plurium substantiarum; hoc tamen non obstante affirmet, simplicissimam illam substantiam videre, audire, imaginari, intelligere, sapere, calore, frigore aliisque innumeris a perceptione idealis & volitione longe diversis affici, hæc mente penitus se capere, hæc conciliare se minime posse, qui fateri audeant, continuo a summis his automatibus tanquam automata pecuina tradantur: quod Deum habeat pro monade seu substantia simplici æterna universi distincta repræsentativa, adeoque mundo esse, quod anima sit corpori, Deique totam beatitudinem, totam perfectionem, totam gloriam, totam essentiam in eo ponat, quod sit mundi repræsentamen, autor eorum, quæ dicuntur bona, autor eorum, quæ dicuntur mala & nefanda. Ridet quoque novam, quam vocat, philosophiam, quod methodo demonstrativa tradatur, *Methodo*, ait, a *Mathematicis usurpari solita fatis*

*satis sit procedere, sophismatum putidorum acervos struere facile erit. In illis occurret: Def. VII Mus est &c. Def. XV Syllaba est &c. Coroll. Mus est Syllaba. Prop. XXIX Mus rodit caseum. Dem. Sume casei uncias tres cum dimidio, admove foramini &c. deprehendes pondere 5 drachmis diminutum. Ergo mus &c. Q. e. d. Prop. 43 Syllaba rodit caseum. Mus rodit caseum (per prop. 29.) Mus est Syllaba (per cor. def. 15.) Ergo Syllaba rodit caseum. Q. e. d. Nulla vero adducit ex nova philosophia exempla, in quibus hæc demonstrandi forma servatur. Quod hypothesis harmoniæ præstabilitæ tot habuerit & habeat sectatores, id in causa esse arbitratur, quod hominibus laboris impatientibus examinisque molestiam fugientibus dulces sit autoritati acquiescere, quam fama aut affectibus moti Doctoribus suis imputare ament: hypotheses tamen istas in se, uti ei videtur, periculosas fructibusque & consequentiis sponte inde fluentibus exitiosas erroris arguere, rem non fuisse ait ardui negotii & quæ ingenium acre & subtile requirat. Addit, quoniam *Theodicea* multa contineat, quæ, si certo quodam sensu explicentur, providentiam divinam liberent ab objectionibus desumptis ex malo, quod cum bono permixtum orbis noster complectitur, viros doctos fama tanti viri permotos ejus verba in se ipsum commodum interpretatos esse, quodque difficultatis superfuert ejus hypothesis, id omne & materiæ subtilitati, & linguæ etiam Autori non vernaculæ imputasse. Sub finem definitionem harmoniæ præstabilitæ a Cel. *Bülfingero* traditam adoritur & decem in eam animadversiones subnectit. Sed in iis apparent, quæ cum a *Bülfingero* tum aliis ad harmoniam præstabilitam requiruntur. Dum enim num. 7 ait: *Nulla sit vis immediata neque mentis in corpus, neque corporis in mentem: esto. Satis erit, si in ipsa mente vis agnoscat, qua in se agere possit, si seque ipsa determinare, ut legum æquitati & moralitatis natura locus detur;* constat penes omnes, qui *Wolffi* atque *Bülfingeri* scripta legerunt, quod illiusmodi vim menti tribuant, ac inde *Wolffus* omnem praxin moralem & politicam deducat. *Theodiceam* viri etiam post fata summi *Leibnitii* recensuimus in *Actis A.* 1711 p. 110, 159, ejus schedas de philosophia*

&

& religione naturali in Act. A. 1717 p. 440 & A. 1721 p. 89, principia philosophiæ in Actis A. 1721 p. 94 & Supplem. T. VIII Sect. II p. 500; *Jaqueloti* de harmonia præstabilita iudicium in Act. 1705 p. 553; *Wolffi* Meditationes metaphysicas de Deo, anima & mundo in Act. A. 1720 p. 371 & Tom. VIII Supplem. p. 38, & Annotationes in easdem in Act. A. 1724 p. 316, Commentationem vero cum Monito, quibus sua adversus adversariorum imputationes defendit, in Actis A. 1723 p. 510; *Bülffingeri* Tractatum de harmonia præstabilita in Actis A. 1723 p. 308. & alterum de origine & permissione mali in Act. A. 1724 p. 105: sed nihil ibi reperies, quod sit adeo insulsum, impium ac horridum. Opportune igitur in manus nostras incidit scriptum Auctoris anonymi in quo imputationes istæ sub examen revocantur. Nostrum adeo est, quid eidem videatur, subnectere, iudicio penes lectorem relicto.

COMMENTATIO DE DEO, MUNDO ET HOMINE atque Fato, quæ simul sine ira & studio iudicium sincerum de Controversia Anti-Wolfiana exhibet & comprobat, idque secundum probabilitatis, demonstrationis & sensus ipsius, in conlacione systematis Wolfiani veri ejusque ex mente Langiana intellecti leges accuratissimas; Autore Anonymo. Appendicis loco subjiciuntur SAM. CHRISTIANI HOLLMANNI, Phil. Prof. Vitemb.

observationes elencticæ in Controversia Wolfiana.

Frankfurti & Lipsiæ, 1726, 4.

Alph. 1 plag. 2.

Autor anonymus hanc commentationem se ideo scripsisse ait, ut orbis universus literarius probabilitatem, demonstrationem & sensum acciperet ejus, quod in controversia *Anti-Wolfiana* peccaverint *Buddeus* atque *Langius*, quos *duumvirorum Anti-Wolfianorum* nomine insignit & multo alio nomine celebrandos, quicquid contra *Wolffum* scripsere, non prava mente edi-

edidisse confidit, integritate voluntatis non semper veritati respondente, ex imbecillitate nostra & humanitatis lege. Et quoniam Cel. *Crofa*, Vener. *Langii* dictis fidem habens, Philosophiam *Wolfianam* atro carbone notaverit (in dissertatione, quam modo recensuimus;) ejus una precipitantiam notandam fuisse monet, ut discant alii, quam parum tutum sit ex scriptis *Langianis* de philosophia *Wolfiana* statuere. Nomen suum suppressit veritatis causa, ne quis id expendat, a quo, sed quid dictum sit. Monet tamen (id quod ex ipso quoque scripto satis superque elucet,) se esse Theologum, qui non modicam vitæ partem philosophiæ & scientiæ mathematicæ consecraverit, maximam vero autoritatem, immo omnia, Christo lubeatissime deferat, & alicubi in ipsa commentatione se *Norimbergensem Anonymum* appellat. Sancte autem contestatur, se in id defixisse animum suum, ut nemini nociturus controversiam tam genuine daret, quam fieri possit. Nec *Buddeum*, nec *Langium*, nec *Wolsum* sibi bene vel ægre fecisse, ut vicem vice se reponerentur fuisse suspicari quis possit. Deum & conscientiam testatur, ipsumque imprimis, qui est veritas ipsa, se *Leibnitii* ac *Wolffii* scripta sæpius legisse, nec *Buddeum*, nec *Langium*, multo minus *Crosam*, odisse & in ipsorum monuimentis bene multis multum fuisse. Se nunquam verba alicujus in eum sensum detorsisse, quem extra sermonis seriem habere videntur: nihil præjudicatæ opinioni, nihil multitudini, nihil famæ vel autoritati, pietati, sectæ locove indultum esse. Deum se sincere venerari profitetur, nijque magis, quam peccata sua detestari, nec quidem Cel. *Wolsum* nosse, vel unquam vidisse; id tamen non posse non testari, se *legendis Wolfianis scriptis evasisse robustiorem in veritate, aptiorem ad quevis studiorum genera, æquiores in magistratus virendos ac ardentiores in Deum*. Nemini hic palpum se facere, vel contradicere de industria, sed eorum, quæ scribit, rationem se Deo sanctissimo esse redditurum, sancte & prudenter scire atque perpendere. Commentatio absolvitur tribus sectionibus. Earum prima Autor rationibus probabilibus adstruit, quod penes *Wolsum* stet veritas: quare cum argumenta potissima ab intellectus conditione petantur, in virtutem abstrusas scientias &

& contröversias in iis enatas dijudicandi inquirat. *Sect. 2* præcipuas & difficillimas Metaphysicæ rationes pertractat, simulque indicat, quid *Joach. Langius* atque *Buddeus* minus curate in *Wolffo* reprehendant & quam incaute *Crofa* ex *Langii* scriptis eristicis dogmata *Wolffii* addiscere studuerit. Denique *Sect. 3* ad speculæ & oculis Systema *Wolffii* verum ostendit.

Rationes igitur probabiles in medium allaturus, cur penes *Wolffum* potius, quam *Duuviros Anti-Wolffianos* stet veritas, unicum lapidem Lydium in scientiis abstrusis agnoscit demonstrationem. *Leibnitium* primum fere fuisse in Germania, qui mathematicas demonstrationes ex veris certisque principiis deductas philosophiæ veræ inferre studuerit. Viam ipsam plenius aperuisse *Wolffum*, cujus vestigia secuti sint *Bülffingerus*, *Tblümigius*, alii. Præter eos enim neminem dedisse illiusmodi monumenta philosophica, quibus catena demonstrationis genuinæ insit. *Duuviros Anti-Wolffianos* hanc demonstrandi rationem ignorare, tum ex illorum scriptis, tum ex studiis, quibus innutriti sunt, probat. *Wolffum* per omnem vitam in sola Mathesi & Philosophia defudasse: illos vel philosophiam contentui habuisse, vel obiter saltem degustasse, Mathematica prorsus non attigisse, sine quibus tamen longioribus demonstrationum catenis nemo adfuerat. Provocat ad Philosophiam *Buddeanam*; ad causam Dei *Langianam*. Quod si excipias, Cl. *Crosam* esse Mathematicum & Philosophum, Logicæ non unius scriptorem; Nosler quidem regerit, ipsum *Crosam* fateri, studii Mathematici tractationem non promiscue acere intellectum, sed conveniente ratione institutam; ex scriptis autem ejus non apparere, quod posterius ab ipso factum fuerit. Eundem affirmare, quod ab ore viri omnium sagacissimi facile absurda excidant, si circa res sibi incompertas aliquid statuere tentet: de Metaphysica autem contentum sentire, quod ab omni tempore obscurata & conspurcata per eam fuerit cum Philosophia tum Theologia. Quemadmodum vero præterea *Duuvirorum Anti-Wolffianorum* utilitates quasdam domesticas indicat, armorum suscipiendorum motiva; ita *Crosæ* infensum in *Leibnitium* animum probat. Hæc se non eum in sinem adducere profitetur, ut viros aliis studiis claros

criminetur, cum nihil vitii habeat, si dixeris, consuetudine inopem caligare ad remota, aut futorem non esse factorem; sed ut appareat, eos vitio myopiæ systema *Wolfianum* non esse affectos. Laudat igitur Cl. *Langii* studia philologica, exegética, theologica, & *Buddæi* theologica, historica, philologica una cum ejus assiduitate, pietate & utilitate, nec non *Crosæ* copiam & elegantiam dicendi, cui nec sua in Mathesin merita invidet. Si provocas ad eos, qui cum Duumviris *Anti-Wolfianis* consentiunt, argumento a multitudine idem sentientium in hac causa eo minus locum concedit, quod omnis ævi experientia doceat, in abstrusis scientiarum recessibus summam varietatem doctos semper distinuisse. In specie *Crosam*, linguæ Germanicæ imperitum, scripta *Wolfii* non legisse, sed *Langii* de methodo & dogmatibus *Wolfianis* judicia pro veris supposuisse, atque adeo de re sibi non visa judicasse. Nullus itaque dubitat, quod is aliter judicasset, si *Wolfiana* ipsemet vidisset. Probat deinde, *Wolfio* potius, quam ejus adversariis præstantissimis esse assentiendum, ob multitudinem idem sentientium in rebus a communi sensu remotissimis, si varie sentiendi amorem ad primos suos fontes revocaveris. Monet quoque, *Wolfium* in scriptis suis Mathematicis & Philosophicis neminem refutare, neminem convellere, dissentientium fere nullum excitare, suæ demonstrationi potius ubique inhzrere, nec, quid dictum sit, aut a quo, perpenderè, sed veritatem vel eruere, vel conglutinare, quasi ab ipsa philosophiæ origine cœpisset. Si qua objectio tollitur, nominatim perstringi neminem, dubium ut sit, utrum ab ipso, an ab alio profecta fuerit. Testatur ipsos libros & cujusvis lectoris conscientiam. *Langium* e contrario jam a multis annis controversiarum amore agitatam, quas adversus Theologos veteris doctrinæ Lutheranæ, *Poiratum*, alios non sine acrimonia in hunc usque diem reciprocet. Qui vero bellis delectantur, eos eadem magis quærere, quam invenire. Notat & partium studia in copiis subfidariis. Neminem tamen invidiam impingere vult, cum unusquisque stet & cadat Domino suo. Cl. *Crosæ* non nisi præcipitantiam tribuit, quod, non audita parte altera, sententiam ferre voluerit. Quod enim scripta *Wolfii* ne viderit quidem, nedum lege-

legerit, probat inde, quod erret in Lemmate. Soli ex nubibus emergenti in frontispicio libri adscripto, & se in eo legere asseveret, cujus contrarium in eodem disertis verbis extat, detorsionibus *Langianis* sumtis prothesibus, quæ in *Metaphysica Wolfiana* occurrant. Quoniam *Wolffius* methodo demonstrativa usus, etsi titulos definitionum, corollariorum, propositionum, scholiorum non adscripserit, quemadmodum factum esse putat *Crofa*, qui *Wolffii* *Metaphysicam* non vidit; ideo illam *Metaphysicis* doctrinis & imprimis argumento de existentia Dei vindicat, usus principiis ipsius *Buddei*, contra quem & *Crosam* disputat. Mittimus, quæ de necessitate naturæ & hypothetica; nec non de fato cæco, Christiano, Astronomico, Manichæo, Turcico & Stoico docet, nisi quod urgeat, ipsum *Buddeum* confiteri, quod ignoretur, quid sit fatum Stoicum, immo quod ipsi Stoici nesciverint, quid hac voce dicere voluerint; hoc tamen non obstante, *Wolffio* imputari fatum Stoicum & in crimen verti animadversione Magistratus dignum. Ceterum non miratur, Theologos plurimos ex fama vel ordinis sui, vel præceptorum, ac Academiæ amore, fontibus ipsis insalutatis, *Buddeo* & *Langio* assentiri: mirandum potius esse ait, si secus facerent. Se tamen eorum autoritate parum moveri, cum pergrande sit discrimen *Spinosæ* inter & *Wolffii* dogmata, quod luculentissime videre liceat ex *Biblioth. Brem. Class. VIII fasc. 1 art. 3 p. 47* sequens observat tamen, summos Theologos & Doctores limatissimos, permultos ingenue fateri, sese methodi Synthetice & notionum ex vago significato ad certos limites restrictarum non adeo esse gnarum, ut penitus *Wolffii* mentem intelligant, & *Ven. Langium* candidius fuisse acturum, si eorum exemplum fuisset secutus, præsertim cum in casu simili exemplo ei fuerit *Spenerus*, atque iudice *Franckio*, Collega *Langii*, scriptis eristicis, quibus is semper fuit involutus, mens corrumpatur & veritas amittatur.

Loculis probabilitatis excussis, ad potiores objectiones respondet, quæ in *Langii modesta disquisitione* & scripto Germanico *ausführliche Recension* continentur, & tricas consequentiarum expedit. Potiora controversiæ momenta resolvuntur in

monadologiam, æternitatem mundi, essentialium æternitatem, fatum Stoicam & Spinosianum, ac harmoniam præstabilitam. Quoniam *Buddeus* non nisi *Langiana* approbat & *Crofa* fide *Langii* dogmata *Wolffo* imputat, quæ in ejus scriptis nullibi leguntur; ideo Noster non nisi *Langianas* imputationes discutit & sic ferentis occasione *Crosam* docet, contraria eorum in scriptis *Wolffii* extare, quæ ipse in iisdem contineri asserit. Circa monadologiam monet, *Wolffium* voce monadis non uti, sed entium simplicium appellatione esse contentum, propterea quod elementa rerum materialium in numerum quidem simplicium refert, in eisque vim quandam agnoscit, qua ita modificantur, ut harmonia quædam universalis in integro systemate emergat, iisdem tamen vim repræsentandi universum minime tribuit. Ostendit quoque, *Wolffium* docere creationem entium simplicium finitorum & per creationem elementorum rerum materialium demonstrare creationem universi ex nihilo, ac de *Langii* mala fide conqueritur, quod lectori suo persuadere conetur, *Wolffium* monadibus tribuere vim repræsentativam universi & absolutam ac independentem æternitatem. Similiter probat, *Wolffium* non omnes monades pro spiritibus habere, sed tantummodo eas, quæ intellectu & voluntate libera præditæ. Vindicat autem loca *Wolffiana*, quæ mutila excerpta sunt a *Langio*, a detorsionibus, quibus vis infertur contextui totique systemati, reprehendens simul vanam persuasionem, quasi solida eruditio in emendatione mentis per Spiritum S. secundum ordinem nostræ ætatis sita sit, cum suum cuique tribuendum sit congruenter ei ordini, quem Deus ipse jam observet. Æternitatem mundi independentem & absolutam a *Wolffo* nullibi defendi, qui doceat, creationem & conservationem ejus, immo ipsam creationem ex nihilo seu non-existentibus demonstrat. Quod autem cum *D. Thoma* largiatur, si vel maxime mundus esset ab æterno, eum tamen non fore Deo parem in æternitate, id nihil absurdi continere, cum manifesta sit differentia inter æternitatem mundi absolutam atque independentem & inter contingentem ac dependentem, quam ipse *Cel. Samuel Clarkius* agnoscat, à *Buddeo* summis laudibus merito evehctus. Ostendit quoque, quomodo

Lang.

Langius confundat cum probatione verosimili, quæ *Wolffius* de demonstratione rigoroſe ſumta affirmat, & quomodo principium, quod a *Wolffo* ponitur ad mundi terminum a parte anteriori hyperphyſicum & miraculi plenum evincendum, ille detorqueat ad progreſſum in infinitum & abſolutam mundi æternitatem. Vindicat eſſentiarum a *Wolffo* aſſertam æternitatem, quatenus nempe eadem continentur in ideis divinis, & miratur, *Langium* ſeſe immiſcere controverſiis philoſophicis, quas non calleat, dum inde æternitatem ſubſtantiarum & mali neceſſitatem inferat. Quærit etiam hic ex Cl. *Croſa*, an non fecerit, cujus eum poeniteat, dum *Langii* auctoritate perinotus adeo fidenter aſſerit, mundum poni creatum, ſed ſimul æternum, & monades ſtatui æternas ſimpliciter. Ablegat eum, cum Germanica legere non poſſit, ad Inſtitutiones *Thummigii*, quem accuratiſſimum & fidèlem *Wolffii* Epitomatozem laudat. In vindicanda electione mundi optimi brevior eſt, eſſi rationes prægnantes adducat, propterea, quod eam jam valde vindicaverit *Almonius Vti* in Bibl. Brem. Claſſ. VIII. ſaſc. I. art. 3. p. 47 & ſeqq. Unde & Cl. *Croſam* ad hunc locum ablegat, ubi ex principiis theologico-philoſophicis demonſtratur, ideam electi mundi optimi a Deo ſalva ejus ſapientia & libertate removeri non poſſe. Fatum *Stoicum* & *Spinoſianum* temere *Wolffo* aſſingi probat, quod id ſit cæca mundi ſeries, ex neceſſitate abſoluta corporum & ſpirituum unico hoc modo; quò omnia voluntur, poſſibili fluens, citra Deum & omnem providentiam, ab æternitate intrinſeca actuali ad omnem æternitatem intrinſecam, abſolutam & independentem; *Wolffius* vero mundo deneget æternitatem abſolutam & intrinſecam, cum a Deo demonſtret eſſe libere electum atque creatum, & provide huc uſque gubernari, omnia Dei attributa egregie firmet & connectat, a contingentiâ mundi ad immutabile ens & independens progrediatur, mundum a Deo diſtinguat naturæ & dependentiæ ratione, libertatem hominibus vindicet, poſſibile ab actuali diſtinguat, Deo potentiam tribuat plures mundos alios creandi, mundum contingentem agnoſcat & eventibus nonniſi hypotheticam neceſſitatem largiatur, ſines tandem omnibus rebus divinitus præſtitutos integro libro

doceat. Enodat deinde difficultates, quas *Langius* facessit, & monstrat, dum *Deus* hunc mundum *Buddeo* approbare nequit, eum ex unica trabe de tota adis perfectione judicare. Et ne *Langius* existimet, sibi soli artem ex aliquo scripto fatum *Spinozianum* extorquendi patere, specimen edit de eo, quod ipse fatum *Spinozianum* statuatur & stabiliat, rogat tamen vehementer lectores, ne *Viro* venerando eas tribuant doctrinas, quas ipse fortassis horreat, etsi haud invita *Minerva* eadem ex scriptis ejus eliciantur. Se enim venerari ejus eruditionem, prudentiam & sanitatem doctrinae, nilque magis exoptare, quam ut agitatae controversias sepelire, & inimicis *Christi* causa ignoscere velit. De harmonia praestabilita observat, quod Systema *Wolfianum* ejus per sese non sit indiga, adeoque seponi possit, si quis ei fuerit adversus, quemadmodum quoque a *Cl. Thümmigio* in Institutionibus philosophiae *Wolfianae* in peculiarem sectionem rejecta sit, quae salva ipsa Psychologia rationali abesse possit; eadem tamen hypothesis cum orthodoxia subsistere amplius potuisset, nisi *Langius* lacertos movisset. Fundamenta igitur hujus hypotheseos succincte repetit, nec ea principiis theologis adversari probat. Unionem *Langii* physicam, quae influxum physicum inferre debet, esse merum sonum, & quando eam hinc adstruere conatur, quod sit doctrina totius generis humani, non modo probat, inde non peti posse argumentum pro veritate, verum etiam totius generis humani consensum validis rationibus infirmit, cum ipse *Buddeus* in philosophia de eo incertus sit, utrum anima sit corporea, an materiae experte. Miratur vero, harmoniam praestabilitam veluti fatalem & automaticam exagitari, in qua animus liberrimus supponitur, determinationibus ejus sese antecedenter ad decretum *Dei* habentibus. *Crossa* de ea judicium dum expendit, id potissimum desiderat, quod multa dicat, nihil probet, quod consequentias consequentiarum cumulat & adeo virulente scribat, ut ut protestetur, se a consequentiis, quibus pugnat, imputandis longe abesse. Facundia loculos in exaggerandis consequentiarum consequentiis irrito conatu excuti, nisi demonstretur assertum de sublata per harmoniam praestabilitam libertate & introducta fatali necessitate.

tate. Officium philosophi & viri boni esse, ut accusationem probet. Vindicat ulterius Noster, quæ *Wolffius* olim in ratione Prælectionum circa argumenta pro existentia Dei monuit, & sic evincit, argumentum a contingentia universi sumtum, quò utitur *Wolffius*, esse primum, optimum & facillimum, a quò cætera robur suum mutuuntur: immo ipsum *Langium* in causa Dei viam contingentix pro argumento palmario agnovisse; & *Buddeum* contra *Wolffium* disputantem cetera per argumentum *Wolffianum* a contingentia rectificare. Momentis controversix ponderatis, praxin *Langianam* pervidere studet. Miratur, quod se profiteatur *Wolffo* esse amicum, quem tamen fugillet, contemnat, false perstringat & pœne excarnificet. Eum assertiones proprias vocare solidas, convincentes, quam solidissimas; veritates fundamentales; *Wolffo* contra objicere stolidissimos errores, vacuitatem veritatis, invitationem ad Atheismum, tumorem Mathematicum & Philosophicum, necessitatem palinodiam caeundi, & probare aliorum fugillationes & facetias, quæ omnem modum excedant. Eum miram expromere indignationem in Ephemerides litteratorum, quas infestas experiatur; exteros & indigenas litteratos livide excipere, quod *Wolffium* imprudenter magni faciant: *Bilffingero* minari, nisi manum de tabula tollat. De *Wolffii* fama ut detrahat, omni nisu allaborare. Si quis ejus doctrinis sit abusus, id ipsum eidem tribuere. Ex his & similibus concludit Noster, *Langium* noluisse causa sua cecidisse, idque, ut persuadeat cuique, omnes contendere nervos: quod rei per sese non satis loquentis manifestum sit indicium. Eidem causæ tribuit, quod per *synecdochen gravem* 9 Academiæ & 26 scripta in subsidium vocet, cum Magister vel Professor unus, quodcunque tandem in philosophia *Wolffiana* reprehendat, ipsi sit tota Academia, omnes ejus imputationes & detractiones approbans. Quoniam Cl. *Hollmannum*, Philosophum *Wittebergensem*, in eundem censum refert; ejus observationes elenchticas in controversia *Wolffiana* una cum excerptis ex ejusdem dissertationibus de harmonia præstabilita commentationi suæ subjungit, ut exteri de fide *Langii* judicent, quam *Croße* quoque examinandam offert. Monet vero, si quis multitudine senten-

tientium capiatur, eum sibi in memoriam revocare debere Academiae scientiarum *Petropolitanam*, plures Diariorum Eruditorum scriptores, *Turretinum, Bülfingerum, Verdriesum, Thümmigium, Hollmannium, Vitum, Almonium Uis, Hartmannum, Burggravium, Rietovium & Jo. Valent, Wagnerum*, Fabrum ferrarium *Sinacaldensein*, qui docte & solide ac modeste de controversia *Arsti-Wolfiana* iudicium tulit, & una expendere discrimen, quod inter philosophos utriusque partis intercedit, una cum commodis *Langianorum & Buddeanorum*, atque incommodis *Wolfgangianorum*, quibus ne teruncium quidem sperantibus instuendum sit, ne in invidiam adducantur epistolis & noxas per clandestinas insidias incurrant. Deum & conscientiam testatur, se hic non proferre, nisi ejus olim rationem Deo sit redditurus. Cum *Langius* affirmet, methodum suam esse demonstrativam, ut non tam Geometria, quam communis omnibusque hominibus congenita & cognita Logica naturalis requirat, & ea praecipue sese usum esse perhibeat in causa Dei & religionis naturalis, ubi per postulata, definitiones, axiomata, theoremata, scholia, corollaria multa minetur; Noster monet, qui applicationem methodi syntheticae primoribus degustaverit labris, eum facillime videre, *Langii* scripta nec synthetica, nec demonstrativa esse, sed secundum methodum cumulanti per scripta, quae omnia aliquid commune habentia ad unam sectionem vel paragraphum rejiciat, & qua ipse Autor usus sit in hac sua commentatione. Ut vero lector Logicam illam vulgarem, communem & naturalem degustet, aliquot ejus effectus inspiciendos sistit in confusionibus & contradictionibus *Langianis*, veluti praedestinationis divinae cum fato *Spinoziano*, aeternitatis Dei independentis cum aeternitate dependente, quam in mundo possibilem agnovere Theologi orthodoxi, defectus termini physici cum progressu in infinitum, inclusive dictorum cum exclusive dictis, possibilis in se cum possibili in hoc mundo determinato &c. Duo profert exempla, ubi inclusive dictis Cl. *Langius* ex ingenio suo addit particulam *tantum* seu Germanicam *nur*. Nimirum quando *Wolfgangium* perhibet de Deo & anima tradere, quod sint substantia *tantum* mundum representans & quod

quod hæc unica *tantum* facultate prædita, quod falsissimum esse Noster ostendit. Quoniam itaque ex his suppositis Cl. *Croße* consequentias necit paulo ante relatas, quæ primo statim ad spectu horridæ sunt ac absorptæ, easque *Wolffo* tanquam dogmata imputat; ideo cum ex scriptis *Wolffii*, *Thömmigii* atque *Bülfingeri* meliora edocet. Explicat nervose, quæ *Wolffius* de præordinatione divina docet, ut appareat consensus cum dogmatis Theologorum orthodoxorum, & *Wolffum* compellat, ut clare significet, an non ita sentiat, statuat, scribat, doceat: se enim aliam doctrinam, quam quam proponit, in scriptis ejus deprehendere non potuisse. Notat hic, ipsum *Langium* fontem erroris sui detegere de fato *Spinoziano* tributo *Wolffo*, dum intolerabili modo necessitatem naturæ & absolutam confundat, egregie a Theologis alias distinctam, affirmans, ea, quæ sunt necessitate naturæ, etsi natura ipsa contingens sit, fieri non hypothetica aliqua, sed absoluta necessitate, seu absoluta immutabilitate. Plura ejus generis decerpit ex scriptis *Langianis*, quæ apud ipsum Autorem videre licet. Dolet, quod *Henricum Wideburgium* ob simile a Sole petatum in doctrina de æternitate mundi possibili *Langius* Spinofissimi reum agat, cum tamen concoquere possit dogma *Spinozanum Freilinghausii* in libello didactico orphanotrophii Halleensis, de emanatione creaturarum ex Deo, quod pueris inculcatur, etsi a Theologo eximio Ven. *Leßbero* erroris admonitus fuerit. Ceterum cum primarius lapis offensionis sit harmonia præstabilita, quasi per eam libertas humana tollatur; contrarium Noster probat, idem sentiens cum *Faqueloto*, cujus judicium retulimus in Actis A. 1705 p. 440, & quod *Langio* atque *Croße* expendendum commendat. In Systemate nimirum harmoniæ præstabilitæ animam eodem modo pervenire ad decreta sua, quo in systemate influxus physici ad eandem pervenit: id quod jam dilucide tradiderit *Thömmigius* in Institutionibus. Systematis adeo impossibilitatem pendere ab impossibilitate corporis, animæ libere volenti in operationibus suis harmonici. *Wolffum* demonstrationem impossibilitatis istiusmodi corporis plus vice simplici requisivisse a *Buddo* atque *Langio*, sed eos nihil respondisse, nec *Crosam* de ea cogitasse.

Quando Cl. *Crofa* horrendum videtur, quod Deus jungat animæ libere volenti corpus in operationibus suis harmonicum; Nosler eum perpendere jubet, quod in systemate harmoniæ præstabilitæ anima non sit indifferens ad unionem cum quolibet corpore, ut in Systematibus ceteris, sed non nisi cum eo corpore uniri possit cum quo unitur, stante utriusque essentia & natura, hocque rerum ordine, consequenter non major hic emergat difficultas, quam quæ permissioni mali moralis, seu abusus liberi arbitrii adhereret. Nec esse, quod is cum duumviris *Anti-Wolfianis* religioni, virtuti atque Reip. interitum metuat ab harmonia præstabilita, cum *Wolfus* non utatur isto systemate nisi tanquam hypothese in explicando commercio mentis cum corpore, in moralibus autem & politicis ipso invito influxus physicus sumi possit tanquam verus, propterea quod systema harmoniæ præstabilitæ supponat, animam & corpus ita agere ac si in se mutuo influerent. Et quamvis Duumviri *Anti-Wolfiani* affirmant, *Wolfum* omnem suam philosophiam eidem systemati superstruxisse; toties tamen compellatos ne unicum quidem dogma allegare potuisse, cui demonstrando illa hypothesis adhibeatur. Paradoxa denique, in quibus Cl. *Crofa* dicendi facultatem exercent, evanescere, si voci *machina* æquivocatio dematur. Dum vero difficultatem inde facessunt Duumviri *Anti-Wolfiani* cum *Crofa*, quod motus in corpore jam sint determinati adeoque anima nisi hos ipsos decernere possit; Nosler eos docet, quod hæc sit *Socinianorum* contra præscientiam divinam objectio, a Theologis dudum explosa. Nullas igitur esse consequentias ex fundamento tam lubrico adversus systema harmoniæ præstabilitæ deductas, consequenter fundamentum objectionum adversus omnem philosophiam *Wolfianam* dudum a Theologis contra *Socinianos* disputantibus esse dissectum. Etsi autem Nosler hypothese harmoniæ præstabilitæ a periculo liberet, suum tamen iudicium adhuc suspendit incertus, cui systemati calculum suum adjiciat in explicando commercio inter mentem & corpus.

Ubi tandem Systema *Wolfianum* verum & fictum sensui proponit Autor, primum theses *Spinozæ* ex uno latere, *Wolfianar* eidem contradicentes ex altero ponit, ut dissensus in oculos incurrat.

curret. Mox ostendit, quomodo Cl. *Langius* nulla consequentia ex thesibus *Wolfianis* inferat, quæ eidem tribuit dogmata. E. gr. ita argumentatur *Langius*: in definitione mundi *Wolfius* non meminit causæ efficientis & regentis: E. eam negat, cum tamen Deum disertis verbis demonstrat esse causam mundi efficientem atque regentem. Similiter: *Wolfius* docet, Deum elegisse liberrime hunc mundum & permisisse malum ob rationes sanctissimas, non approbasse, ac omnia prævidisse, illa sa libertate humana. Ergo ex illius systemate malum est absolute necessarium in existendo. Illiusmodi consequentiarum Noster speciminis loco numero 28 in medium profert, ut fides & consequentiarum *Langianarum* ratio ipsi sensui fiat manifesta. Tandem Systema *Wolfianum* fictum ex mente *Langii* in theses resolvit & ex adverso ponit theses systematis *Wolfiani* veri, ut ipso adpectu percipiatur dissensus. Ceterum cum nuperrime Cl. *Langius* lectori suo Systema *Wolfianum* inde suspectum reddere conatus fuerit, quasi idem ex Idealistarum & Materialistarum omnium absurdissimis systematibus per harmoniam præstabilitam combinatis sit compositum; Noster ostendit, *Wolfium* non errores combinare, sed quod verum est in utroque systemate: Idealistarum enim errorem esse, quod negent existentiam corporum; Materialistarum, quod negent existentiam animarum. Qui igitur cum *Wolffo* dicit, existere & animas & corpora, non combinare errores; sed qui negat & animarum, & corporum existentiam. Sic uno impetu ruere novi operis *Langiani* fundamentum, in quo ad nauseam usque repetita inculcat. In fine de novo Deum testatur Noster atque conscientiam, quod nihil protulerit, nisi quod roape ita deprehenderit, & scripta *Wolffii*, vel Institutiones *Thümmigii* eum in finem evolvi jubet. Cl. *Hollmannus* in observationibus elencticis idem brevius exequitur, quod prolixius executus fuit anonymus, disputandi morem *Langianum* Logicæ adversum & detorsiones verborum *Wolfianorum* minime tolerandas graphice delineans.

EPISTOLA CRITICA AD ERUDITISS. VI-
rum FRANCISCUM HARE, S. T. P. Decanum Vigorni-
ensem, in qua Horatii loca aliquot & aliorum
veterum emendantur.

Cantabrigiæ, apud Corn. Crownfield & Jon. Bowyer, 1723, 8.

Alph. 1 dimid.

PAnno serius de hac Epistola Lectorem nostrum admonemus, utpote quæ nunc deinceps in has terras perlata est. Attamen vel sic dignam eam judicamus, de qua propter singulare & eruditum ejus arguementum, auctorisque ingenium, & præclaram modestiam verba faciamus. Scripta est a Viro doctissimo *Jer. Marklando*, ut loca quædam veterum scriptorum emendaret: quod adeo feliciter ipsi cessit, ut quilibet earum litterarum peritus & studium & ingenium Cl. Autoris sua laude non sit defraudaturus. Ingenio enim, non libris vetustis, omnes ejus emendationes debentur: & tamen cumulata exempla, & quod origo corruptæ scripturæ perspicue plerumque manifestatur, morosum etiam lectorem in partes Marklandi abstrahere possunt. Rarissime enim, ut pag. 27, adducta testimonia non satis respondent: optime plerumque quadrant. Incipit ab ea regula, qua docemur, latere sæpe in corrupta voce verum vocabulum; ita ut omnes ejus litteræ, sed non suo loco, sint conservatæ, idque exemplis pag. 9 & seqq. confirmat. Postea tamen latius se diffundit, nec ea tantum memorat, ubi omnes litteræ servatæ sunt, sed ea etiam, quæ aliquam inter se similitudinem habent, aut ab sententia & structura orationis, necessario requiruntur: quod Apuleii, Valerii Flacci, Claudiani, Suetonii, Ciceronis, Gellii, Flori, Sili, Plinii, Taciti & ex Græcis Porphyrii emendationibus confirmatur. Denique & alia, ab litterarum inter se permutatione argumentum sumens, emendat. Sic locum Virgilii lib. IV Æn. v. 471, ubi vulgo circumfector:

Aut Agamemnonius scenis agitated Orestes,

perquam feliciter, & vere omnino ita refingit:

Aut Agamemnonius Pœnis agitated Orestes.

Pænis, id est, *Furiis*: quod non modo Pierii, sed & quos ipsi vidimus

dimus MSS. præferunt, qui sane palmariam istam emendationem confirmant, de qua plura lege in Epistola pag. 123 sqq. Plura non exscribimus, cum inde quilibet conjecturam de opera Cl. Marklandi capere poterit. Hoc tamen addimus: non cecco eum impetu ferri ad quidlibet mutandum, idque vel ex hoc probare licebit, quod pag. 123, vulgatam Flori lectionem lib. I. cap. XXI, *serui libertatem a dominis datam in ipsos exererunt*, contra virorum doctorum sollicitationes strenue defendit, loco maxime Minucii Felicis ex Octavii cap. XXXVII,

Nihilominus de aliquot emendationibus iustæ dubitandi causæ superesse videntur. Nam quando pag. 17 Mamertinum in Grat. act. cap. XIII tentat, & pro eo, quod in vulgatis libris habemus, *qui in propria furentes adfectati regni supplicia pependunt*, rescribit, *qui improbe furentes*, alii vulgatam lectionem longe graviolem, & correctionem istam frigidiusculam esse existimabunt. Notum enim est, quod ii, qui cum civibus bella gesserunt, sæpillime *in sua, in viscera sua, in propria fure* dicantur, ut patet ex Iuliani lib. III cap. II, Flori lib. II cap. XIX, Lucani lib. I v. 3, atque aliis. Vocabulum *propria* autem adeo frequens est istis oratoribus, ut non eo modo loco ferendum, sed fortasse etiam in eodem Panegyrico cap. X n. 3 revocandum atque scribendum sit: *quidquid enim alii in cupiditates proprias prodigebant, id omne nunc in usus publicos reservatur*. Ita sane legitur in MS. Gudiano, cum editiones ingerant: *quidquid enim alii in prodigas cupiditates prodigebant, id omne &c.* quam *βαρτελοχίαν*, mirum est, quod editores concoquere potuerint, cum nostra ista ex MS. desumpta scriptura dudum etiam ab Antonio Schonhovia pro discrepante lectione adnotata sit. Sed mittimus alia. De Lucano saltem, quem octo locis emendare voluit Cl. Marklandus, quædam dicenda sunt. Primum locum ex Lib. VIII v. 807, ubi de rebus gestis Pompeji ita Annæus:

Adde actus tantos monumentaque maxima rerum,
pag. 31 tentat, & reponit *momentaque m. rerum*, sed profecto nullo sensu. Curio aut Massilienses devicti *momenta rerum* esse aut non esse possunt, & uai ex partibus civilibus aliquid ad-

dere, alteri detrahere : Sed scribere *Pompeji ablus & momenta rerum*, quis non videt (modelle aginus cum viro modesto) minus recte dici? Leuius tamen hoc erratum est præ eo, quod pag. 57 occurrit, ubi verba Lucani ex lib. V v. 455 :

— — — *Sed nocte fugata*

Lasum nube dies jubar extulit, imaque sensim

Concussit pelagi, movitque Ceraunia nautis,

ut quidem ea in nupera, quæ hic prædiit, editione recte leguntur, vitiosa pronunciat. Legerat nempe in vulgatis edd. *Lasum nube diem jubar extulit*, quare ita differit pag. 51: Quid? *Sol* concussit ima pelagi? ventorum hoc semper putavi. Et pag. 55: an montes etiam movere potest Sol? Denique pag. 59, quod sequitur: *inde rapti capere rates*, addit: quomodo rapti poterunt sine vento? Quibus ex causis rescribit:

— — — *movitque Ceraunia flatus,*

multiplici sane vitio, in quod bonum ingenium unica prava litera præcipitavit. Primum enim non animadvertit usitatissimam poetis, ceterisque scriptoribus Hypallagen: qua figuram causam substituunt, quæ minime causa est. Hinc si Lucanus ait, *diem concussisse ima pelagi*, hoc notat, cum die exorto concussum esse pelagus, ut centies *dies* mitigare, debilitare, movere, aliaque agere dicitur, de his, quæ cum die & tempore fiunt: quomodo Tacitus XIII Ann. cap. XVII: *Nox eadem necem Britannici & rogum conjunxit*; & ipse Lucanus aliquoties uno Libro primo, ut v. 102:

— — — *Si terra recedat,*

Fonium Aegeo scanget mare,

& v. 421:

— — — *qua litore curvo*

Molliter admissum claudit Tarbellius aquor.

nihil sane conferunt Tarbelli, ut sinus fiat, sed *apud Tarbellos* mare admittitur & sinum facit. Iterum v. 526:

Ignota obscura viderunt sidera noctes.

Ita sane dies luridus & squalidus concussit pelagus. De secunda eius ratione, quod *mota sint Ceraunia*, valde vereamur, ut recte ceperit Autorem: aliter enim vidisset, necessarium omnino esse

esse

esse vocabulum *nautis*. Quamdiu uno in loco naves hærebant, stare videbantur Ceraunia, sed postquam, mari moto, naves propellebantur, Ceraunia, ut navigantibus apparere solet, moveri videbantur, ut in noto Virgiliti:

Provehimur portu, terræ urbesque recedunt.

Stattus II Achill. v. 3 de navigantibus:

*Jam Paros, Olearosque latet. Jam raditur alta
Lemnos, & a tergo decrescit Bacchica Narox,
Ante oculos crescente Samo.*

Claudian. III Rapt. v. 140.

Sicantiam quarent, cum necdum absconderit Iden.

Sic & tertia ratio emendationis corrui, & recta atque elegans est vulgata: cum contra *movitque Ceraunia flatus* ancipitis & plebeji sensus est. Porro ex eodem libro v. 600 aggreditur, qui in vulgaribus edd. ita concipitur:

— — — *jam te tollente furebat*

Pontus, & in scopulos totas erexerat undas.

Ipse cum aliqua specie reponit:

— — — *tortas erexerat undas,*

& *totas* plebejum ipsi epitheton esse videtur: quod judicium cum viro magno commune habet. At facile ipsi sit Silium IV, v. 244 corruptum pronunciare, qui Lucanum æmulatur:

Seu Gæticus Boreas totum cum fustulit imo

Icarium fundo victor mare,

quid de hoc Annæi v. 644, ej. libri V.

Exhaustum in cumulos, omnisque in fluctibus unda est,

dicit? Fornitebit, credimus, correctionis: multo magis, quando exquisitissimam lectionem in Cl. Cortii nostri editione videbit:

— — — *& in scopulos totas erexerat iras.*

Pergimus ad quartam emendationem, quæ ejusdem libri v. 137 concernit, qui ita vulgo legitur:

— — — *Fatique sat est arcana futuri*

Carminè longæva vobis commissæ Sibyllæ.

Cl. Marklandus singula, inquit, hæc intelligo præter ista *sat est*, quæ tam a sensu, quam latinitate absunt. lege:

— — — *Fatique patent arcana futuri &c.*

Nos tamen illud *fat est* etiam bene intelligimus hac sententia: & *fat est*, arcana fati futuri carmine longævæ Sibyllæ vobis commissa esse: sufficiunt vobis libri Sibyllini, neque oracula alia adire debetis, ut futura fata discatis. Optimus profecto sensus, ad quem nihili hoc *patent*, quod cum superioribus nullo modo connecti potest. Atque sic loquitur iterum lib. IX v. 338:

Si quibus ire fat est.

item alibi. Pag. 60 emendat Lib. IX v. 6, *quodque patens* *farrogaas*, pro *quodque patet*: atque ita pridem correxerat J. Fr. Gronovius I Observ. cap. XIII pag. 114. Uterque tamen non vidit, ita constituenda & distinguenda esse verba:

— — *Sequitur convexa Tonantis,*

Qua niger astriferis connectitur axibus aer,

Quodque patet terras inter lunaque moatus

(Semidei manes habitant

Fecit) & æternos animam collegit in orbes.

Sic omnia rite procedunt, & junguntur: *sequitur id quod patet* cet. nec opus est arido illo & ingrato, *quodque patent*. Sexta emendatio est Libr. X v. 106, ubi de Cleopatra Cæsarem ad-
eunte:

Vultus adest precibus faciesque incesta perorat,

pro quo Cl. Marklandus ingeniose:

— — — *Faciesque incesta perorat,*

idque pag. 78 tuetur. Cum vero *incestus* de quolibet polluto, turpi & infami dicatur, proprie vero Ægyptiis adplicetur, ut patet ex Propert. III, eleg. IX v. 39, Lucan. lib. VIII v. 693, de eadem Cleopatra

Degener, incestæ sceptris ciffure forori,

scripserit: denique solennem sibi argutiam quaesierit Amæus, *facies incesta perorat*, quæ alioquin damnare potius debuisset; nihil & hic mutandum videtur. Duabus postremis conjecturis, quas pag. 150 & 151 proposuit, ne ipse quidem multum tribuere voluit. Nam quando Lib. IX v. 156 reponit:

Non mihi pyramidum tumulis evulsus Amasis,

Et Pharii reges Nilo torrente natant,

pro

pro vulgato: *Atque alii Reges, videbit quilibet; male Amasim & Pharios Reges* opponi; cum ille etiam Rex Egypti fuerit. Et quanquam bene sciamus, in aliis scriptoribus hoc genus loquendi aliquoties occurrere, in Lucano tamen novum, & præterea supervacuum est. Tandem eod. libro v. 1073 nostræ ed. habent:

Ergo in Thessalicis Pellæo fecimus arvis

Jus gladio? vestris quaesita licentia regnis?

ubi bene *facere jus, & quaerere cui licentiam* conjunguntur; contra Cl. Marklandus facit:

— — *vestrisque est ista licentia regnis?*

quod, ut opinamur, se satis ipsum refutat. Potuissemus ex notis Gottl. Cortii in Lucanum, quæ cum maxime apud nos simulantur, & unde, quod fatemur, quædam huc transfulimus, plura pro vulgatis lectionibus in medium adducere: sed hæc jam peritæ lectori satisfacere poterunt. Et quanquam in iis bona fortuna Cl. Marklandum destituit: laudamus tamen egregios conatus, & favemus ingenio, utpote qui scimus, quam in lubrico versamur, ubi solis conjecturis rem agimus; quarum uni egregiæ & veræ (aliquot certe in aliis scriptoribus satis probabiles attulit) octo & plures minus appositas facile condonamus: Neque hæc res impedit, quo minus de nova *Porphyrii* editione, quam pag. 66 promittit, omnia egregia speremus: eamque ut Cl. Marklandus maturet, etiam atque etiam rogamus.

ELOGIUM LUDERI MENCKENII, ICTI.

Natus fuit Vir inter primi Ordinis ICTos nostri sæculi merito numerandus, Luderus Menckenius, Oldenburgi in Frisia Orientali, die 24 Decembr. A. post natum Christum 1658, parentibus optimis piissimisque, *Helmrico Menckenio*, negotiatore civitatis Oldenburgensis quondam clarissimo, & *Metta*, scæmina spectatissima. Quibus parentibus felicissimis merito jungimus ex linea paterna avum, *Ottontem Menckenium*, civem & mercatorem Oldenburgensem, & proavum, *Helmricum Menckenium*, civem itidem & mercatorem ejusdem civitatis honestissimum; & ex linea materna avum, *Lüderum Spiesmacher*, Consulem civitatis

Oldenburgensis bene meritum, ac proavum, *Joannem Spiermacher*, civem & mercatorem Oldenburgensem; quorum omnium virtus *Menckeni* nostri patriam satis illustravit. Et virtutibus quidem, quæ puerum decerent, studiisque pro ætate innutritus, jam feliciter adolefcebat, cum non modo patre die 21 Febr. A 1671, verum etiam matre anno statim sequenti 1672 die 15 Oct. orbaretur. Exinde Patruelis sui optimi, *L. Ottonis Menckeni*, Polyhistoris quondam in hac Academia nostra summæ, cujus labori & consiliis hæc potissimum Acta debemus, exemplo ad studia bonarum literarum amplectenda excitatus, post parentum obitum ad audiendum *Frid. Hildebrandum*, Rectorem tum temporis Scholæ Nordhusanæ celeberrimum, Nordhusam e patria abibat, cum quo paulo post Martisburgum delatus, ea studiorum suorum, fida & dextra *Hildebrandi* institutione, quod ore sæpius gratissimum Noster prædicavit, fundamenta ponebat, quibus doctrinæ & scientiæ summæ decus feliciter superstruxit. Ex Gymnasio Martisburgensi in Academiam nostram Lipsiensem A. 1676 translatus, nomen suum, Rectore *D. Fridrico Rappoldo*, matriculæ inferibi curabat, & in hoc prytaæo nostro imprimis quidem patruelum modo laudatum, *Ottomem Menckesium*, sive doctrinam morum & prudentiæ civilis, sive historiam antiquam & novam publice privatimque tradentem, domicilio simul ejus & hospitio usus, diligenter audiebat, tum & aliorum Philosophorum, *D. Valentini Alberti*, *Joachimi Felleri* & *Valentini Friderici* scholas frequentabat. At cum in studio Jurium palmam quærere, singulari animi instinctu commotus, secum constitisset, duces sibi in hoc studio eligebat Jctos gravissimos, *D. Georgium Tobiam Schwendendorfferum*, Facultatis Juridicæ Ordinarium, *D. Martinum Zachariam Cramerum*, Juris Professorem & Academiæ Syndicum, nec non *D. Andream Mylium*, post id temporis Juris itidem in hac Academia Professorem, ejusdemque Syndicum. Quorum sub ductu ubi primam juris tyrodinia possisset, in Academiam Jenensem secedebat, ibidemque in Jcti celeberrimi, *D. Georgii Adami Struvii*, P.P. & Consilarii Aulici, domum & convictum receptus, ejusque informatione privata & publica usus, sub ejusdem viri magni præsidio Antonii Matthæi librum de judiciis dis-

disputando defendebat, nec minus, *D. Petro Mullero*, Juris P.P. præside, *Jochimi Schnobelii* Exercitationes Juridicas solus respondendo propugnabat, variaque alia doctrinæ documenta edebat. Quo factum, ut *Cl. Struvius*, doctrinæ & dexteritati ejus confusus, Supplementa Jurisprudentiæ suæ Romano-Germanicæ ei edenda committeret, quo munere egregio, ut constat, defunctus est. Inde vero in Academiam nostram reversus, ubi jam A. 1680 summos consecutus in Philosophia honores, in cathedra Philosophica præsidendo locum sibi suum vindicaverat, cum in cathedra quoque Juridica disputationem solennem de pecunia hereditaria omnium cum plausu habuisset, gradum Doctoris, A. 1682 ab Ordine Jctorum in hac Academia ex merito sibi collatum, reportavit. Quemadmodum vero jam antea variis tum in praxi, tum in theoria editis speciminibus doctrinam suam & in agendo prudentiam dexteritatemque omnibus probaverat; ita vel maxime post impetratum virtutis decus tam eximium praxin & theoriam constanti labore copulabat, donec numerus auditorum in scholis ipsius crescens imperare ei propemodum videretur, ut theoriam praxi anteferet. Nec id sine successu factum, cum eam institutionis suæ fidelissimæ, ac longe supra 40 annos, usque ad ultimam fere mortis horam protractæ, fructum tulerit, ut non solum magnus virorum, doctorum, & summis hinc inde sive in aula, sive in castris, sive in foro officiis admotorum, numerus ex schola ejus prodierit, sed ut etiam privignus ex altero ejus conjugio, *D. Mich. Heinr. Griebner*, Regi Pol. Potentiss. & Electori Saxonix a consiliis aulae & justitiæ, ut & cura Archivi, nunc *B. Vitrici* successor longe dignissimus, vir multis jam meritis in Saxoniam illustris, perinde ac filius ipsius ex priori conjugio susceptus, *D. Gottfried Ludovicus Menckenius*, & privignus denique ex tertio conjugio, *D. Georgius Adolphus Schubert*, Juris scientia omnes cura illius singulari & vere paterna mirifice imbuti, illi quidem duo in Academia Vitembergensi, hic autem postremus in nostra Lipsiensi, ad Professionem Juris ornandam, aliaque munia suslinenda ascenderint; pro quo singulari felicitate grates devotissimas Deo Opt. Max. nunquam non persolvit. Jam quod ipsa, quæ Nosler ornavit, munia eximia concepit, primam penes

nos dignitatem nactus est in Collegio Principum minori, in quo A. 1689 locum, morte *D. Pflümi* vacuum, legitime lectus, occupavit, & Præpositi inde munus sæpius obiit. Inde in Curia suprema Provinciali, quæ Lipsiæ celebratur, A. 1693 Allessor factus, & A. 1699 in Facultatem Juridicam receptus, de utraque tam bene meritus est, ut primum in utraque locum & conjunctum cum eo directorium consequeretur. Postquam enim ei Professio Juris Saxonici & cursoriæ tractationis Pandectarum A. 1702 regia auctoritate ac novo exemplo demandata fuerat, quam A. 1705, post *D. Bartholomæi Schwendendorfferi*, P.P. obitum cum professione Institutionum juris cōmutabat, a qua A. 1708, ascendente *D. Gottfried Nicolao Ittigio*, P.P. ad professionem Pandectarum Juris transiit, simul Canonicus capituli Numburgensis lectus; factum denique est divini Numinis nutu & providentia, ut A. 1709, cum vir summus, *D. Jacobus Born*, Régi Poloniæ, Potentiss. & Electori Saxonie a consiliis sanctioribus, & Facultatis Juridicæ Ordinarius, decessisset, Nostro, cui Concilium Nationale suis jam suffragiis Canonicatum Martisburgensem & Decemviratum Academiæ addixerat, benigna Regis & Electoris nostri indulgentissimi voluntate *Ordinarii* munus grave & splendidum, & quæ ei ex veteri more anæxia sunt, Professio nempe Decretalium & supremus in suprema curia Provinciali inter Doctores Juris locus, omnium plausu demandaretur, addito simul Consilarii Regii titulo & dignitate. Præterea vero Rectoratum Academiæ bis tenuit, nempe A. 1707 & A. 1711, quod munus quidem splendidissimum, iterum iterumquæ sibi oblatum, propter curarum laborumque aliorum multitudinem, posthac modeste deprecatus est. Pro Cancellarii vero Academiæ munus in festivitate promotionum solenniorum Facultatis Juridicæ ter, nimirum A. 1709, 1712 & 1720, & Promotoris tum A. 1714, tum A. 1724, sustinuit, nec non villarum veterum Academicarum Præposituram magnam, quam vocamus, sæpius administravit. Uti proinde, dum his officiis summa cum industria, prudentia & dextera fungeretur, partim docendo, partim judicando, partim consulendo, partim pie & moderate vivendo (qua in re vix parem habuit inter Collegas) immortalē laudem meruit; ita eandem editis disputationibus, programmatibus, & scriptis variis ad posteros transmisit. Eminent inter ea,
ut

ut quorundam saltim mentionem faciamus : I. *Additiones ad Struvii Jurisprudentiam Romano-Germanicam*, Jenæ A. 1683 typis excusæ in 12; II. *Pandectarum controversie practicae potiores*, Lipsiæ A. 1684 editæ in 4; III. *Gymnasium Juris Polemicum*, quod complectitur 31 d. Dissertationibus 620 controversias selectiores Juris naturalis & gentium, Juris item publici, civilis, feudalis & canonici, item theor. & prax. arboris consanguin. & affin. quod Lipsiæ A. 1639 & A. 1708 longe auctius editum, singulis fere annis publicæ ventilationi submitit; IV. *Tractatio Synoptica Pandectarum theoretico-practica*, in tabulas redacta, Lipsiæ A. 1697 in fol. edita; V. *Tractatio Synoptica Institutionum Juris Justinianearum*, pariter in tabulas redacta, Lipsiæ A. 1698 & secunda vice A. 1711 in fol. VI. *Remissiones ad Jus Saxonicum*, Ulrici Huberi Praelectionibus juris civilis ex edit. Lipsiensi insertæ; VII. *Paralipomena Juris adminicula*, Lipsiæ A. 1705 edita in 4, quibus continentur varix meditationes de modo & ordine tractandi Juris, de conciliatione textuum pugnantium, de facultate judicandi &c. VIII. *Via Regia ad virtutem & Jurisprudentiam excolendam*, programmatibus & orationibus, circa ingressum tertii Jubilæi Acad. Lips. monstrata, Lipsiæ A. 1709 in 4; IX. *Volumen Dissertationum Juridicarum selectarum*, continens 26 Disputat. Lipsiæ A. 1705 in 4; X. *Tractatio Synoptica Processus Juris communit & Saxonici*, ad feriem singulorum titulorum ordinationis Processus Saxonici exacta, & in II Partes divisa, quarum altera a B. Schubertbo, Nostri privigno, ad finem est perducta, Lipsiæ A. 1723 in 4; XI. *Theoria & Praxis Pandectarum*, opera & studio D. Gottfr. Lud. Menckeni, filii B. congesta, Lipsiæ A. 1715 in 8; XII. *Vsus theoretico-practicus Institutionum*, primum A. 1723, postea a D. Frid. Alex. Kunboldo, Juris hodie Prof. Publ. & genero Nostri, auctior A. 1722 editus; XIII. *Synopsis Theoriae & Praxeos Pandectarum*, cura ejusdem Kunboldi adornata, Lipsiæ A. 1723 in 8; XIV. *Supplementum Synopsos Theoriae & Praxeos Pandectarum, ex Ordinatione Processus Saxonici Electoralis novissima*, congruis Digestorum locis applicatum, Lipsiæ A. 1724 in 8, ut jam *Decadum X* juris controversi theoretico-practici, diverso tempore in cathedra juridica ventilatarum, aliarumque *Dissertationum Juridicarum* multiplicis generis mentionem prætermittamus. Venerabatur præterea Noster ineffabilem Num-

minis coelestis gratiam & providentiam, in triplicis sui conjugii felicitate. Nam, ut tandem ad res ejus domesticas deveniamus, primum matrimonium contraxit die 27 Jun. A. 1781 cum virgine lectissima, *Dorothea Elisabetha*, viri consultissimi, *Gottfried Trubit*, in curia suprema Provinciali Proto-Notarii, filia, quæ quantum *B. Ordinarium* nostrum partu filii, *Gottfried Ludovici Menckenii*, J. V. D. & Juris Professoris publici ac Collegiorum Juridicorum in Academia Vitembergensi Assessoris bene merentis, exhilaraverat, tanto cum dolore afficiebat, quum A. 1683 die 5 Aug. immatura morte surrepta, ex hac vita emigraret. Ceterum vidit ex conjugio filii hujus primogeniti cum virgine florentissima, *Christiana Maria*, ex gente *Zollera*, A. 1708 inito, V nepotes, tres filios, *Leon. Ludovicum*, *Gottfr. Ludovicum* & *Heinr. Christianum*, & duas neptes, quarum prior vitæ expers ex utero materno prodiit, altera vero *Christiana Louisa* jam A. 1716 B. avum morte præcessit. Hinc A. 1688 die 30 Maij ad secunda vota transiens, feminam duxit virtutis & pietatis spectatæ, *Rosinam Elisabetham*, ex gente nobili *Horniana* prognatam, & *L. Dan. Griebneri*, Diaconi quondam ad ædem D. Nicolai vigilantissimi, viduam ornatissimam, ex qua IV liberos, nempe filium unicum, *Heinricum Ottonem*, qui A. 1690 natus, postquam A. 1712 gradum Doctoris Juris rite impetraverat, & disputando docendoque spem muneris consequendi proximam parenti optimo fecerat, A. 1716 e vita excessit; & filias tres suscepit. Prima, *Johanna Catharina*, A. 1691 in lucem dita, A. 1696 in vivis esse desuit. Altera, *Margaritha Christiana*, A. 1696 nata, conjugii sat jucundi vinculo A. 1720 conjuncta fuit cum *Joanne Albrechto*, negotiatore Lipsiensi & magistro institutorum spectatissimo, quæ tamen, edito A. 1821 filiolo, *Jo. Ludero*, eodem anno vivere desuit. Tertia, *Maria Sophia*, A. 1697 nata, matrimonii fœdus auspiciatum A. 1722 iniit cum viro doctissimo *F. A. Künboldo*, quæ unica ex altero matrimonio superstes, funeri paterno hoc acerbius illacrymatur. Mortua A. 1707 conjugæ altera, tertii matrimonii fœdus pepigit Noster A. 1713 cum matrona nobilissima, *Christiana Sophia Schuberti*, mercatoris quondam Lipsiensis vidua, & Medici longe celeberrimi, *Gottfried Adolphi Lusa*, filia unica, cujus conjugii, ut ut prole destitueretur, jucunditatem nulla vel discordia, vel domus calamitas, si solam Nostri mortem excipias, turbavit. Ceterum

cerum *Viva Lex* erat *Menckenius*, sive in foro ageret, sive in senatu sederet, sive in cathedra staret, sive denique domum regeret. Ubique enim tum in cultu Deo sacro, tum in officiis proximo exhibendis, tum in familia curanda singulare & illustre pietatis, temperantiae, prudentiae, justitiae, comitatis, liberalitatis exemplum omnibus praebat. Quod *Struivium* saepe in ore habuisse ferunt, *Ordinarium stantem oportet mori*; & quod de *Carpzovio* memoratur, quod nihil prius, nihil amabilius habuerit lectione Bibliorum sacerorum, velut fontis recti & jussi limpidissimi; id utrumque tota vita comprobabat *Menckenius* nosler. Imprimis vero cumulo beneficiorum divinarum in se largiter collato hanc praecipuam adnumerabat felicitatem, quod sanitatem corporis, utut tenuis, nec adeo robusti, salvam & integram sibi Deus in tanta laborum mole semper servaverit, nisi quod illi ante octennium cum gravi morbo fuit colluctandum, quem tamen intra breve tempus feliciter superavit. Ultimo tamen vitae suae biennio virium corporis defectum & aliquam animi infirmitatem aliquoties sensit, quam demum nupero 26 Junii hujus anni, 1726 circa horam 8 matutinam, cum ante pulpitum staret in museo suo, & lectioni S. Scripturae pro more devota animi religione intenderet, paralysis lateris sinistri gravis & inopinata excipiebat, quae cum non pedem solum sinistram sed & sphincterem vesicae urinariae affecisset, mictionem involuntariam suscitabat. Nosler variis antidotis & medicamentis, cura conjugis fidissimae & consilio Medicorum refocillatus, mortis tamen periculum ex mali magnitudine praesentiscens, summo altero die viatico sacro, ad iter caeleste promptus se accingebat; id quod demum inter lacrymas patris conjugis & luctum acerbissimum liberorum & agnatorum, lecto moribundi adstantium, felix & beatus ingressus est die 29 Junii, Petro & Paulo, Apostolis divinis, sacro, intra horam sextam & septimam vespertinam.

DECADIS II ACTORUM MEDICORUM BEROLINENSIS, in incrementum artis & scientiarum collectorum & digestorum, Volumen V & VI.

Berolii, apud Godofredum Gedickium, 1725 & 1726, 8.
Plag. 132 cum fig. æn. Tabb. II.

Præ.

Premittuntur hisce voluminibus Thomæ Pancovii & Johannis Sigismundi Elsholzii, Friderici Wilhelmi, Elect. Brandenburg. Aulae Medicorum, Icones & vitæ. Quibus adduntur Ottonis Böttcheri, Georgii Wilhelmi & Casparorum Marchiorum, Patris & filii, ejusdem Electoris Archiatrorum, vitæ, sed sine iconibus. Volumen V quatuor continet Partes, quarum I constituit Allocutio Epistolica ad Christ. Godofr. Stenzelium, Med. Doct. & Pract. Wittebergenf. de stentomate aortæ cum polypo cordis in Disputatione quadam A. 1723 Wittebergæ habita confuso. In II Historia morborum Berolinensium per A. 1723 describitur, ubi inter alia asthma hypochondriaco-spasmodicum motu corporis ablutum, & podagra, postquam ad manuum pedumque digitos, non solum in articulis, sed etiam in apicibus nodi, initio rubentes mox albescerent eruperunt, & ubi rumpebantur, vel aperiebantur, molle & albescens mucido-terreum coagulum, ad ignem obdurescens & tophescens fuderunt, soluta legitur. In III Epicrisis additur in Indicem Berolini per A. 1723 defunctorum; & in IV nonnullæ sectiones & operationes Anatomico-Chirurgico-Pathologicae commemorantur. Secti scilicet fuerunt atrophica verminosa, febre catarrhali continua in lentam abeunte, sarcomate caneroso in vagina uteri, hydrope, fluxu hepatico denati; sic labium caneroso-scirrhosum extirpatum fuit, sed sine successu felici; & hydropica, postquam bis paracenthesin admiserat, aquarumque colluviem simul & semel absque ulla lipothymia aut noxa evacuaverat, tribus interjectis mensibus, post tertiam operationem supremum obiit diem.

Volumen VI quinque partibus circumscribitur, quarum I exhibet informationem de morbis, in quibus aquæ & balnea Freyenwaldensia proficua vel noxia fuerunt observata. Solos oculorum morbos quod spectat, maximam eorum fuisse in debilitate visus, suffusione, catarrhata incipiente, glaucome recente, ophthalmia chronica, & gutta serena, utilitatem, exemplis probatur. Nocere vero dicuntur in epilepsia idiopathica, paralyti puerorum ex epilepsia orta, hemiplegia senum, ascite, amavrosi, catarrhata matris, faucium exulceratione, luxatione artuum, ariduris, articularum anchylosibus inveteratis, fungorumque concretionibus, exostosis, & tophis arthritico-veneris, paronychia, spina ventosa & excrementis præter naturalibus. In II nonnullæ Historiæ Clinico-Practicae necrologicae, seu morborum, quos non restitutio sed mors excepit, recensentur, convulsionis putæ hystericæ, in duabus sceminis, ac morbi intestinorum spasmodici ad hæmorrhoides respectum habentis. In III de morbo spasmodico-epidemico a pane ex clavis secalinis pisto & comesto orto relationes historicae leguntur. In IV monstrum Berolinense describitur bicorporeum, duorum scilicet puerorum, quoad partes anticas coalitorum; cui simile adjicitur Wrizenæ editum, pueri & puellæ, a serobiculo cordis ad umbilicum sibi invicem coherentium, nec non puer cum bronchocele natus. In V de positione Medico-Legales per A. 1723 a D. Glockengiessero, Poliatro Berolinensi, exhibitæ fiuntur; de repentina videlicet morte ex Helleboro albo, & puellæ, quæ cultro pro calamis aptandis parato asperam arteriam sibi præciderat, & vulnere consolidato suffocata obierat, quoniam asperæ arteriæ pars interior carne luxuriante repleta & coarctata fuerat.



No. XI.
ACTA
ERUDITORUM,

*publicata Lipsiæ
Calendis Novembris Anno M DCC XXVI.*

JOANNIS SELDENI, JURISCONSULTI,
*Opera omnia tam edita quam inedita; collegit ac recensu-
it, Vitam Autoris, Præfationes & Indices adiecit DA-
VID WILKINS, S. T. P. Archidiaconus Suf-
folciensis, Canon. Cantuar. & Archiep. Can-
tuariensi a sacris domesticis.*

Volumina III.

Londini, impensis J. Walthoe, W. & J. Inays & rel. 1726, f.
Alph. 35.

CL. Editor, gente Borussus, sed ab Anglis jam pridem civitate
donatus, & editis A. 1721 singulari cura, sed apud nos raro
obviis, *Legibus Anglo-Saxonicis*, de his optime meritus, novo
sibi non Anglos modo, sed & externos devinxit beneficio, quod
incomparabilis Viri, *Jo. Seldeni* Opera omnia, diligenter col-
lecta, accurate recudi, quædam & nunc primum evulgari cura-
vit; quanquam verendum est, ne hujus quoque operis pauca exem-
pla extra Angliam exportentur, quippe subscriptionis lege editi.
Post Dedicacionem ad Illustriss. Principem Regium **GEORGI-
UM**, Walliæ Principem, sequitur Præfatio, in qua imprimis
Eruditorum de Seldeno judicia expendit, non ælogia modo, ve-
rum & ea producentis, quæ in variis ejus scriptis animadversa sunt,
& immensam ubique lectionem prodens. Hic inter alia inseruit
additiones ad librum Seldeni de Successionibus ex ed. Lugdun.
Batava 1638, quam cum eo tempore, quo liber in hac collectione
recudebatur, nondum nactus esset, Lectorem tamen illis fran-
dare noluit. Ubi libri de Diis Syris meminit, illum hic Seldeni
ipsius notis MSS. auctim exhiberi testatur, & præterea pollice-
tur,

p. 7-15.

15.

Ppp

tur,

- P. 18-27. tur, se *Henrici Jacobi*, qui Erpenii discipulus, & ipsius Seldeni in studiis Orientalibus præceptor fœerit, in hunc librum notas, hactenus ineditas, quas Cl. Thomæ Tanneto debet, cum propriis observatiunculis separatim editurum. Intulit quoque Noster Præfationi huic integram *Thomæ Rudd*, Bibl. Dunelmensis Curatoris, disquisitionem eruditam, nondum editam, de vero autore Historiæ Dunelmensis, quam is *Symoni*, Dunelmensi Monacho, vindicat contra Seldenum, qui in Judicio de X Scriptor. Hist. Angl. Rog. Twysdenii editioni præmisso, eam *Turgoto*, Priori ejusdem Monasterii, asseruerat. Pari modo, ubi de libro, *Marè clausum*, quem jussu Jacobi I conscripserat, & autoritate Caroli I magno aulae plausu publicaverat Seldenus, disserit, non modicam *Jaciniam* e *Guil. Somneri* opere, quod *Litus Saxonicum* per Britanniam inscripsit, quodque adhuc ineditum asservatur in Bibliotheca cathedrali Cantuariensi, decerpit. Denique ad Seldenianam *Eadmeri* editionem quædam quoque, veta Franc. Junio, vel ab Amico annotata, opportune observavit. Ceterum adjutum se fuisse in hac editione consiliis Dan. Ern. Jablonskii, Jo. Christoph. Wolfii, Bern. de Montfaucon, Eduardi Burtoni aliorumque, gratus ultimo loco profitetur.
- 1-56. Excipit Præfationem satis prolixa Seldeni vita, stylo quidem ad justam vitæ descriptionem non profus accommodato, nunc turgido, nunc humili & nugarum Grammaticarum ex parte, sententiis tamen passim, Græcis, Arabicis, imo & Copticis velut gemmis exornato, conscripta. Nos pauca hinc inde delibabimus,
2. cum pleraque alijs quæque Biographis tacta fuerint. Seldenus natus in occidentali Ferringi oppidi villa Salvintonia, in agro Suffexiensi, A. 1584 d. 16. Dec. ex honesta & a parte matris equestri stirpe descendens, Cicestriæ sub doctrina Hugonis Barkeri, tunc Scholæ Rectoris, postea Jcti clarissimi, tam cito profecit, ut jam decimo ætatis anno Latina carmina non infeliciter sunderet, & quadriennio post Oxonium in Academiâ se conferret, primùmque anno æt. 22 factum, *Analecta nempe τῶν Βεραγγιῶν*, magno plausu evulgaret. Cum monumenta vetustiora de Judæis Anglis collegisset, eaque *Samueli Purchas*, Itinerario ipsius inferenda, commisisset, is vero tria tantum ex omnibus monumenta, eaque
3. mutila

mutila & ab autographo diversa, inferuisset; ea res stomachum Seldeni & Purchasio litem movit. Editi libro de Decimis, quas jure divino niti negavit, ita clerum in se concitavit, ut palinodiam carere publice cogeretur. Cum A. 1621 in Regni Senatu, nondum quidem Senator, sed Consiliarius ascitus, liberius de periculo religionis perorasset, ita Regi invisus factus, ut Rob. Duczi, Decurionis Londinensis, custodiæ concederetur, quamvis laute satis in ædibus ejus exceptus & post quinque septimanas libertati redditus. Inde biennio post Comitii inferioribus adscriptus, etsi initio, literarum imprimis amore, publicis rebus non multum se ingereret, paulatim tamen, periclitante civium libertate, jura Angliæ non semel in Comitii magna eloquentia propugnavit; quibus rebus describendis non sine tædio prolixus est Biographus noster, e publicis monumentis omnia ejus dicta repetens, quorum utrum vim Latine satis expresserit, penes alios esto judicium. Imprimis A. 1628 cum Typographi aliqui, se ob editos quosdam contra Papisum libros ab aula citatos & objurgatos, in Senatu conquererentur, pro libertate Typographorum, quam cum publica conjunctam asserbat, fortiter stetit. A. 1629, dissoluto a Rege Parlamento, Seldenus cum quibusdam aliis, qui aulæ parum favebant, in arduiores Turris Londinensis carceres conjiciebatur, ad duriores deinde carceres, demumque ad ergastulum piraticum translatus. Et libertati quidem redditus sub finem ejusdem anni, at mox iterum ob falsas suspiciones anno sequenti custodiæ mancipatus, iterumque, detecta ipsius innocentia, liber dimissus est. Enimvero ob has, quas perpeffus erat, injurias, postea A. 1646 decreta ei sunt a Comitii quinque millia librarum, & sequenti anno publico ære persoluta. Ceterum post istos carceris squalores, quos Seldenus ita studiorum amœnitate temperabat, ut hoc imprimis tempore elucubraret librum de Successionibus in bona defunctorum secundum leges Hebræor. (cujus A. 1631 editi titulo ideo verba adjecit: *Sordes arcta inter vincla recusat*) ecquis credat, Virum tam gravem, tam austerum (ita enim Noster eum depingit) adduci potuisse, ut publice larvatus larvas duceret? Siquidem eodem anno 1631 (quo tempore & Prynnius, in *Histrionastige* nimis severe in ludos scenicos invehit, dignam in Came-

p. 6.

89.

12. ff.

24.

26.

28.

29.

- ra Stellata poenam iuit) quatuor, quæ Londini colliguntur, hospitia seu Collegia Juridica larvas, choreas ac ludos musicos Regi, qui illis mire delectabatur, reverentiæ testandæ causa repræsentare decreverant; quibus adeo nec Seldenus defuit, inter interioris Templi hospitio adscriptos una cum Eduardo Herberto choragum splendide, ut erat opibus satis instructus, agens. A. 1640 iterum Senator in Comitibus ab Academia Oxoniensi allectus, in accusatione contra Straffordium, & sequenti anno contra Guiliel. Laudum formanda; inter primos occupatus, & A. 1643 communibus Comitiorum votis Custos monumentorum in turri Londinensi constitutus, annoque sequenti inter Antislites Feccialium receptus est. Decretum quoque a Comitibus impetravit A. 1646 & sequenti, ut Rich. Bancroftii Archiep. Cantuar. Bibliotheca vi legati ad Academiam Cantabrigiensem perveniret. De tractatu de Nummis, qui A. 1675 sub ejus nomine Symoni Dewes inscriptus prodit; observat Noster, librum hunc *Alexandri Sardi* jam A. 1579, quinquennio ante natalem Seldeni, cum eadem dedicatione, mutato tantum nomine, lucem adspexisse; conjectans, eum olim ob raritatem Seldeni manu descriptum, ac post ejus mortem inventum, pro ipsius sætu fuisse venditatum. Decessit tandem septuagenario proximo A. 1654 ultima die Novembris, constituto ante rite testamento, quo cum Bibliothecam libris MSptis & impressis instructissimam Triumviris, testamenti sui curatoribus, Halesio, Vaughanio & Rowlando Jucks legasset, hi laudabili prorsus liberalitate eam Bibliothecæ Bodlejanæ, quæ Oxonii est, tradere, quam inter se partiri, satius habuerunt. Etsi uxorem non haberet, sunt tamen, qui eum cum Elisabetha, Henrici Comitibus Cantii, cujus pariter favore usus est singulari, vidua, cui, sive in urbe moranti, sive in rus abeunti perpetuo fere adhæsit; conjugalem vitam duxisse existimant: certe patet ex supremis ejus tabulis, maximam divitiarum, quas tenuit, partem e gratioso fœminæ hujus sinu, ut Noster loquitur, in illum derivatam esse. Quod ad characterem Seldeni attinet, erat is quidem naturæ minus grata vultus & morum austeritate, pertinaci literarum studio aucta; nullius in verba jurabat, sed libere, quæ sentiret, proferbat, in consiliis dandis ferendisque suffragiis promptus, & non modo

modo iudicio verum & memoria ad miraculum, etiam in extrema senectute, pollens. Liberalem quoque fuisse in publica Reip. literarum commoda, illud indicio est, quod solus imprimendis a Pocockio Annalibus Eutychni Arab. Latinis sumtus subministravit, & ne deessent, testamento, quod hic integrum inseritur, sedulo cavit. Cum ad summa munia vocaretur, nunquam tamen adduci se passus est, ut illa admitteret, memor Symboli, quod libris suis inscribere consueverat: *περὶ παντὸς τὴν ἐλευθέρειαν.*

Nunc quæ continentur singulis Tomis, digito indicabimus. Exstat nimirum *Tomo primo*: 1 de anno civili veteris Ecclesiae Judaicæ Dissertatio; 2 de Jure naturali & Gentium juxta disciplinam Ebraeorum Libri VII; 3 de Synedriis & Præfecturis Juridicis veterum Ebraeorum liber; *Tomo II*: 4 de Successionibus in bona defuncti ad leges Ebraeorum liber, & de successione in Pontificatum Ebraeorum Libri II; 5 de Diis Syris Syntagmata II; 6 *Eutychni*, Patriarchæ Alexandrini, ecclesiae suæ Origines, cujus libri versionem & Commentarium dedit; 7 Uxor Ebræa, seu de Nuptiis & divortii ex Jure civili, id est, Divino & Talmudico veterum Ebraeorum; 8 Analecton Anglo-Britannicon Libri II; 9 Jani Anglorum facies altera; 10 Dissertatio ad *Fletam*; 11 Judicium de X Historiæ Anglicanæ Scriptoribus; 12 Mare clausum, seu de dominio Maris Libri II; 13 Vindiciæ Maris clausi; 14 Marmora *Arundelliana*; 15 Notæ & spicilegium ad *Eadmerum*; 16 Epistolæ varæ, omnes fere ex autographis nunc primum collectæ, & 17 Poëmata Græca, Latina & Anglica; *Tomo III*, qui Anglica comprehendit, 18 *England's* Epinomis; 19 *the Duello or single Combat*; 20 *Titles of Honour*; quem librum ex tertia editione anni 1672 (quæ etsi plura in titulo promittat, secundæ tamen, quæ A. 1631 prodit, cedit, nisi quod addenda suis locis inserta sunt) Latine vertit Simon Jo. Arnoldus, ediditque Franc. 1696, Noster vero, nescimus qua de causa, ex prima anni 1614 ejusque addendis, ad finem additis, repetiit; 21 *the History of Tyber, with a Review, an Admonition to the Reader of Sir James Sempil's Appendix, and of Dr. Tillesley's Animadversions upon the History of Tyber, it a Letter to the Marquess of Buckingham*, quæ scripta ad Apologiam Historiæ illius Decimarum spectant; 22 *three Tracts,*

written by Order of King James, nempe de Revelatione, de Die Natali Jesu Christi, & de scopo Historiæ suæ Decimarum, quibus accedit brevis commentatio de Judæorum olim in Anglia commoratione, ex Purchasii Itinerario supra memorato de prompta; 23 A Discourse touching the Office of the Lord Chancellor of England; 24 the Priviledges of the Baronage of England; 25 of the Judicature in Parliament; 26 of the Original of Ecclesiastical Jurisdiction of Testaments, 27 of the Disposition or Administration of intestate Goods; 28 a Letter to Mr. Augulline Vincent, concerning his Discovery of Errors; 29 an Argument concerning the Baronies of Grey and Ruthen; 30 Illustrations of the first XVIII Songs of Drayton's Polyolbion; 31 Notes on Sir John Fortescue de laudibus legum Angliæ; 32 Notes on Sir Ralph de Hengham's Summæ; 33 Speeches and arguments; denique 34 Table-Talk, seu sermones convivales, quos ex quotidiano convictu post Seldeni mortem Londini 1696, 8 edidit Ricb. Milward, a nobis receptos Supplement. T. Ip. 426. Præmisit huic Tomo sigillatim præfationem Anglicam Cl. Editor, e qua nihil quidem magnopere memoratu dignum producimus, nisi quod notandum putamus, aliquot opuscula e supra memoratis nunc primum e Clar. Virorum Bibliothecis, præsertim e Musæo Ashmoleano, in lucem primum producta. Denique monemus, singulis Tomis accessisse Indices locupletissimos.

RAIMUNDI DUELLII C. R. AD PL. R. AC CLARISS.
Virum P. Dom. CÆLESTINUM L'OREFICE; Be-
nédictinum & Historiographum Regium Siciliae, de quibus-
dam Inscriptionibus, gemmisque ac nummis Romanis
Epistola, data Hippolytopoli ipsi Kal. Augusti
M DCC XXV.

Noribergæ, apud Petr. Contr. Monath, 1725, fol.

Plag. 2 tab. æn. 1.

Cum ad Cl. Autorem, solertissimum antiquitatum promum
 condum, continuo confluant, quæ in vicinia eruuntur, ve-
 tera monumenta, laudem utique meretur, quod non diu latere

ea patjatur eruditōs. Inter ea, quæ nunc producit, primū locum occupat Inscriptio in lapide septem fere pedes in longum ac tres in latitudinē excurrente, qui in oppido Austriæ infer. a S. Leonardo vulgo *Sant Lienhart* dicto, exstat, conspicua. Frontem ornat aquila, consecrationis symbolum, hoc tamen loco potius militare signum, cum duobus ab utroque latere delphinis, qui tum ob alias causas, tum maxime ideo apti censentur monumentis sepulcralibus, quod tam insignem habeant mortuorum suorum curam, ut illos dorsis suis in summa pelagi evehere visi sint, teste Plinio, ne aliqua bellua eos devoraret. Inscriptio hæc est: M. SEXTIO VETTONANO AED. M. AEL. CE. ANN. LXX. ET VINDE. TERTI. F. CON. AN. L. P. AEL. MARCIANO F. MIL. COH. IIII PRAE ANN. XX. STIP. III ET AV . . . A . . . MAXIMO ET CON . . . N. LXXX M. S. SM . . . OL AE. L . . . CE . I . HL. TAGP E. M. S. . . . LXI. AN. II TS . . . SII. XIII E SEX. SARMINIO MI. L. II S . . . AN. XXV. id est, ut Noster legit, *M. Sextio Vettoniano, Aedili, Marci Aelii Celeris Filio, Annorum LXX, Et Vinde Tertii Filia, Conjugi Annorum L. Publio Aelio Marciano Filio, Militi Cohortis IV Pratoria, Annorum XX, Stipendii III &c.* quibus verbis erudite explicatis, reliqua ædipo discutienda relinquit Autor. Imprimis hunc militem Aelium Marcianum ætatis anno vigesimo, ac tertio stipendii, mortuum docet, simulque observat, lege a Sempronio Graccho Tribuno cautum fuisse, ne quis ante annum XVII ad militiam cogeretur, sponte tamen quosdam ante hunc annum nomen militiæ dedisse. Hinc progreditur ad gemmam signatoriam eamque Sardam, ex eodem loco allatam; in qua cum figura muliebris, exacte Deam Romam representans, nihil habeat difficultatis, illud quod propter Deam cernitur, Noster pro monogrammate, qualia in gemmis quoque conspiciuntur, primum agnoverat; verum rectius edoctus a Viro Cl. cui hanc Epistolam inscripsit, mox flammulam in ara hic a rudi artifice designari, qua cultor Romæ suam erga terrarum Deam gentiumque pietatem testari voluerit; pronus agnoscit. Assabre magis elaborata eoque antiquior gemma est, quam non procul a vicino Cisterciensium cœnobio Lilliefeld homo colonus sorte reperit, in

TAB. IV.
Fig. 1.

Fig. 2.

Ne-

Neptūni haud dubie honorem facta, quem adgeniculantem, dextraque tridentem, sinistra delphinum, qui maris imperium indicat, tenentem, nitide fatis exprimit. Rursus deinde ad duas Inscriptiones convertitur Autor, quas in pago S. Ruperti, mille circiter passus ab oppido S. Leonhardi distante, reperit. Altera hæc est: T. M. CON . . . ALIVS DOMITI F. V. FEC. SIB. ET IOVENTINÆ CVRIONIS FIL. quam ita legit: *Constantius Alivus, Domitii Filius, Vivens Fecit Sibi Et Joventina Curionis Filia.* Constantium hunc ex gente *Æita* sive *Allia* fuisse, credit, quod & Schottus confirmet, in e agente Constantios exstitisse. Parvulis alatis, qui in monumenti superioris parte cernuntur, Cupidines, *ἔγως & ἀντρείως*, mutuumque adeo & conjugalem amorem, vel, si mavis, somnum, mortis imaginem, cui alæ affinguntur, indicari, existimat. Alteram inscriptionem paulo magis mutilam: . . . V. E. INGENVE PRIMIGEN . . . FIL. MATRI, ita restituebam hæc: *Annorum XXV Et Ingenua Primigenia Filia Matri*; observatque nomen Primigenia Romanis proprium exstitisse. Quam superaddit, tertiam inscriptionem, ante Ecclesiam Mursstetensem conspicuam, nec non duos nummos, nec raritate nec inscriptione valde notabiles, brevitate causa prætermittimus.

LEZIONE ACADEMICA INTORNO L'ORIGINE delle Fontane &c.


i. e.

ANTONII VALLISNERII, PROFESSORIS
Medici Primarii in Academia Patavina, Lectio Academica super origine Fontium, cum Annotationibus ejusdem: Editio altera; cui accesserunt variorum Autorum Litteræ, Dissertationes, Lectiones, Observationes, quibus veritas Vallisneriani Systematis demonstratur; opera GASTONIS JOSEPHI GEORGII, Medici & Physici Florentini.

Venetis, apud Antonium Bortoli, 1726, 4.

Alphab. 2 pl. 11 Tab. 21. 1.

Celc.



Celebreim non modo olim agitatam fuisse, sed & hodie inter
 summos Physicos agitari controversiam, *de Origine Fontium*,
 nemo harum rerum vel mediocriter peritus ignorat. Et hoc qui-
 dem, si non inter omnes, at inter eos certe universos convenit,
 qui elementorum transformationem negant, maria & suppeditare
 aquas fontibus fluviisque, & eas rursus ab iisdem accipere.
 Neque illud obscurum est, quibus viis ad maria deferantur
 fluviorum plerorumque aquæ. Sed quo itinere vicissim aqua mari-
 na ad fontes perveniat, de eo vehementer disputatur. Alii enim sub
 terra, per cœcos quosdam & mirabiles meatus, alii supra terram,
 per ipsam aerem & nubes, atque adeo per pluvias & nives, alii
 denique per utramque viam, ad fontes derivare aquas illas solent.
 Et negari non potest, pluviarum ac nivium tantam quotannis de-
 labi vim, ut universis fontibus & fluviis, qui oculis nostris expo-
 siti sunt, facile sufficiant; hoc enim quam plurimis diligentissi-
 mis & sæpius iteratis Gallorum, Anglorum, Germanorum, Ita-
 lorum, experièntiis & computationibus abunde confirmatum est.
 Sed duæ potissimum difficultates restant: altera, an non fere tan-
 tundem, vel haud ita multo minus aquæ, per continuas exhalatio-
 nes, ex ipsis regionibus corporibusque terrenis in aerem attol-
 latur, quantum per nives, pluvias, grandines, rores ac pruinas
 delabatur? altera, an non bona pars aquæ pluvialis in loca tam
 humilia cadat, & tam profunde in tellurem penetret, ut puteis
 quidem, stagnisque & fluviis subterraneis, non vero altioribus
 illis fontibus, unde publica nostra flumina oriuntur, suppeditare
 nutrimentum, saltim immediate, queat? Posterius fortasse non
 difficulter concedent, qui non modo comparare valles cum mon-
 tibus, sed & illud considerare voluerint, quam aptæ natæ sint val-
 les, ad imbibendam aquam pluvialem, in iis longe facilius diu-
 tiusque stagnantem, quam in plerisque montibus, a quibus magna
 vi in ipsas valles continuo præcipitari solet. Prior autem quæstio
 sine ulla controversia affirmanda esset, si aer telluri circumfusus
 nullis perturbaretur ventis. Nunc licet a ventorum impetu & ipse
 aer & vapores in eo hærentes identidem mutare loca cogantur,
 non tamen tanta illa est mutatio, ut vapores terreni, qui paucio-
 res sunt, in maria, & marini, quorum haud paullo major copia

exiit, in regiones terrenas depluant: sed certum potius est; in locis mediterraneis etiamnum multo minus pluviarum ac nivium, quam in maritimis atque in ipsis maribus delabi. Omittimus nutrimentum plantarum atque animalium; a quibus quidem universis non plus humoris allumi quam reddi perpetuo, statuendum est; ita ut hic circulus in priori plane contineatur. Jam quod aqua marina nullo adhuc artificio humano, nisi ope *evaporationis* ac *distillationis* a sale ac bitumine suo sufficienter liberari possit, quodque structura montium interna ejusmodi existat, ut in iis, veluti in *alembicis chemicorum*, ex vaporibus subterraneis colligi aquam, & guttatim stillatimve confluendo, fontes, porroque rivus atque amnes constituere, parum verisimile sit; præsertim cum & ii montes scaturigines fere nullas habeant, qui continua quadam crassa lapidea obducti, satisque cavernosi, imprimis convenire cum alembicis videntur, & ii contra copiosissimos alant fontes, quos alta tegit terra, sylvarum herbarumque ferax, in quam facili negotio penetrare pluviarum humor potest, a profundioribus denique stratis argillosis vel lapideis sistendus; hæc quidem nolumus insitari: ceterum neque illud pro certo ponere audeamus, fieri non modo percolando, attrahendo, præcipitando, sed nec ulla prorsus alia ratione posse, ut aqua marina, subterraneas suas venas & nimium ignotas regiones permeans, dulcescat. Quemadmodum vero aqua dulcis notabiliter levior quam salsa est, ita fontes, præsertim si per ductus satis profundos continuari cum maribus ponantur, multo altius assurgere quam ipsam inarium superficiem, regulis hydrostaticis apprime consentaneum est, ut distillationes & alembici non magnopere requiri videantur. Non hæc a nobis eo consilio allata sunt, quasi sententiam, quam hodie plerisque Physicis placere intelligimus, de ortu fontium ex aqua pluvia, omnino improbandam censeremus; sed ut saltem appareat, quid difficultatis etiamnum supersit. De cetero fatendum sane est, non alibi copiosius, majorique eruditione, facundia, & diligentissimarum observationum apparatu, istam sententiam pertractatam adstructamque reperiri, quam in hoc ipso libro, quem nunc in manibus habemus. Ipse iterum iterumque ascendit arduos montes Celeberrimus *Vallisnerius*, avia & horrida
pera-

peragravit loca, naturamque istarum regionum & ipsas fontium
 origines quam attentissime perscrutatus est. Exempli causa afferemus,
 quæ de origine Gabeli (*Secchia*) commemorat. Oritur hic
 annis sex duobus satis amplis & parum inter se distitis fontibus, in
 præcelso & aspero quodam monte, quem incolæ sua lingua *Cerè*
dell'Alpi vocant. Quos postquam vidit fontes, ut eorum ipsorum
 originem detegeret Vir curiosissimus, in altius enisus supercilium,
 amplissimos notavit tractus, herbosos illos quidem, sed fossis,
 canalibus, fulcis, cavernis, tumoribus, multis modis distinctos,
 planeque scabros & tuberosos. „ Numeravi, inquit, plus quam
 „ quinquaginta cavitates, magnis catinis vel crateribus simili-
 „ les, quorum alii magis, alii minus erant aqua repleti, quidam
 „ plane vacui: cum altius ascendissem, sylvas vidi, & cavernas,
 „ & voragine, in quarum nonnullis, velut in quibusdam vivari-
 „ is, ad quæ nunquam Solis radii pertingunt, glacies & antiquæ
 „ nives conservabantur, a novis fere semper coopertæ ac sepultæ:
 „ vidi adhuc destillantem aquam ex humectatis sylvarum terris &
 „ nunquam aratis campis: vidi, rivos sulcantes durum illud dor-
 „ sum, & descendentes ex altissimis horridissimisque nemori-
 „ bus, in varias rimas ac speluncas præcipitatos, ibidemque ab-
 „ sconditos. Superato etiam hoc inclemente & barbaro loco, no-
 „ væ semper occurrerunt lacunæ, fossæ, cavernæ, aquarum ni-
 „ viumque conservatrices, porroque squalidi campi, & alia loca
 „ ab humano genere prorsus deserta, nec nisi aquæ, nivis, glaciæ,
 „ & horrore domicilia. Hi ipsi, tum quidem mecum dicebam,
 „ atque nunc iterum dico, hi sunt veri fontium alembici, qui aquas
 „ suas accipiunt non e mari aut terra sed e nubibus destillatas: hic
 „ videant ingeniosi philosophi simplicissimam naturæ operatio-
 „ nem, atque in ipsis desertis providam Divini Numinis sapienti-
 „ am admirentur! „ Hæc Cl. Vallisnerius, qui complura alia de-
 inceps affert cum his apprime congruentia. Neque vero de sola
 externa montium facie sollicitus fuit, sed & internam eorum com-
 pagem, variorumque stratorum genera, e quorum coagmenta-
 tione sensim extracti videatur, quam solertissime perscrutatus est.
 Et hæc quidem nunc persequi longum foret. Ceterum quæ de
 profunditate disserit, ad quam penetrare pluvia sub terram solet,

deque hinc ortis montium quorundam ruinis; sicco pede præter-
 cenda non putamus. Mirari, inquit, soleo, qui fiat, ut viri magni
 nominis cum *Seneca* negent, aquas pluviales & nives resolutas
 altius sub terram quam ad summum duos pedes penetrare, ita ut
 efficere fontes perennes nullo modo possint. Ubi inclinatum est
 solum, ubi densum, tenax, cretosum, aut quacumque ratione
 firmitus compactum, non dissentio: at ubi hærent aquæ aut tardè
 fluunt, aut ubi terra bibula & rarior est, nequeo illorum sententiæ
 subscribere, propter observationes atque experientias, quas ipse
 „contrarias vidi. „ Cum essem nuper *Cervareccis*, quod oppi-
 „dum in montibus nostris *Regiensesibus* situm, superioribus annis
 „graviter afflictum est horrenda quadam ruina, *Salattam* alii,
 „alii *Lezzam*, plerique etiam *Lavinam* dicunt; (quo nomine &
 „magnas illas nivium moles, ex Alpibus identidem cum fragore
 „& terrore ruentes, vocari in Helvetia constat,) causam hujus
 „mali quærenti mihi ad hunc modum responsum est: ante decem
 „fere annos tristem illum accidisse casum, cum montes nix tege-
 „ret inusitata altitudinis; qua sensim resoluta, universam molem
 „subjectam adeo penetratam ac remollitam esse, ut tam gravem
 „exinde pessem oriri necesse esset: videbantur tum quidem (sic
 „pium senem dicere memini) omnes hi clivi ex lubrica & tenera
 „pulte conflat; quocirca subsillere amplius nullo pacto pote-
 „rant: fluxum, strepitum, rufionem aquarum ad ipsa fundamen-
 „ta usque insinuarum non obscure persentiscere licebat: hinc
 „integre casæ per longum tractum devehebantur; plantæ quan-
 „tumvis altæ atque annosæ, totæ sylvæ & seminati campi, stupen-
 „tibus nobis & plangentibus, mutabant loca, atque ex pristinis
 „confiniis in alia migrabant; ita ut universæ naturales & humanæ
 „leges, raro ac fatali casu, penitus confundi viderentur. Alias
 „deinde consimiles *lavinæ* membrat Cl. Autor, quarum recensione
 nunc superfedimus. Nam de ceteris quoque opusculis breviter
 dicendum est, quæ hoc volumine collegit nobilissimus Philoso-
 phus & Medicus Florentinus, *Gaston Josephus Giorgi*. Igitur post
 Lectionem celeberrimi *Vallisnerii*, quam recitavit in Academia
 Recuperatorum Patavina, & post Annotationes ejusdem, quibus id
 egit, ut observationes suas atque placita copiosius explicaret, se-
 quuntur

quuntur 1) Epistola Physi. & Mathematica ipsius doctissimi *Giorgi*, de vera & unica origine fontium; 2) duæ Epistolæ Viri illustris *Dominici de Corradi*, ad *Dom. Gast. Jof. Giorgi*, in quibus potissimum de mensura pluviarum & nivium, *Mulina* cadentium, itemque de velocitate & capacitate *Padi* exponitur; 3) Annotationes in libellum Medici Florentini Anonymi, de fontium origine, *Lucæ* impressum; A. 1725; 4) Lectio Academica, de origine fontium, a *D. Jof. Avanzino* recitata in Academia Florentina, d. 17. Maji 1725; 5) Epistola Anonymi, in qua complures deteguntur fraudes atque errores, commissi ab autore libelli *Lucæ* impressi, qui inscribitur *Riflessioni sopra l'origine delle fontane*; 6) Confirmatio Systematis *Cl. Vallisnerii* de origine fontium, quam in epistola ad ipsum celeberrimum Autorem proposuit illustrissimus Comes *Riccatius*; 7) Brevis annotatio; 8) Excerptum ex litteris clarissimi cujusdam Professoris Florentini, in quibus judicium exponit suum de libello Medici conterranei, qui inscriptus est, *Riflessioni &c.* 9) Aliud Excerptum ex litteris docti cujusdam *Pisani*, in quibus de eodem libello disseritur; 10) Epistola Anonymi de inscriptione ejusdem libelli; 11) Epistola *P. Sebast. Pauli* ad *Ant. Vallisnerium*, de fonte quodam in *Apulia*, quo Systema celeberrimi hujus Autoris confirmatur; 12) Conclusiones Physico-Medicæ, quas sub auspiciis illustrissimi D. ac viri clarissimi, *D. Ant. Vallisnerii*, de Nobilibus *Vallisneria*, in *Patavino* Lyceo Publici Primarii Theoricæ Medicinæ Professoris, S. C. C. M. Caroli VI Imperatoris Medici, Academix Germanicæ curiosorum, & Regiæ Societatis Londinensis Socii, &c. expoluit ac defendit, *Senæ* A. 1725, *Leo Bernardus Pagliat*, *Senensis*, Academicus Physico-criticus. Multa sine controversia in his opusculis continentur lectu & consideratu digna. De cetero cum pleraque Medico illi Anonymo Florentino, ejusque tractatui, quem inscripsit *Riflessioni sopra l'origine delle fontane*, opposita sunt, tum sane valde incommode hic Autor ab adversariis suis habitus videtur. Sane eum rident atque acerrime accusant, quod contra viros summos atque celeberrimos scribere, exquisitissimisque experientis speculationes, (*riflessioni*,) & observationes quasdam, quæ ipsis perexigui momenti videntur, opponere ausus est; quod secretionem salium

um ab aqua marina cum secretionibus animalibus, itemque cum secretione salis a vaporibus illis, qui ex mari in aerem ascendunt, comparare instituit; quod solam *possibilitatem* ejusmodi secretionis subterraneae sufficere putat, ad tuendam saltem ab adversariis sententiam de ortu fontium ex mari per circulum inferiorem; quod canalibus illis & meatibus, quorum interventu aquam marinam ad fontes deduci credit, centum vel etiam plurium milliarium Italicorum profunditatem tribuere non dubitat; quod deinde majorem fontium quam marium altitudinem regulis hydrostaticis omnino consentaneam esse, cum celeberrimo *Bernoullio* defendit; quod post magnas & diuturnas siccitates, partem satis notabilem aquae, per ductus subterraneos ad fontes derivari solita, ab ipsa terra spongiosa, arida, sitiente, imbibit ac consumi statuit; denique quod etiam novos subducere calculos, sententiae *Valisnerianae* repugnantes, conatus est. Quae quidem omnia, & reliqua his similia, san reproberentur mereantur a deo vehementem atque acerbam, eorum iudicio relinquimus, qui & rem intelligunt; & librum ipsum in jus vocatum, nec nobis adhuc visum, conspexerunt. Nunc tribus, quod ajunt, verbis novam aliquam hypothesein subjungere lubet. Vapores e terra ascendunt atque in nubes, pluvias, nives, coeunt; haec rursus in terram delabuntur: similiter fontes & fluvii aquas in maria mittunt suas; atque haec vicissim fontibus nutrimentum suppeditant. Quid si duplicem hunc circulum ita connectamus, ut aquas marium (quorum sane fundus non plane lapideus & impenetrabilis statuendus est) profunde omnino ac longe lateque in viscera telluris insinuari, inde a calore subterraneo attolli, & non quidem in cavernis montium, velut in alembicis, copiosa quadam distillatione colligi, sed maximam partem ex ipsa terra, sub forma exhalationum, in aerem foras emitti, tum vero in pluvias, nives, rores ac pruinas condensatas, atque a vaporibus marinis, ad regiones mediterraneas (praesertim frigidiores & montosae) non contemnenda copia translatis, auctas; in tellurem relabi, atque ita postremo fontibus fluviiisque non solum incrementum, sed & ipsam fere originem praebere, censeamus? Ceterum ut novas, singulares, ac proprias experientias hautquaquam nobis suppeterent fatendum est,

ita

Ita hæc nostra speculatio atque hypothesis, non iis, qui istiusmodi speculationes pro peccatis habent; sed paulo mitioribus iudicibus exposita putetur.

NUOVE OSSERVAZIONI ET ESPERIENZE.

intorno alla Storia Medica e Naturale.

NOVÆ OBSERVATIONES ET EXPERIMENTA

circa Historiam Medicam & Naturalem, Autore

ANTONIO VALLISNERIO, Medicinæ Theoreticæ Professore Publico Primario & Me-

dico Cameræ S. M. C. C.

Patavii, apud Johannem Manfredum, 1726, 4.

Alph. 3 pl. 3, cum fig. æn. Tab. 25.

TRES sunt partes hujus libri, ex Vallisnerii non minus ac aliorum Virorum Clarissimorum literis scriptisque consarcinati, & Historiam Medicam & Physicam promovendam pro scopo habentis, quarum prior Tractatibus XIII circumscriptur. Anni scilicet sedecim præterlapsi sunt, cum Clariss. Vallisnerius Experimenta circa generationem vermium in corpore humano publici juris faceret, quibus probare annisus est, Insectorum ova non ab extra cum aere, fructibus, alimentis & potulentis in corpus nostrum ingeri, ibidemque excludi, & in lumbricos mutari; sed progenerari a genitoribus sibi similibus, in primis viis nidulantibus. Quemadmodum autem isto in Tractatu de Tænia potissimum locutus est, quoad cætera, lumbricos teretes concernentia, curiosum Lectorem ad Observationes a Redi concinnatas remitteas, ita, ex quo clarius & evidentius ova, ovaria, oviductus & vasa spermatica lumbricorum, a Redi nec visa nec descripta, detegere ipsi licuit, non solum in sententia sua confirmatus fuit, sed & operæ pretium esse judicavit, recens inventa publico communicare, & quæ tam in lumbricis vaccinis quam humanis vidit, explicare. In Tractatu igitur I. structuram partium genitalium generis hujus herinaphroditici exponit, quam benevolus Lector ex apposita figura optime cognoscet.

Ex-

TAB. IV.
Fig. 3.

Explicatio Fig. 3 in Tabula IV, quæ repræsentat lumbricum vaccæ apertum, ex cuius ventre ductus alimentarii sunt exémti, relictis solis organis generationi dicatis.

- a. Colli abscissi truncus apertus.
 b. finis oviductus, cuius orificium per foramen externum hiat.
 c. oviductus tractus lymphæ diaphana plenus.
 d. pars superior oviductus ovis turgida, membrana instar valvulæ cincta.
 e. ovarium bifurcatum seu ovaria bina.
 f. ovaria divaricata & vasis spermaticis testæ, ex parte ad latus reclinatis.
 g. g. principium ovariorum, ubi propius ad se invicem accedunt.
 h. h. duæ vesicæ ovales, materiâ albicante repletæ, a vasis spermaticis formatæ, quæ hic loci dilatata mox iterum exiliora evadunt.
 i. i. i. i. vasa spermatica ex vesicis his orta & post varios gyros in l. l. vesicæ minores abeuntia.
 m. m. m. m. vasa spermatica circumgyrata & anfractuosa.
 n. n. portio canalis alimentarii in anum desinens.
 o. finis vermis aperti.
 p. p. p. vasa spermatica ab ovaris ad latus reclinata.

In *Tractatu II* Epistola legitur Ubertini Landi ad Autorem data, in qua refertur, sacerdotem quendam post immanes dolores nephriticos cum urina reddidisse polypum, viperæ formam repræsentantem. In *III* communicatur Epistola Philippi Tortii, Episcopi Hadriensis, in qua Autoris sententia de generatione vermium humanorum ordinariorum confirmatur, adjectis quibusdam dubiis, ad quæ Noster in *IV* respondet. In *V* gaudet Vallisnerius in Epistola ad Marcum Antonium Bufenellum, Secretarium, data, in Gallia Academiæ Regiæ Scientiarum Socios secum in eo convenire, quod tænias & reliquos vermes ordinarios in corpore humano esse hæreditarios crediderint, variaque allegat loca, quibus eosdem alius etiam in rebus naturalibus idem, quod ipse antea divulgaverat, sentire patet. In *VI* exhibetur Epistola Thomæ

Thomæ Alghisi, in qua refert, hominem nephriticum post pessam vellicationem & titillationem in lumbis cum urina reddidisse quatuor vermiculos veros, figura & magnitudine grani frumentacei, dubius tamen hæret, per quas vias iidem illuc translati fuerint; modum etiam novum describit præparandi liquores in vasa animalium injiciendos; dum alabastrum vel aluminis plumosi bene calcinati, & alcoholisati libræ uni admiscet unciam unam cinnabaris, lacæ Venetæ, auripigmenti, indigo, &c. & aqua diluit, pro nigro vero colore obtinendo libræ uni pulveris octo scrupulos fuliginis addit: denique monet, se sollicitum in corrigendis deligationibus chirurgicis Ægyptiorum fasciationem, quamumias suas obvolvere fuerunt soliti, imitatum esse. Ad quam Notam addit Vallisærius in *VII*, variisque probat exemplis, vermes ordinarios ex intestino colo exulcerato in vesicam exulceratam viam sibi parasse, nec tamen negat, dari etiam vermes extracordinarios in homine, de quibus in peculiari tractatu se acturum pollicetur. In *VIII* Epistola Nani Nani Falaguastæ, Nobilis Patavini, legitur, in qua evidenter demonstrat nobilitatem & utilitatem studii insectorum, quo ducimur ad cognoscendam partem fere ignotam & flocci habitam ex operibus Dei, quæ tamen semper sunt miraculosa, & ad agnoscendam in minimis hisce viventibus summam ejusdem sapientiam & providentiam, æque admirandam in minoribus ac majoribus creaturis, & ad acquirenda media certa illustrandi Medicinam & Historiam Naturalem. In *IX* approbat D. Antonius Maria Borromæus Autoris novum systema circa generationem & productionem vermium ordinariorum in hominibus, solummodo dubitans, quomodo lumbrici in corporibus Protoplastorum in statu innocentie generari potuerint? ad quod dubium respondet Vallisærius in *X*, se credere, Adamo concreatos esse vermes, ut vergerent in statu innocentie non in ipsius damnum, sed gloriam & perfectionem, post lapsum vero in ejus cruciatum. Sequitur in *XI* Epistola D. Johannis Bassi, in qua demonstrat, rationes speculativas Aristotelicorum circa generationem æquivocam esse vanas. In *XII* inserta est D. Johannis Jacobi Mangeti Epistola ad Autorem, ejusque responsio. Refert scilicet ille, natum fuisse sœtum nonimestrem, in quo præter

membranofam quandam expansionem nervorum opticorum fuper os cuneiforme exporrectam ne minimam quidem cerebri aut cerebelli portionem adfuisse, imo integrum cranium defuisse, eorum vero loco massam carneam firmiorem, coloris subrubro-lividiusculi, in varias cellulas sanguine aut lymphâ repletas excavatam, conspectam fuisse; unde putat, motus vividos, quos ad partus terminum in utero exercuerat embryo, medullæ spinali esse adscribendos, quæ justo amplior & ad ossis usque sacri limina bifida fuerat. Cui tamen sententiæ Noster non subscribit, sed existimat, loco cerebri & cerebelli organum his analogum, arteriis, venis fibrisque carneis obvolutum adfuisse, sub quo tanquam velo mysteria functionum potuissent exerceri. Quæ conjectura confirmatur in *XIII* a Johanne Jacobo Scheuchzero, qui casum hydrocephali in infante unius cum dimidio anni recenset, in quo cerebrum ad membranæ tenuitatem fere extensum capacitati interioræ cranii, & sinus falciformis cranio firmiter affixus erat, & aquarum moles ad octo circiter librarum Medicarum mensuram in ipsis cerebri ventriculis delituerat.

In secunda Parte hujus libri pergit clariss. Vallisnerius eodem incedere tramite & octo communicat Tractatus, in quorum *I & II* muscas & reliqua insecta, quæ circa roseta versari solent, examinat, eorumque naturam, cibum, folliculos, exuvias, structuram evolvit, docetque, quomodo & quo ovâ deponant, & qua ratione denique in muscas genitoribus suis similes iterum abeant; in *III* novam addit ideam in suas species dividendi insecta. In *IV* genesis pulicis ex ovo & semen algæ marinæ describit, quo generationem æquivocam destruat. In *V* examinat ortum, vitam, mutationem & naturam vermis, qui in naribus, vel cavitate frontis ovium, vervecum, caprarum, damorum, cervorum, aliorumque animalium reperiuntur. In *VI* in æstri, Afilus vel Tabanus alias dicti, naturam inquirat, atque evincit, esse illud raram speciem muscæ, in ventris fundo acutissimo aculeo armatæ, quæ perforat cutem armentorum, ut in factum foramen immittat ovulum una cum succo acerrimo, nervos fortiter pungente & vellicante. In *VII* Anatomem exhibet struthionis, putatque, eum vitrum, ferrum & alia metalla in ventricula digerere, non tam
hujus

hujus robore, & motu, quam mensuri stomachalis activitate, non quidem ut in nutrimentum ei cedant, sed partim ut obtundant corrosivitatē mensuri, partim ut e. g. ex ferro tincturā extrahatur roborandis visceribus necessaria. Dextrum cordis ventriculum laevem esse ait, nullisque columnis carneis præditum, quia struthio pulmones gerit non pendulos sed planos & horizontaliter super costas positos, musculisque instructos, ita ut hi ipsi receptum sanguinem versus sinistrum cordis ventriculum propellere, sicque vices validorum lacertorum, qui alias in dextro ventriculo reperiuntur, supplere queant. In *VIII* observationes leguntur circa ortum, visum, naturam & mutationes cantharidum, a Laurentio Patarolo factæ.

Tertia Pars tanquam Appendix continet novendecim Tractatus, quorum *I* & *II* constituunt variz literæ de morbo pedicellari cum annotatione. Sequuntur in *III* Relatio Vallisnerii de rebus rarioribus, observationibus & experimentis Historiam Medicam & Naturalem concernentibus, anno 1726 Mediolani annotatis, in *IV* & *V* observationes ejusdem circa infecta; in *VI* & *VII* Epistola Victorii Francisci Stancari de variis rebus Medicis & Physicis, scilicet de semine Gebel-Indi, de ovario anguillarum, de chamæleonte, ejusque oculis, de transpiratione pauca vel nulla ovorum emplastratorum, & de fontibus ac puteis in jugis montium cum Annotatione; in *VIII* Notitia simplicium quorundam a Spoletio, Professore Patavino, Constantinopoli allatorum, & quomodo arsenicum præparatum ibidem in usum Medicum cedat; in *IX* Epistola Stancari de experimentis in machina pneumatica cum ovo gallinæo factis. In *X* nova inventa de origine antimaculorum sub brassicæ foliis nidulantium, & de multis infectis alia infecta infestantibus; in *XI* Epistola Torrii, Hadriensis Episcopi, de Clerico binos digitos minimos in una manu, & scæminam, genam cute & pilis porcinis obductam habente; in *XII* mentio fit brachii monstruosæ magnitudinis, quod incisum in parte decliviori, effuso primum sanguine, hinc sero multo, ad debitam rediit figuram. In *XIII*, *XIV*, *XV*, *XVI*, *XVII*, de litibus circa infecta pestilentialia inter Carolum Richam & Bartholomæum Curtium compositis agitur; in *XVIII* & *XIX* denique Franciscus Josephus

Burrhus inquit in vini degenerationem in acetum, & num hoc calidum an frigidum sit?

A TREATISE OF THE URINARY

Passages.

i. e.

TRACTATUS DE VIIS URINARIIS, AU-
tore **GUILIELMO RUTTY, M. D. Societa-**
tis Regiæ Collegæ & Anatomix in Theatro
Chirurgico Lectore.

Londini, apud Thomam Worrall, 1726, 4.

Plag. 8½ cum fig. & near. Tab. 4.

IN Tractatu hoc, in tres Sectiones diviso, Autor Clariss. vias uri-
narias describit, earum usum explicat & in calculum, tanquam
illarum affectum frequentissimum, inquit. In I igitur Sectio-
ne, quæ Anatomica est, singulas evolvit partes, urinæ secretioni
& excretioni dicatas, renes puta, ureteres, & vesicam urinariam,
quibus renes succenturiatos addit. Circa quas quid veteres recen-
tioresve statuerint, & invenerint, fideliter tradit, suamque addit
epicrisin. Pauca ex his cum L. B. communicabimus. Malpighius
vesicularia observavit corpuscula in renibus, arteriarum sinibus
annexa, & inter hos atque tubulos urinarios, ad quos ductus suos
excretorios transmittant, posita; hæcque corpuscula pro distin-
ctis glandulis atque immediato organo secretorio urinæ habet.
Ruyfchius vero huic contradicit, arterias immediate in ductus
urinarios absque interventu ejusmodi vesicularis substantiæ desi-
nere, asserens. Atque huic sententiæ Noster adhærens existimat,
vesiculas has membranaceas, si quæ adsint, pro organo secretorio
urinæ venditari haud posse, siquidem tales folliculi in aliis par-
tibus, in quibus inveniuntur, non munus exequantur glandula-
rum, sed harum appendices sint, seu receptacula, quæ humo-
rem in aliis glandulis jamdum secretum asservent, donec hic per
ductus excretorios ejici queat; quales sunt vesiculæ seminales,
folliculus fellis, &c. Hinc statuit, eam esse glandularum ratione

com-

compositionis differentiam, quod glandulae humorem secernentes, qui per intervalla excerni debet, talibus membranaceis folliculis gaudeant, ut glandulae mammariae, ventriculi, intestinorum, &c. e contrario illae, quae liquorem secernunt, qui continuo iterum excerni debet, hisce receptaculis nec praeditae sint, nec indigeant, ut cerebrum, testiculi, quaedam conglomeratae, & renes. Hacque distinctione dirimi posse ex parte putat controversiam, quae intercedit inter Ruyschium & Bærhavium, (de qua in Actis Anno 1723 Mense Martio pag. 103 egimus) circa hos folliculos, utrisque veritatem assecutis, quando suum dogma ad particulares glandulas restringunt, errantibus vero, si ad totum glandularum genus extendant. Ureteres diversae esse diametri dicit, modo contractos, modo dilatatos, non solum ubi arterias iliacas transcendunt, ut vulgo creditur, sed per totam sui longitudinem; cujus contractionis & dilatationis causam, judicat esse non minus pulsationem arteriarum iliacarum, juxta Cowperum, quam conformationem naturalem, ut Morgagnius asserit. Ureterum membranas nunquam in triplici differentia esse, observare potuit, ita ut externa membranacea, media muscularis, & interna nervea dicenda veniat; verum totus ductus ipsi videtur esse nerveus & crassus, ita tamen, ut interior ejus superficies mucosae quodam ex exilibus glandulis exsillante, pro avertenda urinae falsae noxa obliniatur. Singuli renes juxta naturae institutum unico gaudent uretere, contingit tamen quandoque, ut bini in alterutro conspiciantur; rarum vero est, quod observavit Autor, quod utrique renes duabus praediti pelvibus, binos nacti sint ureteres, quorum alter supra, alter infra vasa emulgentia seorsim decurrentes, in unum denique ductum prope ingressum, in externam vesicae tunicam coaluerunt. Media tunica vesicae urinariae ab Anatomicis inter musculos refertur, sub nomine Detrusoris urinae; cui tamen officio obeundo Autori nostro non videtur par; siquidem fibrae ipsius longitudinales inferiori vesicae orificio implantatae sub sua actione cervicem potius versus superiora, quam fundum versus inferiora ducerent. Rectius longitudinalibus fibris fundum vesicae versus anteriora & inferiora ad os pubis protrudentibus, obliquis vero suas dimensiones imminuentibus urina

T A IV.
Fig. 4.

Fig. 5 & 6.

excluditur. Porro confirmat Clariss. Autor Bohnii & Stalpartii van der Wiel sententiam, asserentium, maximam fundi vesicæ partem in subjectis humanis circa anteriora adhaerere vel continuam esse peritonæo: viditque interiorem superficiem urethræ variis perforari orificiis ductuum, liquorem fundentium a glandulis secretum, & defendendæ ab urinæ acrimonia urethræ destinatum. A renibus succenturiatis ductus excretorios in viris ad testiculos, in mulieribus ad ovaria descendere perhibuit Valsalva; verum ex Autoris nostri sententia duas arterias spermaticas a Ramby recens detectas pro ductibus his habuisse videtur: Existimat potius Clar. Ruty cum Morgagnio, cum renes succenturiati sint glandulæ lymphaticæ, eos suppeditare lympham ad ductus chylicos patulos servandos.

Sed pergimus ad Sectionem II, quæ Physiologica est, usum organorum urinatorum explicans. Quemadmodum autem in consesso penes omnes est, urinæ producendæ gratia formatos esse renes; ita taxat Autor Clariss. Bellinum & Bærhavium, quorum ille intermedia fingit spatia, ad quæ sanguis deponatur, antequam lotium a tubulis urinariis excipiat, & cruor per venas reducatur; hic vero urinam duplici modo elaborari, partim per immediatam percolationem per ductus Bellinianos; partim mediantibus glandulis asserit; cum tamen neque spatia illa intermedia neque glandulæ in renibus inveniantur. Ipse vero Autor totum negotium mechanice explicat, quatenus aqueo salinæ particule sanguinis a ductibus Bellinianis, tanquam vero organo secretorio, resorbeantur; ad pupillas deferantur, & in pelvi colligantur, per ureteres ad vesicam promovendæ. Negat interim, descensum hunc peristaltico ureterum motui adscribendum esse, cum propria lotium gravitate in hominibus delabatur. Quam vero vlm vesicæ in ejicienda urina tribuunt Keillius & Michelottus, tanquam falsam refutat. Dæmonstrat porro, urinam omnium coctionum excrementa continere, potulenta per viam regiam suam emetiri iter, absque eo, ut extraordinariæ fingantur vix, urinam respondere potus assumti quantitati; & præter terreo-salinas etiam alias particulas cum urina excerni; hanc vero habet pro substantia aqueo-salino-terreas particulas in se continente,

pro

pro quarum diversa proportione color, acrimonia, & consistencia mutetur.

In Sectione III, tanquam Pathologico-Therapeutica, calculi seu primarii organorum urinariorum affectus, genesis sub examen vocat; In renibus quidem ejus causam materialem in naturali compositione urinæ quærit. Cum enim calculus nihil aliud quam sal volatile & fixum, urina vero hoc copiose referta sit, tale corpus concrefcere putat; si salinæ & quædam terrestres particula a fluidis separentur, & usque adeo sibi cohæreant, ut ab affluente urina discontinuari nequeant. Contingere autem hoc existimat, quando salia vel in nimia quantitate adsunt, vel a viscido, cum quo facile unionem ineunt, impediuntur, quo minus superare exiles illos ductus, qui papillas constituunt, queant, vel ob arctitudinem horum tubulorum præternaturalem ab accessu arceantur. In qua sententia eo magis confirmatur, quo certius est, quod homines, qui liquoribus spirituosis abutuntur, vel qui debili gaudent stomacho, aut viscidos assumunt cibos, vel qui vitam sedentariam agunt, præ aliis ad hunc morbum sint dispositi. Per hæreditatem tamen etiam calculi fomitem communicari posse, confitetur. Missis eis, quæ Autor circa diagnostica & prognostica signa affert, indicationes sequentes format: 1) transitus calculi per ureteres diureticis promoveatur, 2) viz a durtie & asperitate ejus præmuniatur, & 3) Symptomata mitigentur. Vesicæ calculum quod attinet, natales ejus repetit vel a calculo renali, qui ad vesicam protrusus novis semper lamellis obducitur, vel a mora, quam urina viscida & particulis salino terrestribus onusta in vesicæ cavitate agit, antequam excernatur; hæ enim particulae tum propius sibi accedunt, & in ejusmodi durum corpus coagulantur. Quemadmodum igitur talis, quamdiu exilis existit, eadem methode exturbandus venit ac renalis, ita majorem non nisi manu chirurgica extrahendum esse, docet.

Explicatio Figurarum in Tabula IV.

Fig. 4 repræsentat vias urinarias, in quibus singuli renes duas pelves, binosque ureteres obtinent.

A. Ren sinister.

a. arteria emulgens, antequam renem ingrediatur.

b. vena

- b. vena emulgens.
 c. ortus ureteris superioris.
 d. ortus ureteris inferioris.
 B. Ren dexter juxta longitudinem divisus, ut structura ejus interna conspiciatur.
 e. pelvis superior.
 f. pelvis inferior.
 g. substantia renis utramque pelvium distinguens.
 h. ortus ureteris superioris.
 i. ortus ureteris inferioris.
 k k. descensus quatuor ureterum versus vesicam.
 C. Vesica urinaria aperta.
 l. l. unio binorum ureterum.
 m. insertio ureterum obliqua in dextro latere.
 n. insertio ureterum obliqua in sinistro latere.
 Fig. 5 exhibet partem anteriorem vesicæ urinariæ externa tunica exuta.
 a. ortus fibrarum musculosarum longitudinalium ab interiore & inferiore parte ossium pubis & anteriore parte prostatarum.
 bb. progressus earundem fibrarum super anteriorem partem vesicæ.
 c. c. fibræ obliquæ tunicæ muscularis se invicem interfecantes.
 d. urachus.
 ee. portio ureterum.
 ff. prostata.
 Fig. 6 sistit posteriorem partem vesicæ.
 aa. fibrarum longitudinalium decursus.
 b. earundem insertio in partem posteriorem prostatarum.
 cc. fibræ obliquæ tunicæ muscularis.
 dd. portio ureterum.
 ee. vesicæ seminales reclinatæ.

EPITOME ELEMENTORUM PHYSICO-MATHEMATICORUM, conscripta in usus Academicos a **PETRO VAN MUSCHENBROEK,** Phil. & Matheseos Professore in Academia Trajectino-Batava.
 Lugdu.

Lugduni Batavorum, apud Samuelem Lugtmans, 1726, 8.

Utr summus, *Isaacus Newtonus*, omnes ex Physica hypotheses exulare jubet, & *Archimedis*, *Galilei* aliorumque exemplum secutus, in Principiis Philosophiæ atque Optica docuit, quomodo certa Physica comparari possit, si nihil assumatur, quod non experimentis vel demonstrationibus mathematicis sit evictum. Hunc duce[m] Noster secutus in Physicis, Auditores suos non docet, nisi quæ firmis illis fundamentis superstructa. Abstinet autem ab iis, quæ, cum non nisi per subtiles Analyseos aut Geometriæ profundioris demonstrationes pateant, tyronum captui parum respondent. Laudat Academiæ Trajectinæ Curatores, quod nuperrime magnis sumptibus novum amplissimumque Theatrum Physicum extruxerint, omnisque generis instrumentis, ne quidem pretiosissimis exceptis, ornent. Ut vero Auditores suos ad notitiam Autorum perducatur, qui veram philosophandi viam ingressi cum fructu consultantur, eos laudat, ex quorum scriptis semet ipsum profecisse fatetur. Eminent inter eos præter *Newtonum*, *Hugenium*, *Wallisium*, *Gregorium*, *Leibnitium*, *Wolffium*, *Whistonum*, *Martottum*, *Haukebejum*, *Desaguillierium*, *Derhamum*, *Archimedes*, *Galileum*, *Torricellium* alique: imprimis vero Viris Celeberrimis, *Bartholomæo* atque *Gravesandio*, se plurimum debere profitetur, & Transactiones Anglicanas, Historiamque Academiæ Regiæ Scientiarum Parisinæ atque *Wolffii* cum elementa Matheseos, tum Philosophiam experimentalem sæpius citat. *Wolffium*que primum Aeronética Mathesin mixtam egregie amplificasse, ait. Dividit opusculum in duas partes, quarum priori de origine & progressu Physicæ, principiis corporum universalibus; loco, duratione & tempore, motu, potentiis prementibus, legibus naturæ *Newtonianis*, gravitate, corporibus descenditibus supra planum inclinatum, pendulis, machinis mechanicis, attritu machinarum, viribus corporum motorum, corpore duro, molli, flexili; elastico, percussione; motu obliquo, motu gravium projectorum, viribus centralibus, attractionibus corporum ad se invicem, cohesione ejusque legibus; posteriori autem de fluido in genere, actione fluidi ex gravitate, undis, fluido per foramen vasis fluente, fluidis pro-

silientibus, fluminibus, motu fluidorum mixto, percussione fluidorum, densitatibus & gravitatibus specificis fluidorum & solidorum inter se comparatis, resistentia fluidorum adversus solida per hæc mota & solidorum retardatione, aqua, igne, proprietatibus lucis, coloribus, oculo, lucis transitu per oculi humores, visione, catoptrica, dioptrica, aere, sono, meteoris agit. Apparet itaque, Cl. Autorem circa ea occupari, in quibus Mathematici ac Experimentatores industriam suam ingenique acumen exercere. Esti autem is veneretur merita illustris *Newtoni* in scientiis Physico-mathematicis, hoc tamen non obstante *Leibnitianam* virium mensuram assumpsit, & sententiæ communi, quam tuetur *Newtonus*, tuentur cum eo viri in Gallia & Britannia doctissimi, valedixit, ut ut eandem & ipse docuerat. Novam doctrinam non assumpsit, nisi postquam experimenta *Poleni* atque *Gravesandi* omnia ipse instituerat, demonstrationes maxima cum sollicitudine examinaverat, & Gallorum atque Anglorum argumenta pro contraria sententia simul perpenderat. Experimenta enim ista tam manifesto evincere virium mensuram *Leibnitianam*, ut illis subscribere tepeamur, nisi apertissimis contradicere studeamus: difficultatem, quam fecerunt Galli atque Britanni, illico evanescere, simul ac pressiones a viribus corporum vivis probe distinguantur. Ceterum cum in usum Auditorii conscripserit Cl. Autor libellum, theoremata absque demonstrationibus proponit. Demonstrationes viva voce Auditoribus tradit: nihil vero demonstrat, quod non etiam ope experimenti ad oculum exhibeat confirmetque.

CLAVIS ASTRONOMIÆ, SIVE ASTRONOMIÆ pars physica; Autore PETRO HORREBONIO, Philosophiæ & Medicinæ Doctore, atque in Universitate Regia Havniensi Astronomiæ Professore.

Havniæ, sumptibus Autoris, 1725. 4.

Plag. 16 Tab. æn. 1.

Palmarium hujus Tractatus argumentum est ratio indagandi parallaxin Solis, qua data omnium planetarum primariorum

parallaxes facile cognoscuntur. Quoniam itaque parallaxeos notitia maxime in re astronomica usus; ideo doctissimus Autor Clavis Astronomiae nomen eidem imposuit. Pendet methodus ab hypothesis physica; quam ideo Noster prae mittit. Tantam methodi exactitudinem praedicat, ut parallaxin Solis tot seculis totque modis quaesitam intra semissis secundi minuti errorem certo innotescere confidat. Hypothesis Cl. Autoris physica haec redit. Deum in principio produxisse materiam lumine destitutam, ad vitri materiam fere accedentem, omnisque motus expertem; quam ideo *elementum umbrae & elementum passivum* vocat. Mox creasse materiam lucidam & perenni virtute ac motu praeditam, quam *elementum lucis & activum* atque *materiam actuosam* appellat. Elementum activum motu continuo ad motum incitare passivum, atque hinc prodire rerum materialium phaenomena. Haec manifesta Cl. Autor esse arbitratur ex historiae creationis *Mosaeicae* primis verbis. Materiam vero passivam proxime ad vitrum accedere existimat, quod, fatentibus Chymicis & testantibus experimentis speculorum causticorum *Tschirnhusianis*, omnia fere corpora in vitrum reduci possint. Materiam actuosam passivae immixtam ejus partes adeo agitate, ut singulae divellerentur ac liquecerent, & ista rursus recedente in minutissimos globulos vitreos & perfecte elasticos, atque intus cavos, sed inaequalis molis ac densitatis concrescerent, aetherem magnamque aeris partem constituentes. Alios pro ratione magnitudinis sortitos esse cavitates majores & crustas tenuiores facileque complicabiles; qui sint vapores magnam aeris partem absolventes, compressi autem & materia actuosa orbati in aquam abeant. Denique aeri esse particulas proprias striatas ac spirales & salinis quoque particulis impraegnari. Ex materia luminosa in cumulos collecta prodixisse corpora lucida; quae circa axem motu vertiginis agitata materiam inertem circa ea fluidam in gyrum rapiant: unde vortices orientur, quorum motus in vicinia corporis lucidi velocior, in remotiori distantia tardior. Massas terrestres cum aqueis sacculis, striis aeris & spiculis salinis ad motum vorticum majorum ineptas in minores injectas & a materia actuosa in majores massas coactas fuisse, quae in crustas vitreas parvorum materiae actuosae cumulosum a materia actuosa pro-

stratae planetas efformarint. Hac hypothese tradita, Cl. Autor ex *Newtoni* atque *Hugentii* inventis determinare docet longitudinem penduli unum minutum secundum in diversis limitibus circulantis & Tabulam ad singulos latitudinum gradus computatam exhibet, in qua longitudo sub æquatore est pedum 3 linearum 6. 823; sub polo pedum 3 linearum 9. 881. Commendat cum *Hugentio* pro mensura universali pedem horarium, quæ est tertia pars penduli unius secundi. Et quoniam *Cel. Wolfius*, quem ob merita sua *Archimedem Germaniæ*, plaudentibus iis, qui pretiis suis momenta ponderant, saluari ait, monet, mensuram hanc fore perpetuam, nisi forte iisdem in locis intra amplum temporis intervallum, veluti aliquot seculorum decursum, mutetur gravitas; igitur rogat Societatis Regiæ Parisiensis membra, ut modulum pedis Parisiensis eundem diligenter servent, ad cuius fidem hanc questionem exigat deinceps sera posteritas. Refert, *Ræmerium* pendulum non intra semicycloides, sed ex tenui lamella orichalcica in observatoriis suis suspendisse, eodem prorsus cum successu, quem *Hugentius* expertus. Figuram Telluris *Newtonianam* probat &, cum in eadem nucleum igneum concipiat, crassitiem crustæ terræ sub polis ad eandem sub æquatore determinat ut 288 ad 289. Motum vorticis magni circa Solem eum esse statuit, ut tempora periodica partium fluidi sint reciproce ut quadrata distantiarum a centro; contra materiæ actuosæ hunc esse motum, ut tempora periodica partium sint ut ipsarum distantiarum ab axé spheræ. Quamvis vero vortices ex globulis æthereis compingat, spatia tamen inter eos relicta materia actuosa repleri, quæ secundum ipsorum vorticum directionem moveatur. A duplici hoc duplicis materiæ in vortice solari motu deducit, quod planetarum velocitates sint reciproce in distantiarum ratione subduplicata. Materiæ actuosam, quæ celèrem admodum in superficie Solis, Jovis, Telluris &c. revolutionem absolvit, vocat brevitate gratia *Hermetem Solarem, Jovianam, terrestrem* &c. Determinaturus *Hermetis solaris* revolutionem, sumit semidiametrum Solis apparentem ex *Ræmeri* atque suis observationibus in distantia media 16 8: unde semidiameter Solis verà 469. 29 istiusmodi partium resultat, qualium media Telluris a Sole distantia est 100000. Quod si ergo semidiameter Solis

Solis ponatur 1, reperietur media Telluris a Sole distantia 213. 086 semidiametrorum solarium. Triplo hujus logarithmo a revolutionis annuæ Telluris, quam cum *Keplero* 525 949 facit, logarithmo duplo subtracto, ex semisse ejus, qui relinquitur, revolutionem *Hermetis solaris* circa æquatorem Solis colligit 169. 09 minorum primorum, sive 2 h. 49 5. Hermetem solarem constituit *Uranometram* & a duplo Logarithmo revolutionis planetæ subtrahit duplum logarithmum *Hermetis solaris*, residui enim triens est logarithmus distantie planetæ a Sole in semidiametris solaribus. Hac ratione reperit distantiam mediam Mercurii a Sole 82. 487, Veneris 154. 133, Telluris 213. 086, Martis 324. 671, Jovis 1107. 982, Saturni 2030. 933 semidiametrorum solarium. Deducit hinc porro semidiametrum apparentem Solis pro distantia media in Mercurio 41. 41, in Venere 22. 18, in Tellure 16. 8, in Marte 10. 35, in Jove 3. 6, in Saturno 1. 41. Ex distantia Satellitis intimi Jovialis ab ipso Jovis centro 5. 667 semidiametrorum Jovialium & revolutione ejusdem 2547. 57 minorum primorum eruit, ut ante, *Hermetis Jovialis* unam revolutionem in æquatore Jovis 188. 84 minorum primorum, id est, 3 h. 8 50, atque hinc porro posita diametro Jovis 1, distantiam Jovialis penultimi a centro sui primarii 9. 017, penultimi 14. 385, extremi 25. 301 semidiametrorum Jovis. Hisce præmissis opus tandem arduum aggreditur determinandi accuratius parallaxin Solis, quam hactenus ab aliis fieri potuit. Cum 1) juxta *Hugentium* in Horologio oscillatorio grave perpendiculariter e quiete demissum tempore unius minuti secundi in vacuo percurrat 180. 99 uncias pedis Parisiensis, secundum *Hermannum* in Exercit. Francof. Tom. I sect. 1 p. 125 idem in aere emittatur 177. 13 uncias ejusdem pedis, sint autem spatia descensus perpendicularis gravium intra minutum secundum temporis ad se invicem ut perpendicularia, quorum oscillationes minutis secundis respondent, & ex observationibus *Riccioli* in *Almagesto* relatis longitudo penduli in aere sit Parmæ, ubi altitudo poli 44. 44. 50, 440. 337 linearum Parisiensium; primo longitudinem penduli simplicis in vacuo ibidem reperit 449. 944 lin. Paris. Argumentatur nimirum, ut spatium gravis perpendiculariter cadentis in aere 177. 13 ad idem in vacuo 180. 99, ita longitudo penduli simplicis minutum

secundum in aere metientis 440. 337 ad ejusdem longitudinem in vacuo 449. 944. Hinc porro 2) eruit semissem revolutionis Hermetis terrestris, vel tempus oscillationis penduli simplicis in vacuo, cujus longitudo semidiametrum telluris adæquat, inferendo: ut longitudo penduli unius scrupuli secundi 449. 944 lin. ad semidiametrum Telluris 19 69 55 39 X 144 lin. ita quadratum unius scrupuli secundi ad quadratum semissem revolutionis Hermetis terrestris, quæ adeo 25 11 min. sec. sive 41. 85 primorum. Quoniam 3) jam semidiameter Telluris est ad semidiametrum Jovis in ratione duplicata semissem revolutionis Hermetis terrestris ad semissem revolutionis Hermetis Jovialis, posita semidiametro Telluris & supposita ex calculo superiori revolutione Hermetis Jovialis 188. 84, reperit semidiametrum Jovis 3. 0902 semidiametrorum terrestrium. Cum 4) distantia satellitis extimi a centro Jovis sit 25. 301 semidiametrorum Jovialium, eadem nunc porro invenitur 128. 785 semidiametrorum terrestrium. Quia 5) elongatio maxima heliocentrica satellitis extimi Jovis ab ejus centro in mediocri Jovis ejusdem a Sole distantia a Cel. Hallejo observata fuit 8 scrup. prim. 2 1/2 sec. junctis centris Solis, Jovis & Satellitis lineis rectis in triangulo ad Satellitem rectangulo præter latus inter ejus & Jovis centrum interceptum datur angulus ad centrum Solis 8. 21 1/2 ac inde invenitur distantia mediocri Jovis a Sole 52971. 3 semid. terrest. 6. Per anteriora distantia mediocri Solis a Jove est 1107. 982 semid. solarium & distantia mediocri ejusdem a Tellure est 231. 086 semid. solar. Quare distantia media Solis a terra est 10187. 235 semid. terrestrium. Unde tandem 7) colligitur parallaxis horizontalis Solis 20 minutorum secundorum. Monet Cl. Autor, se problema multifariam mutatis, quæ nunquam mutari posse ipsi visa sunt, tentasse, sed calculum semper ad 20 secunda recidisse, nunquam ad 19 descendisse, nec ad 21 ascendisse. Quoniam tamen sperat, longitudinem penduli simplicis in vacuo & nonnulla alia paulo aliter scrupuliosiore geometrico rigore determinari debere; tractationem de arduo parallaxeos solaris negotio verbis Kepleri ex ejus Commentario de stella Martis p. 197, 293 fuit: *Quia hæc atas præstantissimos habet Geometras, qui interdum in rebus non ita manifestis usus desudant diutissime, appello omnes & singulos, ut hic*
me

me juvent. Interim dum alius quispiam hanc (scrupulosus) inven-
 rit & adornaverit, oportet nos hanc esse contentos. Eadem methodo
 ingeniosissimus Autor parallaxin Lunæ horizontalem reperit 56
 min. 52 sec. Exhibet deinde primas circa scientiam parallaxium
 curas, quæ dedere revolutionem Hermetis terrestris 84. 40, Her-
 metis vero Jovialis 188. 84, semidiametrum Jovis 5. 0062 semid.
 terrestr. ex semidiametro apparente Jovis acronychii 24' inediam
 ejus a Sole distantiam 43023 semid. terrestr. semidiametrum Solis
 10244 semid. terrestr. tandemque parallaxin Solis 20 sec. ut ante.
 Nactus observationem *Hallejanam*, quæ sivit distantiam extimi Jo-
 vialis a centro Jovis eamque tum reperit 126. 66 semid. terrestr. ac
 inde porro mediam Jovis a Sole distantiam eruit 52095. 5 semid.
 terrestr. Hinc denuo prodit parallaxis ex reperta distantia media
 Solis a terra 10187. 235 semid. terr. 20 secund. Tandem cum anno
 1718 d. 19 Febr. cum administro suo *Nic. Krogto* maximam extimi
 satellitis Jovialis ab ipso Jove elongationem observasset 42 sec.
 temporis, & fide tabularum suarum solarium & Jovialium inter-
 vallum in arcu reperisset 9'. 45" supposita per antecedentia distantia
 Satellitis extimi a centro Jovis 128. 785 semid. terrestr. Jovis a ter-
 ra distantiam mediam determinavit 45410 semid. terr. unde de-
 duxit distantiam telluris a Sole tempore observationis, quo Sol
 perigæo suo propior erat, 10095. 5 semid. terr. Inde denuo resal-
 tavit parallaxis 20 secundorum.

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEU-
 MANNI *Poecile sive Epistole & Dissertationes miscellanæ.*

Tomi II, Liber II.

Halæ, in officina Rengeriana, 1726, 8.

Pl. 13.

Dissertatione *prima* in duo posteriora *Historia Ruthæ* capita
 (nam priora duobus libro tertio Tomi primi illustrata fuerant,) exhibentur annotationes, præmissis iudicio de octo reliquis in hunc librum Commentatoribus, quemadmodum de ceteris superiore loco sententiam suam dixerat Cl. Autor. Ex istis annotationibus

nibus pauca hæc excerpimus. *Pag. 159* inesse archaismum statuit in duobus verbis Hebraicis, quibus contra leges grammaticas *jod* annexum erat, cujus rei causam dari non posse, censuerat Cl. Carp-zovius. *P. 160* vocem *תלך*, vulgo quam reddunt *pedes*, interpretatur *stragulam*, putatque, Rutham se recepisse in lectum Boasi, ejusque se non pedibus, sed lateri applicuisse. *P. 165* observat, Capitis quarti versus septimum posteriori tempore insertum fuisse. Sub finem examinat Græcam hujus libelli versionem, docens (1), eum interpretem nimis religiose exprinere verba Hebraica, & verbum verbo reddendo fieri multis locis obscurum; (2) eum usum fuisse codice Hebraico notis vocalium carenti, & hinc vocibus nonnullis subjecisse vocales alienas, unde falsus nascatur sensus.

Diff. II, postquam ostendit, plures acutissimos Viros subscripsisse suæ sententiæ, qua sub nomine *Palingenii* statuerat latere M. Ant. Flaminium, epistolam producit Cl. Facciolati, qua is docet, verum Palingenii nomen fuisse *Petrum Angelum Manzollum*. De quò ut plura & certiora tradat, Facciolatus rogatur *Epistola tertia*. *Quarta* aliquot particulas Latini sermonis, in Turcellino Schwarziano omittas exhibet & illustrat, e. g. *cum maxime*, de cujus variis sensibus copiose disserit, ac simul tribus veterum scriptorum locis eam reddit, unde librariorum culpa exciderat. *Diff. V* apophtegmata aliquot proferuntur tanquam specimina eloquentiæ acutiæ. *Sexta* aliquot vocum Germanicarum etymologicæ origines exhibentur, & quidem primo loco vocis *Wester-Hemde*, quæ crucein fixerat pluribus magni nominis etymologis. *Septimo* loco *octavoque* prodeunt *Electa epistolica*, hoc est, excerpta notatu digniora ex epistolis ad Berneggerum datis a Rittershusiis, Remo, Colero, Venatore, Forstnero, Sebizio, Vechnero, Virdungo, Ruaro, Robertino, Rauschero, Vedelio, Keplero, Dav. Clerico, aliisque; hinc ex epistolis Berneggeri ad Jac. Gothofredum, Jo. Val. Andreæ, Casp. Hoffmannum, Ged. Renum, Dan. Heinsium, Casp. Barthium, Mart. Opitium, Gruterum, Luc. Osiandrum, Metrophanem Critobulum, Schickardum, Keplerum, Ehingerum, Vossium, Virdungum, atque

atque alios. Facile intelligitur, hic reperiri plura de libris scriptoribusque judicia, nec pauca historiam illustrantia literariam. Ceterum volumina illa, ex quibus ista sunt deprompta, possessorem habent illustre in orbe literato Virum, *Vffenbachium*. Nona Dissertatione nomen *Christophori*, vulgo male intellectum, explicatur, doceturque, id perperam reddi solere *Christiferum*, cum medio demum ævo effectum ex usu illius ætatis significet hominem *Christi spiritu animatum*. Denique *Dissertatione decima* de fato uxoris Loti disputatur admodum copiose, rejectaque opinione de ea in statuam salinam mutata, docetur, sacrum historicum nihil aliud dicere, quam *eam ex itinere cum marito montem versus suscepto rediisse Sodomam versus, atque ita eodem modo, quo Sodomæ, pluvia sulphurea obrutam periisse*. Quæ præterea afferuntur ad tollendum, quicquid huic sententiæ opponi potest, & ad illustrandam infelicis illius foeminae historiam, brevitate studiosi præterimus. Ceterum ignorare nolumus Lectores nostros, Celeb. Autorem, nostrum in colligendis Actis his a multis annis in hunc diem Collegam indefessum, nuper admodum alteram vulgasse *Conspectus sui Reipubl. Literariae sive Via in Historiam Literariam* editionem, subinde, iis maxime, quæ a prima editione in Rep. Literaria gesta sunt, multum auctam; cui etiam, aliorum exemplo, lucubrationum suarum Catalogum addidit, unde discimus, Virum laboriosissimum præter libros majoris momenti sedecim, Dissertationes & opuscula alia, non computatis minutis, edidisse centum & triginta. Nec illud facemus, eum, si vita supersit, quam ex animo precamur longissimam, in sequenti editione pro compendiolo, quod vocat, justum Historiæ Literariæ Compendium daturum.

BIBLIOTHECA BIBLICA, BEING A COMMENTARY upon all the Books of the Old and New Testament.

i. e.

COMMENTARIUS IN SINGULOS
libros Veteris & Novi Testamenti.

Oxonii, in Theatro, sumtibus H. Clementis, 1717-1725, 4.

Alph. aliquot.

Ttt

Ccix.

Commentarius hic anno 1717 inceptus feliciter huc usque continuatur, Autore doctissimo *Samuele Parkero, Samuelis*, Episcopi quondam Oxoniensis, cujus præter egregium de Deo ejusque Providentia librum, alii Anglice scripti exstant, filio. Hujus autem institutum est, præstantiores quasque interpretationes, in S. Codicem exstantes, ex genuinis Patrum & Historicorum Ecclesiasticorum scriptis Conciliorumque collectionibus, quæ usque ad A. C. 451 & forte ulterius producuntur, in summam conferre, atque hoc modo sensum Scripturæ tum literalem, tum allegoricum, tum moralem indagare. Eum itaque in finem contextum Scripturæ Sacræ, Anglice in folio medio representatum, annotationibus Patrum, Anglice itidem conversis, cingit, allegatis illorum, qui in eandem interpretationem consentiunt, nominibus. His vero in inferiore margine subjiciuntur ipsius Autoris observationes nunc breviores, nunc longiores, prout loci illustrandi conditio postulat. Præterea vero singulis Codicis sacri libris præmittuntur dissertationes, quæ de auctoribus eorum, imo & librorum ipsorum instituto & ratione, ex præstantissimis quibusque Scriptoribus exponunt. Hinc inde vero inferuntur aliæ observationes longiores, ubi forte singularis illas elaborandi occasio se obtulit. Singulis annis XII destinantur fasciculi, qui totidem mensibus respondent, quamvis ipsum tempus non adeo sollicitè observetur. Commentarius itaque in *Genesis* A. 1717 inchoatus, desinit in Fasciculo VI pro anno 1720 & absolvitur foliis 981, non computatis Indicibus variis. Præfixus illi est Index Scriptorum veterum, quibus doctissimus Autor usus est, non neglecto editionum judicio. Volumen II super *Exodum*, constans foliis 448, clauditur Fasciculo III pro anno 1722. Vol. III super *Leviticum* finitur Fasciculo XII pro anno 1723 & habet folia 387. Volumen IV libro *Numerorum* destinatum est, ubi Fasciculus VIII pro anno 1724 in capite XVI acquiescit & ad p. 176 deducitur. Plures fasciculi nobis hæctenus non sunt conspecti, ultimus autem ille A. 1725 lucem vidit.

Consilium diligentissimi Autoris nemini non se probabit, qui nascentis Ecclesiæ doctores in interpretanda Scriptura consulendos omnino esse, prudenter existimat. In diversis autem illorum expo-

expositionibus colligendis ita versatus est, ut non minus fidem, quam bonum ordinem, quoad ejusmodi tractandi ratio patitur, observare se voluisse ostendat. Subjectæ annotationes eruditionem Autoris & judicandi dexteritatem produnt. Utraque scilicet imprimis e dissertationibus præmialibus & observationibus, quas vocat, *occasionalibus* elucet. Dissertatio I, commentario in Genesim præmissa, ex *Huetii, Allixii, Kidderi, Jenkinsti, Is. Vossii, Frid. Spanhemii, Dupinii*, aliorumque commentationibus, huc spectantibus, Pentateuchum *Mosè* vindicat per paginas 90. Super Genes. I, 30 legitur observatio *de vita veritum* p. 112-114. Eam excipit alia *de arbore vite* p. 128-130, item *de arbore scientiæ boni & mali* p. 130-132, *de Semine mulieris* p. 151-152, *de duobus sexibus* p. 152-158, de conceptione & nativitate Caini p. 171, 172 &c. Ex his manifestum est, Autorem præstantiora & difficiliora argumenta curatiorè commentatione persecutum esse. In calce commentarii super *Leviticum*, leguntur *Augustini Calmeri* dissertationes super Genesim, Gallice ab eo scriptæ, hæc vero Anglice conversæ, & nunc quidem integræ, nunc in compendium redactæ. Nos quidem ut diligentissimo Autori insigne hoc doctrinæ & industriæ specimen gratulamur, ita prosperos successus ad totum opus, quod destinavit, perficiendum ex animo precamur.

JOANNIS GEORGII WALCHII, THEOL.

D. & P. P. *Primitiæ Sacræ Jenenses.*

Jenæ, sumtu Viduæ Meyeri, 1726, 4.

Alph. I pl. 14.

S. R. Autor, qui ab aliquot annis in Salana Eloquentiæ Professor Ord. fuit, haud ita pridem etiam axioma Professoris Theol. extraordinarii est indeptus. Hinc Primitiarum S. titulus, hinc & ei hæc scribendi subnata est occasio. Primum locum occupat Progr. ad orationem solennem, qua Prof. Theol. munus est auspiciatus. Est autem Isagoge ad studium Theologicum ex Epistolis Paulinis. Hic Theologiam describit ex loco *Tit. I, 1*, quod sit cognitio veritatis secundum pietatem, & nequaquam concedere

T t t 2

vult,

- p. 6. vult, ut κατὰ de fine intento exponatur, vel ut, qui vera fide non
 5. est præditus, Theologi veri nomen sibi tribuat. In Theologia exe-
 7. getica commendat analogiam fidei veluti unicam normam, & eos
 rejicit, qui interpretationem S. Scripturæ ad rationis vel Patrum
 normam exigere malunt. Cum Theologiam dogmaticam tangit,
 simul Pauli affectum, quod ratio sit captivanda, erudite vindicat.
 15 seq. Theologiæ polemicæ necessitatem probat, & λογομαχίας devi-
 tandas leviorisque momenti controversias prudenter tractandas,
 censet, adque hanc ultimam classem controversias inter Episcopa-
 19. les & Presbyterianos in Anglia revocat, ac ad Cel. Buddei, Mos-
 hemii & Joh. Fabricii scripta suos remittit lectores. Theologiæ
 moralis indolem ex 1 *Timoth. IV, 7* sinit, & de eloquentia S. non-
 38. nihil addit. Sequitur ipsa Oratio de incrementis, quæ nostra
 ætate studium Theol. cepit, ubi perbene monet, quod Theo-
 logia in se nec augeri nec minui queat, ratio vero solum Theolo-
 giam tractandi emendata fuerit, cum Scholasticorum tricæ reje-
 ctæ, meliora autem præsidia allata, novaque argumenta inventa
 fuerint, ac tandem partes disciplinæ Theol. separatim pertra-
 ctari ceperint. Ad singulas vero Theol. partes descendens,
 44. Theologiæ theticæ incrementa indicat, quod ex Historia do-
 ctrinæ conservatio & propagatio fuerit commonstrata, & omnia
 ad pietatem applicata. In Theol. Polemica hæc notat incrementa,
 quod regulæ accuratæ fuerint præscriptæ, quomodo hoc studium
 sit exercendum, & quam accurate in adversariorum opiniones de-
 beamus inquirere. Quibus commodis inter alia annumerat, quod
 libri prostant, qui controversiarum historias promunt. Cum
 etiam nostrorum in Theologia Morali excolenda prædicasset in-
 dustriani, ad ea se confert, quæ ex aliis disciplinis hodie floren-
 tibus in Theologiam quasi influunt. Programma deinde ad lecti-
 ones in libros Symbolicos instituendas auditores convocat, & de
 solida horum librorum interpretatione ex Historia agit, demon-
 strans simul, quid præsidii historia Eccles. conferat ad expositio-
 nem Symboli Apost. Nicæni, ac Athanasiani, nec non Concilii
 60 seq. Tridentini & Synodi Dordracenæ. Inferitur postea Cel. Buddei
 83 seq. Programma, quo Walchianas recitationes solemnes de gratia
 universali, & disp. auguralem indicit, quod magno eruditionis
 appa-

apparatu de Conciliis Lateranensibus, rei Christianæ nōxiis, conscriptum est, ac tot curiosis observationibus refertum, ut difficile foret, vel unam eū præstantiorem inde excerpere. Sequitur Walchiana disp. de veritate Evangelicæ religionis Pontificiorum calumniis confirmata, quæ ad imitationem Buddei & Antonii, quorum ille ex gentiliū, hic ex Judæorum calumniis religionem Christianam confirmavit, cum cura congestas calumnias exhibet, quibus adversarii Lutherum & Lutheranos prosciderunt, luculenter hic refutatas, unde facile de Ecclesiæ nostræ veritate constare potest. Ultima Dissertatio, pro gradu Doctoris impetrando doctorum disquisitioni proposita, Acta Pauli Philippensis e Lucæ commentariis descripta atque illustrata complectitur, quæ uti magnum ubique ostendit eruditionis apparatus, ita subinde quoque controversias de vocibus nonnullis inter eruditos motas tangit; cuius rei unum alterumque exemplum producemus. Quare Philippi dicuntur *πρώτη τῆς μέγδος, τῆς Μακεδονίας πόλις, κολώνια*, quid *προσευχῆ*, quid purpura, quid *σειμὸς*, quinam *ἑαδὲ χει*, qualeque fuerit jus Pauli civitatis Romanæ, hic expositum leges. Fuisse vero & erudite inquiritur in conversionem Lydiæ, cui hoc nomen ut proprium vindicatur: item in ejectionem spiritus vaticini ex ancilla, qua occasione de *πνεύματι πύδωνος* disputatur, præcipue contra Ant. van Dalen. Ex his vero & similibus in his Philippensibus Pauli actis occurrentibus palmariis momentis Theologiæ haud pauca deducuntur capita, ut de gratiæ præveniente, conversione, justificatione &c.

p. 115 seq.

179 seq.

188.
192 seq.

202 seq.
235 seq.

RARI AC PROPE INAUDITI EX UTERO
Morbi Historia una cum necessariis medicis animadversionibus, a PETRO ANTONIO MICHELOTTO
Venetis quarto Kalend. Quintil. 1726
per scripta.

EX Utero potissimum scæminis diversa vehementiaque mala nasci, & experientia notum, & a Græciæ principe Medico Hippocrate animadversum est. Per diuturnæ & haud vulgaris nervorum in Splendidissima Muliere distensionis Observatio-

nem cum Luca Schröcklo, Celeberrimo hoc tempore Angulæ Vindelicorum Medico, & A. N. C. meritissimo Præside, hos ante quatuor annos communicavi. Impræsentiarum insolitæ, pene incredibilis, & nisi me amor negotii suscepti fallit, in omni Medicinæ parentum cum Græcorum, tum Arabum memoria inauditæ ex Vulva ægritudine historiam legentibus sisto.

Judea virgo duos & viginti annos nata, cui Riccam parentes Caravaldi cognominati dixerent nomen, hos ante quinque & viginti menses in morbum incidit suppressæ ex tristibus animi affectionibus menstruæ purgationis: inde primum angina, tum, intercepto aliquo tempore, rheumatismo; deinde sinistri lateris dolore per hyemem correpta, sanguinis ex brachiis pedibusque de tractione, aliisque idoneis medicamentis, a spectato, qui assidebat, Medico; Moysæ Codeno; præscriptis, curatur. Manente vitio mensium suppressionis cum vehementi ventris inflatione moxcoreque, crebro difficilique spiritu, concitatarum arteriarum pulsibus, continuisque musculorum ad brachia pertinentium sed exiguis tremoribus, medicamenta mulieribus hysterico morbo fere exanimatis præberi solita, & nominatim remedium, cui uterino elixiri nomen auctor Crollius imposuit, data. Sub eo auxilio singultus, & cujuslibet generis, sive solidorum sive fluidorum alimentorum, vomitus exortus est: adversus quem medicamentorum tum opiatorum, tum stomachicorum usus cum frustraneus esset, quem modo laudabam, Medicus diffusis reliquis præfidiis, ad gelidas ex aqua, in qua modo subacidorum, cerasorum, modo fragorum, modo Limoniorum malorum succus cum modica sacchari portione solutus erat, potiones prudenter confugit: quibus in stomachi resolutione, vomitum, neque calidis, neque anodynis remediis cedentem, conjunctum habente, a me quoque prospero successu non semel adhibitis, consecutus quidem est, ut Egria & retinere & coquere cibos possent, non tamen ut reliqua mala remitterent: ad quæ ineunte autumno anni MDCCXXIV rerum omnium, sive cibi, sive potus, sive medicamenti speciem obtinentium, insigne fastidium, urinæ suppressio, inexpugnabilisque alvi adstrictio accessere. Eo tempore emollientia olea aliaque medicamenta ducendæ alvi causa in anum per

per clysterem infundebantur, quæ quum repellerentur, desperatis pene rebus, nutriencia quoque juscula ex capo, gallinaceis pullis & recentium ovorum vitellis in ultima intestina (ex quibus etiam lactea vasa oriri, non esse negandum, summus nostræ ætatis Professor J. B. Morgagnus apprimè animadvertit) semel atque iterum de die injicere, tentatum est. Verum enim vero, sive postremo Coli tractu, & fortasse continuati etiam Recti magna parte, ob inclusorum flatuum copiam reliqua intestina, comprimente & peritonæum vehementius distendente (quod verosimilius hoc in casu mihi videtur) ad dextrum sinistrumve infimi ventris latus compulsis, atque ad id arcte appressis: sive illis ipsis intestinorum, partibus ob valentissimas nervorum, ad thoracis ac ventris viscera pertinentium, quibus Ægra, impræsentiarum quoque vexatur, distensiones maximopere contractis renitentibusque: neque rescientia, quæ dicebam, clysinata admitti poterant. Ita affectam, ita conflictatam nulla edendi aut bibendi, nulla mæjendi, nulla deijcendi cupido cepit: Sorbilia, calida tepentive juscula, cujusvis generis vinum, gelidæ potiones etiam ex cioccolata, lacmislum cum sacharo vel frigidissimum: hæc, inquam, atque horum similia, aut ex toto in fastidio erant, aut rescientiarum virium causa, non ex appetitu, interdum assumpta, protinus reddebantur. Anni tempore verno acutissimo sinistri lateris dolore prehenditur: alii Medici ad consilium adhibiti sanguinem, ad eum levandum, pondo circiter unciarum trium ex respondente pede, jacenti, morbo longissimaque abstinentia confectæ mittere, non verentur: ipso dolore per istiusmodi anceps auxilii genus, sub quo vires hæud multum admodum labefactari visæ sunt, sublato, sanguinis paulum tussu ejicitur. Post hæc singultus, seu potius quidam vomendi conatus, per quem humor, colore subobscuro odoreque urinæ ad longum tempus in ischuria retentæ persimilis, sæpius evomebatur, subortus est; qui sine medicamentis brevi postea cessavit. Subsequente æstate, sive raptim mutatione morbi aliqua ex parte in contrarium facta, sive blandis assidentis Matris, alia atque alia pro cibo & potione cfferentis, monitis sollicitationibusque, tandem decumbens Filia commota, modo tenuem ex citreis malis aquam, modo liqnozem

ex subacidorum cerasorum cum melle ac vini spiritu, fermentato succo (*Wifna* vulgo hic appellatur) ad cochlearia aliquot haurire cepit: atque cum his quidem liquoribus continuavit, donec ad medium circiter Octobrem anni proxime exacti, quo, constrictorio ventriculi motu sursum versus cum atri fere humoris vomitu reverso, nec cibos, nec potiones, nec remedia assumere poterat, perventum esset. Quum eam tum una cum curante Medico viderem, ut memoratum ventriculi motum remedio liquidi Helmontiani Laudani ex stillatitia citrei mali aqua ad septem octove guttas exhibere, & pergelidam ex capi succo, citrei mali corticis odore imbuta, certa que ratione cum saccharo misto, forbitionem pro cibo offerre tentarent, suasi. Sed ne hæc quidem tenuit. Nihilominus tamen intra octo dies, quibus, mente jam turbata, brachia & crura inæqualiter dispergens, seque huc illuc violentè interdum convertens, modo obdormire, modo tristibus veluti exterrita imaginibus exulare videbatur, ventriculus ex toto conquiescit: atque ita quidem, ut & aquam, & liquorem, de quibus mentionem feci, continere octavo die posset: post quod tempus mentis quoque turbatio ac terrores remoti sunt, & ventris distensio, tamen interim neque fæces, neque urina emitterentur, paululum imminui visa est. Silentio hic præterire non decet, duobus circiter mensibus, antequam admirandi hujus morbi historiam perscribere inciperem, Ægram & eodem lateris dolore denuo prehensam & ab eo, sanguine ad duas tresve uncias ex brachio dolenti lateri respondente extracto, cito liberatam esse. Verum hoc illud est præcipue scitu necessarium, ipsius Ægræ, quæ a Septembri mense MDCCXXIV in præsens tempus vitam sine omni quidem cibo, & menses decem sine omni fere potu transegit, corpus neque ex toto languere, nec notabiliter emarcescere: quanquam insignis feri sanguinis succi copia tum ex pede, tum ex brachio, summæ quoque cutis lymphæ ductibus, scalpello in sanguine mittendo laceratis, cicatriculisque (quarum ea in lævo brachio in profundum ulcus versa est) tardissime, forsitan ob malum corporis habitum, consolidatis, quotidie per longissimum tempus manaverit.

Facies impresentiarum quoque colore est quidem fere naturali;

rali prædita est; at vero eam cum reliquo corpore neque in modo-
 dum, quemadmodum ante hos tres menses videbatur (distenden-
 te scilicet tunc aere, ex omnium pene corporis capillarium arte-
 riarum cruore, animalium spirituum cuneolis, quam sanis homi-
 nibus esse debent, acutioribus pulso, atque muscularium fibra-
 rum interstitiis, invisibilibusque cutis foraminibus intercluso)
 naturaliter ali, cutis cum subjectis musculis ubique locorum, præ-
 terquam in abdomine, quæ aliquantum collapsa existit, clare
 ostendit: cuncti sensus, si unum tactum, qui una cum motu in
 dextro femore & crure hebes est, excipias, vigent; vigor ani-
 mi nequaquam obtusus; supinum corpus semper, viribus muscu-
 lorum prostratis, jacet; ventriculus præcordiaque cum reliqui-
 imi ventris magna parte, & vehementer extensa sunt, & ad ta-
 ctum leviter sonant; persistit quidem menstruorum, & urinæ
 suppressio, verum tamen nulla omnino urinaræ vesicæ intum-
 mescentia manu percipitur; venter ne spiritum quidem per infe-
 riores partes reddit; neque cibi, neque potus cupiditas ne nunc
 quidem adest; attamen cremoris ex contusis dulcibus amygdalis
 cum aqua ex citreo malo expressi paulum sic affectam, a Matre
 assidue rogatam, sollicitatamque ante hos undecim menses per
 diem noctemque, degustare cœpisse, idque nunc quoque con-
 tinuare, certissimum est: nullus quidem sudor, præterquam in
 palmis manuum pedumque plantis, neque interdiu, neque noctu
 oritur: verum tamen oleagineam quandam materiam ex sebaceis
 universæ ferme cutis glandulis excerni, cum ex totius pene cor-
 poris graveolentia, tum præcipue ex unctuosa illa sorditie, quam
 suis indusiis inhærescere, Ægra hætenus se observasse, mihi re-
 tulit, certo constat: nullus fere ex naribus mucus; nulla pene ex
 ore saliva emittitur; difficillimus somnus est; corripit interdum
 quidam frigoris sensus; sæpe ventriculi, sæpius capitis dolor
 torquet; brachiorum, manuumque musculi in dextra præcipue
 parte continuo contremiscunt; crebra, difficilisque respiratio est:
 coagitantur semper cum corde arteriæ; tristitia sæpe quidem la-
 festat; interdum tamen hilaritas adest; nutrientia autem cly-
 smata in rectum intestinum injecta, ut protinus repelluntur, sic
 cujuscunque generis & alimenta & medicamenta vi deglutita

ex templo etiamnum redduntur. Veruntamen illud ignorare non oportet, acidulæ aquæ ex Fonte Lælio Recobarii apportatæ cyathum unum alterumve, inense circiter, antequam huic historix finem imponerem, potui datum, ventriculum retinuisse, eoque tempore Ægram urinam obscuri coloris exigua (quod tamen & proximè præterito anno, quo ne guttam quidem illius mineralis aquæ assumpsit, non semel accidit) quantitate reddidisse.

Quod genus, quæ natura hujus morbi & per quas causas hic factus & auctus sit, ad ea, quæ hactenus retuli, acriter attendentibus animum haud difficulter admodum, ut opinor, innotescet. Lotii eorum, quæ per aluum sanis excedere consue- runt, sudoris, menstruarumque purgationum suppressio, narium muci, salivæ insigniter imminuta secretio, hæc, inquam, omnia in eorum morborum numerum, qui a fluidorum in nostro corpore, aut ex toto deficientibus, aut notabiliter decrepcentibus cooriuntur separationibus, referendum esse, clare demonstrant; cœpisse vero a tristitia, & suppressis mensibus; artuum tremores; agitationes arteriarum, crebram difficilemque respirationem, distensionem ventris, insolitam abstinentiam, mentis motionem ejusmodi malis accessisse; exanimari interdum Ægram, inde ad se redire; odoribus cum suavis, tum fœdis hædi; conqueri modo de corde, modo de ventriculo, sæpe de capite; modo tristem, modo hilarem esse; interdum sopore premi, plerumque vigilare; dextro femore, dextroque crure resolutam interdum vi veri, inde se dextrorsum sinistrorsumque violenter convertere; varios appòsitos cibos potionesque summo fastidio habere; hæc, inquam, atque his similia, Virginem nostram vehementissime ex Vulva laborare, haud obscure indicant. Quod ad abditas continentisque istiusmodi morbi causas attinet: invisibilis fluidi ex cerebro ac cerebello euntis redeuntisque particulas in vehementes dissonasque motus a primordiis morbi, una cum nervis, tum ad exteriora, tum ad viscera, & ad uterum præcipue, finitimasque partes decurrentibus, repente actas esse, conjecerim. Increpente deinde paulatim morbo, continuantibusque nervorum filamentorum, per thoracem ac ventrem discurrentium, contractionibus, separationum excretionumque naturales

leges

leges ire corpisse præcipites, donec ad omnium pene, qui in nostro corpore sunt, humorum suppressiones inminutasve secretiones perventum sit. Ad hæc ingenti accearum particularum copia, animalium spirituum impetu, ac redineque (quæ longam abstinentiam sequi consuevit) ex evanescentium artierarum, ad ventriculum, intestina, jecur, splenem, uterum, peritonæum spectantium, arteriis reliqui corporis ob vehementes, in quas jam a morbi usque primordiis continenter aguntur, distractiones forsitan laxiorum: ex harum, inquam, artierarum sanguine expulso, inque earum partium sinus ac cavitates nequaquam resistentes compulso, universum pene vstrum vehementer distensum, & ventriculum ad eam distensionem redactum esse, ut motionem ad famem excitandam, retinendos concoquendosque cibos pernecessarias, jam obire non possit. Porro ut ex memoratorum spirituum in cor, artieras, thoracis aliarumque partium musculos influxibus, quam naturaliter esse debent, celerioribus, velocioribus cordis & artierarum motus, crebram difficilemque respirationem, musculorum tremores, continuasque pene vigilias enatas crediderim: sic inæquales vehementesque membrorum, quas una cum temporariis mentis commotionibus Ægram non semel hoc in morbo excepisse, ante retuli, agitationes ex dissimilibus præcipitibusque illorum ipsorum spirituum motibus exortas esse, existimarim. Sed illud potissimum objici mihi videor, qui fieri queat, ut juvenis hæc tam diu sine ullo omnino alimento vixerit, & solo liquoris, de quo supra memoratum est, potu vitam tot menses traxerit, ac etiamnum conservet. Quibus pro ingenii mei modulo respondeo; eam non multo secus ac viperas, in vitreis vasculis, verè, æstate atque autumno inclusas, seu potius terrestres cochleas, partem autumnii totamque hyemem in testaceis operculis sine omni plane esca viventes vitam trahere, verisimilimum esse. Namque & continuo jacet in lectulo, & visibilibus humorum penè nihil excernit. Emanare verò exigua corpuscula tum per invisibilia cutis foramina, tum per os ex pulmonibus, ut omnino negare non ausim, sic eorum corpusculorum, speciem vaporum habentium, haud multum admodum hoc in morbo extra corpus ferri, ex summæ tabis & sudoris in uni-

versa ferme cute absentia maxime probabile censeo. Quandoquidem sitaque jacens haud insigniter extenuatur, paululum admodum movetur, & visibillum quidem fluidorum fere nihil, invisibillum vero paucillum reddit, manifestum est, nec sanguinem, nec humores maximopere absumi: ac propterea ex villis, membranas, nervos, sanguinis aliorumque liquorum ductus musculosque constituentibus, mobilium particularum parum exhalare, atque per aera dispergi. Atqui assumendi cibi necessitas in universis animantium generibus ex villorum, memoratas partes compingentium, continua inanitione, notabilive continuo decedentium particularum naturales operationes, sive animales motus subsequi solita excretionem dependet. Juvenem ergo, de qua hactenus retuli, in qua fortasse oleaginei quoque humoris in sebaceis universae cutis glandulis, Celeberrimo animadvertente Morgagnio, separari soliti aucta praeter naturam crassities insensibilem (quemadmodum Medici loquuntur) transpirationem insigniter minuit, & jejunium septem amplius menses sustulisse, & paucio fluido alimento etiamnum sustineri, sine aliquo comuento prodigii edisseri potest.

Ratione haud multum admodum dissimili, quemadmodum Praestantissima Virgo ex Patritia gente Foscarena, Patavii in praesentiarum in coenobio D. Marci commorans, per triennium ferme (quod a Viris Amplissimis ejus Consanguineis accepi) tulerit abstinentiam: aliarque Virgines, quae referentibus Fr. Citefio eruditissimoque Fortunio Liceto, plures annos nihil plane assumpserit, vitam traxerint, per rationes mechanicis similes exponi, nedum enodate explicari posse complurium dierum mensiumve abstinentiae, a Jos. Quercetano, R. Dodonzo, Valefio Tarantano, Henrico Sampsonio aliisque observatae, causas mihi videtur.

Ex proposita historia, aliisque consimilibus, a modo allegatis Rei Medicarum Scriptoribus perscriptis, primum omnium constat: haud esse fabulam, homines interdum, mulieresque praesertim, quas uterus diutius male habet, a cujusque generis cibis & potionibus vi adversae valetudinis abstinentes, non duos tantummodo, tres, pluresve dies, quemadmodum credebat Hippocrates

Lib.

Lib. de flatibus, verum etiam complures menses, annosque vitam ducere posse. Ex hoc illud deinde colligitur, nostræ Aegræ corpus (mirum dictu) pro ratione longitudinis abstinentiæ haudquam esse extenuatum: secus ac in Puellis a Citesio, Quercetano, & Sampsonio in Ephem. A. N. C. Decur. 1 An. III, & a Fort. Liceto in libr. de iis, qui diu vivunt sine alimento, productis, in quibus flaccescens abdomen cum arescentibus inclusis visceribus longissimo jejunió extenuatum & ad spinam collapsum observabatur. Veruntamen de Virgine quadam Patavina, nostræ, quod ad abstinentiæ tempus aliaque morbi symptomata spectat; haud multum admodum dissimili, ex Alexandro Vigontia Medico narrans ante laudatus Licetus, nequaquam eam tabidam, sed vivido colore præditam extitisse, ait.

JO. PAULI KRESSII, D. ET P. P. IN. ACAD.

Jul. Specimen Jurisprudentiæ privatae, sive civilis, ex omni jure, quo in Imperio in causis decidendis utimur, delibatum.

Editio II.

Lipfæ & Helmstadii, sumptibus Christ. Frid. Weigandi, 1726, 8. Alph. 3.

Prodiit hoc Specimen Jurisprudentiæ civilis primum Jenæ A. 1709, cum ibi Consultissimus Autor jura profiteretur. Nunc de iterata ejus editione dicendi commendandis libri meritis fere superfedere possumus, quandoquidem per diuturnum satis tempus in omnium manibus fuit, neque paucorum exceptus est plausu. Deseruit Autor methodum veterem ac vulgarem, qua tractantur jura personarum, rerum & actionum, ordine vel Institutionum Imperialium, vel Digestorum servato. Omnem enim juris disceptationem ad duos revocavit articulos, *Dominium & Obligationem*. Dominium dispescit in singulare & universale; illud regulariter dominii nomine venit, hoc hereditatis. Obligationem pariter ad duo capita refert, facti liciti & illiciti; ad hoc delicta & quasi delicta, quatenus per ea in creditum imus, ad illud vero conventiones & regulas æquitatis, seu quasi conventiones perti-

ment. Horum omnium theoretica tantum speculatio est; nisi de effectu eorundem, seu actione in iudicio proponenda & modo publicam securitatem conservandi simul tractetur. Hinc Liber I agit de Dominio; lib. II de hereditate, lib. III de conventionibus & quasi, lib. IV de delictis; quatenus privatum interesse exin, de persequimur, lib. V de processu civili, lib. VI de processu criminali. Acute & ex rei veritate Ictus quidam in Germania nostra ætate celeberrimus iudicat; eos nova semper suspicioni se ipsos exponere, qui a communi via in doctrina juris declinant, an rem tetigerint acu? Utique & Nostro evenit, ut, quam sibi elegit, doctrinæ ratio laudetur ab his, culpetur ab illis. Præsertim, quod personarum jus sigillatim non sit expositum, sed partim hinc inde immisceatur, partim subiectum sit in fine per imodum auctarii, & velut extra Lares patrios vagetur, improbari audias. Sed quibus ordo partium juris in hoc systemate adhibitus non arridet, quod in methodo tractandi singulorum capitum jure desiderant, æque non habent. Inprimis conspicua est iurium Germanicorum, communium & particularium, expositio, eleganti nexu cum jure Romano conjuncta, principiis tamen propriis adstricta: et peculiaris obveniunt capita, juri Romano penitus incognita, plenius a Nostro explicata, quam in ullo meliorum systematum hactenus factum. Luculentæ vero sunt accessiones, quæ librum nunc typis recusum ornant, quippe non solum complura capita aucta emendataque comparent, velut *de rerum divisione, de usucapione, de possessione, de legatis, de successione conventionali, de cambiis, de contractibus rarioribus, de juramentis, de personarum divisione*, aliaque; sed integri etiam noviter inserti sunt tituli, *Lib. III, de universitate contrahente, de ratihabitione, de renunciatione, de reservatione, de regressu, & Lib. V, de jurisdictione, de concursu creditorum, de infamibus*, quorum peculiarem tractationem insignis horum capitum & frequens in foris usus sane merebatur. Id vero proposuerat Noster, ut non in Academicarum saltem prælectionum, sed in iudiciorum etiam usus compendium hoc adornaret.

HISTOIRE DE L'EXIL DE CICERON.

hoc

hòc est,

HISTORIA EXILII CICERONIS,
Autore MORABINO.

Lutetiæ, apud Andr. Cailleau, 1726, 12.

Pl. 21.

PLuribus jam abhinc annis cum Autor doctissimus intentus fuisset scribendæ Historiæ Ciceronis, cujus laudes in Præfatione magnifice prædicat, nunc solam exhibet quasi speciminis in modum Historiam exilii ejus. Jam quidem Constantius Felicius Durandinus duos ediderat libros, unum *de exilio Ciceronis*, alterum *de glorioso ejus reditu*. Sed hos plane contemnit Noster, additque, scriptos ab eo hos libellos fuisse vix annos nato septendecim. Nec ceteros magni facit, qui universam Ciceronis historiam descripserunt, adeoque desiderari adhuc recte perfecteque compositam ejus viti historiam existimat. Ultimo Præfationis loco magnas tribuit laudes Abbati *de S. Real*, ejusque annotationes MSS. in tertium & quartum librum epistolarum Ciceronis ad Atticum magno sibi in hoc opere fuisse adjumento, grato fatetur animo.

Ipsam hoc opus eum in modum est contextum, ut Autor omnem historiam hæuserit ex ipsis Ciceronis epistolis & orationibus, singula loca, quibus singulis historiæ partibus fides adstruitur, in fine operis exhibens. Nec vero simpliciter refert relata, sed omnia sub examen vocat morale & politicum, suumque passim interponit judicium. Rimatur item intimos animorum recessus, & cujusque ingenium ex vero describere animitur. Docet igitur initio statim, Cæsarem Clodio adiutorem fuisse in persequendo Cicerone, consiliis quippe ejus monarchicis acriter resistente; eundem tamen videri voluisse odisse Clodium, & nonnullis persuasisse, non alio consilio peti a Clodio consultatum, quam ut rescindere valeret acta a Cæsare in consulatu. Cæsari Pompejum judicat sola ambitione parem fuisse, ceteris omnibus rebus inferiorem. Ciceronem observat fuisse bonum virum & honestatis studiosissimum, non item callidum satis & acutum, sed simpliciorum, credulum, & illusionibus aliorum expositum. Docet quoque, quanta insit in illa lege injustitia, qua Cicero urbe fuit ejectus, ac flagitiosas Clo-

dii actiones describit per accurate. Exulis Ciceronis de mollitie animi & muliebribus lamentationibus & suam producit & aliorum sententiam. Præterea Attici singularem prudentiam demonstrat e consiliis ab eo datis exuli amico. Plutarchi quoque ac Dionis Cassii in historia Ciceronis errores aliquot notat, totumque opus finit in morte Clodii, ultimos tamen quatuor annos ejus vix primoribus attingens digitis. Non est nostrum, pluribus exponere historiam exilii Ciceronis, doctioribus jam satis notam. Illud ad ultimum profiteri debemus, adeo pulchre descriptam nobis videri hanc historiam, ut vehementer optemus, reliquam quoque Ciceronis historiam pari ingenio & industria elaborari a Cl. Autore & in publicum emitti.

NOVA LITTERARIA.

GENEVAE Vir Celeb. Jo. Jac. Mangerus, Med. D. & Potentiss. Regis Præfixæ Archiater, novum opus, duobus Tomis divisum, in sol. edere parat, cujus titulum sequentem nuper publicavit: *Bibliotheca Scriptorum Medicorum, veterum & recentiorum, in qua sub eorum omnium, qui a mundi primordiis ad usque Æræ Christianæ XVIII Seculi initia vixerunt, nominibus ordine alphabético adscriptis, vitæ compendia enarrantur, opiniones & scripta, modesta subinde adjecta in lingua, recensentur, ac selecta præcipua, sub quarumque propria appellatione, explicantur, sicque Historia Medica vere universalis exhibetur: opus doctis omnibus, maximeque Medicis utile ac per jucundum. Pro quo concinnando, necessaria undique, sive ex ipsis Scriptoribus Medicis antiquis, quorum Opera ad nostra usque tempora pervenerunt, aut aliis, tum iisdem contemporaneis, tum etiam subsequen- tibus, qui de illis verba fecerunt, sive variis Dictionariorum Compilatori- bus, & Scriptorum Medicorum Catalogis, Miscellaneis, præsertim Ger- manorum Curiosis, Actis Bartholinianis, Actis Lipsiensibus, Ephemeriti- bus, per totam Europam jam a multis annis variis linguis emissis, &c. non mediocri labore ac cura sunt exquisita.*

Subjecit Autor titulo monitum ad Clarissimos quoscunque Viros Medicos, quod ita se habet: Hic Medicæ Artis Cultores omnes, sive qui illam totam, sive qui aliquam tantum ejus partem edocent aut exercent, obnixè rogantur, Commentarios latine conscriptos de sua suorumque Vita perbreves, suffores verò de scriptis, a se ac suis editis, aut edendis, impertire velint, ut illa, convenienti quæque loco, cum debito elogio inferi queant. Ac propterea omnia sua illis, quibus id negotii a Bibliopoli nostris, Dominis D. Perathon & Cramer, demandatum fuerit, tradant, vel ad eosdem, propriis sumptibus, aut per sibi oblatas occasiones, quam- primum id ipsis commodum fuerit, perhumaniter transmittere non reculent, Nominibus magna cura & nitidissime adscriptis, ne aliquis in eorum impressione committatur error.

ACTA
ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCLXXVI.

PRACTICAL GEOMETRY APPLIED TO THE
useful Arts of Building, Surveying, Gardenig
and Mensuration.
hoc est,

GEOMETRIA PRACTICA AD ARTES
utilissimas, Architecturam civilem, Geodesiam, Archite-
cturam hortensem & Artem mensurandi applicata;
Autore BATTY LANGLEY.

Londini, ap. W. & J. Innys, J. Osborn & reliquos, 1726, fol.
Alph. i plag. ii Tabb. æn. 40.

Propositum est Cl. Autori principia Geometriæ elementaris
practica applicare ad Architecturæ civilis atque hortensis, nec
non Geodesiæ & Stereometriæ aliaque agnata problemata.
Quamobrem cum nonnisi levia ex Geometria subsidia disciplina-
rum istarum praxis petat; ideo quoque Noster, præter definitio-
nes Geometricas, comunissima tantum problemata, theoremata
paucissima, una cum figurarum descriptionibus docet. Quo-
niam vero in Architectura cum civili, tum hortensi præsertim
opus est figuris compositis, ex parallelogrammo, quadrato & cir-
culo ortum ducentibus; ideo Noster harum quoque figurarum
constructionem tradit, addita inprimis ratione radii circuli & la-
teris quadrati ad latera parallelogrammi. Agit etiam de corpori-
bus ex geometrica cubi truncatione ortis. Præliminaribus hisce,
tanquam artium, quas illustrare intendit, fundamentis *Parte pri-
ma* præmissis, *Parte secunda* progreditur ad geometricam Ordini
architectonicorum constructionem. Eos juxta celeberrimos
Architectos cum antiquos, tum recentiores atque modernos re-
præsentat, & quæ ex antiquitate restant monumenta, ex egregio
potissi-

potissimum opere ædificiorum antiquorum Romanorum *Anthonii Degodets*, in Actis A. 1683 p. 265 commendato, adducit, ita ut uno obtutu comprehendere atque inter se conferre possis, quæ in hoc argumento memoria prodita fuerit, si excipias *Goldmanni* nostri molimina, a *Wolfo* in Elementis Matheseos univ. exposita. Noster nimirum Ordinem Tuscanum repræsentat, qualem dedere *Vitruvius*, *Scamozzi*, *Serlius*, *Palladius*, *Vignola*, *Clericus* architectus Gallus, *Perraltius*, *M. Angelo*, *A. Bosse* & *Jones* Anglus. Ex antiquis monumentis adducit columnam *Trojani*. Doricum ordinem sistit, qualem prodidere *Vitruvius*, *Serlius*, *Palladius*, *Vignola*, *D. Barbaro*, *Cataneo*, *L. B. Alberti*, *I. Bullant*, *de Lorme*, *Perrault*, *Clericus*, *A. Bosse* & *M. Angelo*. Repetitur idem Ordo ex Theatro *Marcelli* & thermis *Diocletiani*, sistiturque simul ob oculos ordo *Perficius*. De ordine Jonico monstrat, quid senserint *Vitruvius*, *Palladius*, *Scamozzi*, *Serlius*, *Vignola*, *D. Barbaro*, *Cataneo*, *L. B. Alberti*, *Viola*, *de Lorme*, *Bullant*, *A. Bosse*, *Clericus*, *M. Angelo*, *Perrault*. Eundem adducit ex templo *Fortunæ virilis*, theatro *Marcelli* & thermis *Diocletiani*. Ordinem Corinthium delineat, qualem effinxere *Palladius*, *Alberti*, *Cataneo*, *D. Barbaro*, *Vignola*, *Serlius*, *Scamozzi*, *A. Bosse*, *Clericus*, *de Lorme*, *Bullant*, *Viola*, *Vitruvius*, *Perrault*, *M. Angelo*, & qualis in thermis *Diocletiani*, Frontispicio *Neronis*, & porticu *Pantbei* Romæ comparet. Ad Ordinem quoque Corinthium refert columnas in templo Hierosolymitano, & ob affinitatem ex *Clerico* quoque adducit Ordinem *Hispanicum* & *Galicum*. Denique compositum sistit, qualem exhibent *Serlius*, *Scamozzi*, *Palladius*, *Clericus*, *Perraltius*, *A. Bosse*, *Vignola*, & qualis in arcu *Titi* Romæ & in arcu *Leonis* Veronæ conspicitur. Capitula Ordinis sic dicti *Hispanici* & *Gallici* minime accedunt ad puritatem Architecturæ Græcorum, ut adeo iis præferri jure possit Ordo *Germanicus*, quem medium inter Jonicum & Romanum apud nos dedit *Sturmius*, capitulo una serie foliorum & sedecim volutis exornato. Quoniam vero Architecti neque antiqui, neque recentiores in mensuris partium, quas Noster sollicite exponit, consentiunt; ideo in tanta diversitate medias quasdam elicit. Tribuit altitudini stylobatæ *Toscani* 2, *Dorici* $2\frac{2}{3}$, *Jonici* $2\frac{2}{3}$, *Corinthii* 3, & *Compositi* $3\frac{2}{3}$ modulos. Pro parti-

partibus stylobatæ determinandis regulam cōdidit generalem, jubens dividi altitudinē in 120 partes æquales & earum 30 tribui basi, 75 trunco & 15 coronidi. Projecturam baseos stylobatæ facit in *Dorico* 12, in *Jonico* 14, in *Corinthio* 15, in *Composito* 16 minorum, coronidis vero in *Dorico* 14, in *Jonico* 17, in *Corinthio* 19, in *Composito* 22 minorum; projecturam baseos columnæ in omni ordine minorum 42. Altitudini columnæ *Tuscane* assignat $7\frac{1}{2}$, *Dorica* 8, *Jonica* $8\frac{1}{2}$, *Corinthia* $9\frac{1}{2}$, *Composita* 10 modulos. Altitudo baseos columnæ ipsi est modulo dimidio seu semidiametro columnæ æqualis. Assumit enim pro modulo diametrum columnæ in 60 minuta divisam. Capituli *Tuscani* & *Dorici* altitudo est æqualis altitudini baseos; altitudo *Jonici* ab imo abaci seu puncto interfectionis catheti & volutæ usque ad extremitatem hujus est semidiametro columnæ & parti decimæ octavæ æqualis; altitudo denique capitulorum *Corinthii* & *Compositi* est 1 mod. 10 min. Altitudo trabeationis uniuscujusque est 2 modulorum & projectura coronicis altitudini æqualis, excepta *Dorica*, quando mutulis instructa, eo enim in casu altitudinem superat projectura. Neque vero solum Noster per problemata distincte proponit, quicquid in delineandis Ordinibus architectonicis occurrit; verum etiam ædium ichnographias & orthographias conficere docet: quem in finem per modum axiomatum præmittit regulas, juxta quas singularum partium dimensiones determinantur. Ipsi nimirum propositum non est tradere architecturam civilem, cum problemata tantum solvat, quæ in delineandis operibus architectonicis Geometriæ elementaris flagitant opem. Ichnographiis ædium jungit alias, quarum in Architectura hortensi est usus & quæ ex civili communiter exulant, in præclaro tamen opere Gallico, quod sub titulo: *La Theorie & Pratique du Jardinage*, Parisiis 1709 prodit, comparent. In *Geodesia* artificia conficiendi ichnographias camporum, agrorum, hortorum, sylvarum & mappas chorographicas fideliter exponit: quem in fidem *Trigonometriæ planæ* explicationem præmittit. *Parte tertia* problemata planimetriæ & stereometriæ declarat & ad opera artificum in architectura civili & hortensi, nec non arte tignaria, obvia mensuranda transfert: Vulgo talia negliguntur in Architectura civili: fufius

tamen explicantur a *Bulleto*, Architecto Gallo, in *Architectura*, quam vocat, *practica*; Parisiis 1691 idioma Gallico edita. Tandem *Parte quarta* declarat Tabulas a se eum in finem computatas & æri incisas, ut mensurationes prædictæ absque calculo satis accurate perfici possint. Ceterum in Tabulis æneis Autor quoque Ordinum usum in januis & fenestris, itemque caminis monstrat. Quamvis autem titulus 60 circiter Tabularum æri incisarum mentionem injiciat; in ipso tamen opere non nisi quadraginta comparent, nec plures in præfatione commemorantur. Supplet Noster defectum, qui in operibus de architectura civili & hortensi rotantur, dum praxin principiis geometricis nixam fusius & majore perspicuitate tradidit, quam hactenus ab aliis fuerat factum.

JO. MELCHIORIS VERDRIES, D. MED.
Æ Phil. Nat. Profess. Publ. Ordin. Acad. Casareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum Collegæ, de æquilibrio mentis & corporis Commentatio, denuo recognita & maxima parte aucta. Accedit Disquisitio de Veneno Canis & animalium rabidorum, & quem illud inferre solet, morbo gravissimo, hydrophobia.

Giesæ & Francofurti, apud Joannem Müllerum, 1726, 4.

Alph. 1 plag. 12.

CL. Autor jam A. 1712 Dissertationem Academicam de æquilibrio mentis & corporis ventilavit: hoc vero tempore, quo de commercio inter mentem & corpus controversiæ acerbissimæ agitantur, multis accessionibus auctam & illustratam, denuo in lucem protulit & Commentationis nomine insignivit. Propositum ei est, harmoniam, concordiam & discordiam utriusque hominis substantiæ, status hominis sani & morbosi, temperamta & ex his provenientes animæ inclinationes, imaginationis nec non affectum in corpus humanum vires, ex genuinis principiis declarare & ad experientæ ac rationis leges expendere, propterea quod hoc argumentum longe utilissimum cum in Philosophia morali, tum in Medicina. Influxum physicum animæ in corpus incomprehensibilem judicat & tanquam inutilem ad explicandum commercium

um inter mentem & corpus rejicit. Omnia rectius & facilius patere arbitrauit per harmoniam inter utriusque substantiæ operationes ac mutationes. Quamvis autem in suspenso relinquat, quo pacto harmonia ista subsistat, & in beneplacito divini Conditoris acquiescat, ejus opus stupendum sese nec assequi, sed nec negare posse, ultro fatetur, addit tamen, quod in dubium vocari nequeat, *harmoniam hic adesse præstabilitam, prævisam*, Ecclesiast. XLIII, 19, *voluntati hominis libera hæud adversam*. Et illustris *Leibniti* systema harmoniæ præstabilitæ vocat ingeniosum, idque ubertius expoſi & dilucidius explanari affirmat a Cel. *Wolſo* in *Metaphysica* & Annotationibus ad eandem, tum & doctissime illustrari atque vindicari a Cel. *Bulſingero* in Commentatione de harmonia animæ & corporis humani maxime præstabilita, de qua diximus in his Actis A. 1723 p. 308. Monet præterea, hanc harmoniam præstabilitam, quæ sit chamæleon in oculis nonnullorum eruditorum, saltem ut hypothésin a laudatis Autoribus proponi, neque ulli obtudi, ut adeo yana sit adversus eos ira. Quid vero sibi cum æquilibrio corporis & animæ velit, his verbis explicat: *Est ea, inquit, virtus corporis & animæ ex lege consociationis se mutuo quasi cientium & conspirantium proportio, qua cum libero partium fluidarum & solidarum motu & actionum integritas & mentis animique vigor conservatur*. Sed agendum videamus paulo distinctius, quomodo Noster propositum suum exequatur.

Stabilita animæ inmaterialis existentia adversus *Materialistas*, & *Lockii* corpore cogitante inter contradictoria relato, notatoque *Idealistarum* errore, & explosa natura intermedia inter spiritum & corpus, quæ utraque substantia uniatur, benignissima Dei voluntate animam & corpus ea lege coivisse affirmat, ut, occasione certarum in corpore motionum, certæ cogitationes in mente exoriantur & vice versa certas hujus cogitationes certi corporis motus consequantur, sive, si illustris *Leibniti* sententia arriserit, animam æque ac corpus vi suæ quidem naturæ agere, actiones vero unius alterius operationibus, ex prævidentia divina sic ordinatas, tam exacte uno eodemque tempore correspondere, ac si uno agente perficerentur. Quamvis autem de modo unionis ipse nihil determinet, a modo tamen loquendi in tractatione non abstinet,

qui soli experientia innoxius, quæ ita junctas & conspirantes hæc actiones nobis exhibet, ac si influxu mutuo perficerentur, eoque rem, prout apparet, exprimit. Vi illius commercii animæ juxta Auctorem nostrum inclinationes variæ sunt pro corporis constitutione & temperie, ita ut e. g. temperamento sanguineo conveniat lætitia, vigor, promptitudo, curiositas, sed inconstans & vagarum sensibilibus, memoria & imaginatione magis, quam acris subtilique judicio & attentione longæ tractandarum, otii amor, negotii operosi aversio, honorum & gloriæ, quæ ex facili venit, cupiditas, ad omnia, quæ voluptatem pariunt, propensio & hinc vitæ intemperantia, ad res subitas trepida cunctatio, in periculis anxietas & consilii inopia. Temperamenta equidem non necessitant, sed tamen inclinant, ut adeo ingenium acuendi ratio a Medicina petenda, & vita sobria morum sit medicina. Similiter affectus animæ constitutionem corporis immutant, mentisque ac corporis æquilibrium non minus Medicinæ quam Ethicæ præceptis conservandum. Motus vitales solo corporis mechanismo perficiuntur, nullo præeunte voluntatis imperio, adeoque mere mechanici sunt. In voluntariis autem nutu suo motus nervorum fluidi, pulsu & pressione texti arteriosi in cerebro ad corporis partes jam derivati, dirigit mens & auget, aut funiculos nerveos hoc ipso fluido rite intentos stringit magisque intendit. Anima scilicet systemati nervoso ita præest, ut motum fluidi in illo contenti non tam producat, quam regat & ad hanc potius, quam aliam partem dirigat, & ut motu huic liquido, vel nervis ab eo tensis, a causis aliis impresso, occasione commotarum hac ratione fibrillarum medullarium cerebri varias sibi proponat repræsentationes, sive ideas. Sensatio, quatenus corporeis organis perficitur, harmonico fidium nervearum contremiscentium motu & vibratione absolvitur: cerebrum enim & organa sensoria referunt organa musica. Sensus communis est extremorum complementum & concentu illo quasi musico fidium fibratarum cerebri absolvitur, cujus occasione in anima enascuntur perceptiones & idæ. Imago est continuata, memoria iterata rei a sensibus externis oblata repræsentatio, atque a continuata vel iterata fibrillarum cerebri harmonica commotione ac concentu proficitur. Animæ adeo facultates

cultates sine organi corporei motu & concentu in hoc confociationis statu in actum deduci nequeunt. Unde deducitur ratio admirandorum effectuum imaginationis aliorumque phaenomenorum tam in statu naturali, quam praeternaturali corporis, v. gr. quomodo phantasia turbetur in ecclasi, affectus vehementes & contemplationes sublimiores usum sanæ rationis intercipient, habitus corporis & temperamenta ad actiones morales proclivitatem inducant, vigente corpore, ceteris paribus, mens quoque vigeat, & quæ sunt complura alia istiusmodi. Vicissim vero habitus corporis & temperamentum sequitur quoque actiones mentis, quoniam in statu confociationis animæ cogitationes & fibrillarum medullarium cerebri motus & concentus sunt simul & convenientissime conspirant, consequenter agitationes mentis & cogitationes actuum sequuntur & comitantur motus convenientes & proportionatos communis sensorii, sive principii nervorum. Vita corporis consistit in partium fluidarum ratione mixtionis & quantitatis legitime se habentium per solidas congrue dispositas & constitutas proportionato & æquabili tenore continuato motu: vita vero hominis in mutuo corporis viventis & mentis ratione gaudentis tranquillo commercio & ea concordia, qua & actionum corporearum liberum exercitium & mentis animique serenitas & facultates expedite conservantur. Affectus partium fluidarum dispositionem ac structuram solidarum maxime inmutant: quo ipso æquilibrium inter mentem & corpus tollitur, spargunturque multorum morborum semina. Instinctus sensuales obluantur rationi: unde lucta inter appetitum sensitivum & rationem. Phantasia plerumque stat a parte appetitus: intemperantia & sanitate & animi dotes corrumpit, idem efficit perspiratio *Sanctoriana* suppressa, omnesque humores spirituosi, narcotica & opiata perinde æquilibrium istud tollunt. Tollitur quoque idem per somnum & insomnia, pro temperamentorum diversitate diversa, nullibi autem evidentius, quam in statu praeternaturali febribus, item pica & malacia, appetitu morbofo, deliquis animi & epilepsia, nimia repletionem. A parte mentis tollitur æquilibrium per affectus & concursum ipsius in excitandis febribus, quæ nihil aliud sunt nisi affectus nervorum ac in horum oscillationibus ac con-

strictio.

Strictionibus potissimum consistunt, unde velocior oritur cordis
 impulsus aliorumque musculorum succursus, augeturque adstri-
 ctio tonica & major inde oritur tenuis in vasis minimis capillari-
 bus. Huc porro referuntur terror una cum aliis subitis animæ per-
 turbationibus, *απάθεια*, furor poeticus, mentis a sensibus avo-
 catio, melancholia ingeniorum sublimium; idiosyncrasia melan-
 cholica ad antochiriam ducens, animæ ad corporis partes nimia
 conversio & imaginationis extraordinarii affectus cum idiosyn-
 crasiis hæreditariis & adventitiis, idearum connexio, qua una
 alteram advocat, consuetudinis vis, fiducia ægri in medicamen-
 tum, phantasie lusus in gravidis; ejusdem effectus mirabilis in
 melancholicis & somniantibus. Multa Autor ex optimis quibus-
 que autoribus ubivis collegit phænomena singularia, eaque ad ra-
 tiones physicas revocare nititur, ita ut cum physicæ, tum artis me-
 dicæ studiosis plurima scitu digna atque utilia offerat. Id enim
 potissimum agit, ut ex corporis mechanismo explicet, quænam
 in corpore accidant mutationes animæ mutationibus consonæ, non
 minus in statu corporis præternaturali, quam naturali. Disquisi-
 tionem de veneno canis & animalium rabidorum, cujus magna
 pars haud ita pridem præbuerat argumentum dissertationis medi-
 cæ inauguralis, ideo appendicis loco subjunxit, quod ratione per-
 versæ mentis & hydrophobæ commodum hic inveniat locum. Ra-
 biem canum deducit a febre ardente violenta, venenum vero ca-
 nis rabidi esse contendit congeriem particularum salino sulphure-
 arum, saponacearum, ex salibus & oleis intime divisis & quasi
 patrefactis progenitarum, acrium, acutarum, scindentium, sub-
 tiliorum, mobiliorum, motuque vehementi concitatiore in flu-
 ido seroso agitarum, quæ in relatione ad corpus animale certa ac
 determinata sua dispositione ac motu, certoque penetrabilis acer-
 bitatis & corrosivæ activitatis suæ gradu aptæ natæ & ita compara-
 tæ sunt, ut fluidorum animalium mixtionem & crasim turbare,
 serum & salivam instar fermenti inficere, atque partes istius in
 consortium pravitatis suæ & similem motum abripere, & sic cum
 hisce simul infectis solidas partes ad spasmodicas contractiones
 stimulare, totius corporis harmoniam vitalem pervertere tan-
 demque extinguere possint.

D. GE.

D. GEORGII ERNESTI STAHLII, SAC. REG.
Majest. Boruss. Consil. & Archiatri Primarii, *Observationes
Medico-Practicae; quarum Classis I sistit febres.* Edidit D.
JOHANNES CHRISTOPHORUS GOETZIUS,
Inchyti, quod Norimbergæ floret, Collegii
Medici Membrum.

Norimbergæ, apud Petrum Conradum Monath, 1726, 4.

Alphab. 2 plag. 8.

CUM in studiorum suorum iniis Clariss. Goetzius antea cæco
præpossetæ polyhistoræ & ἐκδότης pruritu ductus vago
ubicunque erraverit pede, ut in Præfatione loquitur, titubantem
nullibi figendo gressum, sed suo tandem aliorumque secum erran-
tium periculo didicerit, consultius esse, si tyro artis sectarium,
eclecticum autem is demum agat, qui altius jam in eadem profe-
ctus, & quid eligendum, quidve rejiciendum, prudenter digno-
scere aptus sit, ducem demum sibi elegit Clariss. Stahlum; quem
per plurimas easque gravissimas pariter ac utilissimas tradidisse ve-
ritates, penitus cognoverat. Cujus consilii cum nunquam ipsum
penituerit, in grati animi tesseram, & ne in hoc stadio de-
currentes optimas suas vires in pervestigando, quid de rebus di-
catur, deterere cogentur, sed ipsi alacriores vegetioresque ex-
periendo, quid res ipsæ sint, periculum facere possent, nervum
ex Stahlit ejusque asseclarum Voluminibus exponere, sicque vi-
tæ brevitati artis longitudinem attemperare sategit. Luci igitur
publicæ exponere constituit opus, cujus titulus erit sequens: *D.
Georgii Ernesti Stahlit, Consilarii & Archiatri Regis Borussia Pri-
marii, Observationes seu Historiæ Medico & Chirurgico-Practicae,
quibus morborum potissimorum plurimorumque tum Historia spe-
cialis & exacta, tum methodus & remedia probatissima e diutina,
multiplici & felici Illustris Autoris experientia candide panduntur;
accedunt ejusdem Observationes Chymicae ac Physicae; ac denique
præmittitur Catalogus Scriptorum Stahlit aliorumque ad ejus men-
tem differentium, serie chronologica textus. Ex quibuscunque Illustr.
Autoris vulgatis Scriptis collegit, digessit, ipsiusque verbis recen-
sit & Indice locupletissimo ditavit D. Johannes Christophorus
Goetzius.*

Gœtzius. Hoc vero Opus in varias dispescet classes Editor, quarum I continebit Observationes seu Historias Medico-Practicas; sub quibus militabunt 1) febres, 2) hæmorrhagiæ, 3) congestiones, 4) morbi spastici & convulsivi, 5) toni relaxati, & remissi, 6) feroso-lymphales & intestinales, 7) generationis, 8) hæreditariæ ac consuetudinales: II Observationes seu Historias Chirurgico-Practicas; III Observationes seu Historias Chymicas & Pharmaceuticas, & IV Observationes seu Historias Physicas. Cepit quidem hoc consilium Clariss. Gœtzius, non quod solum Stahlium Dictatorem esse contendat, quod nec ipse pro sua probaret modestia, qui potius crebrius repeterere solitus est diciturum: Nec Stahlii nec Stahlio omnia esse vera. Illud quippe humanam excederet conditionem, ubi & bonus interdum dormitat Homerus; hoc autem aliis atque posteris omne in ad ulterius detegenda ac inveniendâ præcluderet viam, Artisque perfectionem, maxime quidem exoptabilem, significaret, a qua tamen multis, pro dolor! distamus parasangis. Quandoquidem autem nihil sit ex omni parte beatum, indeque facile prævideat atque concedat Clariss. Gœtzius, & in hisce suis laboribus plura adhuc desiderari posse, publice & impense tum Clariss. Stahlium, tum alios eruditos Medicos rogat, ut quæ cum ratione vel demenda, vel addenda, vel mutanda, verbo, corrigenda & monenda duxerint, benigne & amice indicare dignentur. Ea enim postmodum monita proxime insequentibus semper inferentur classibus, & iisdem vel debitus geretur mos, vel rationes, cur id non factum sit, allegabuntur. In presenti Tractatu observationum Medico-Practicarum Classis de febribus sistitur, cui præmissa est Recensio chronologica Scriptorum Stahlii & ad ejus mentem differentium. Scripta Stahliana quæ recensentur, sunt 276, Disputationes scilicet, Propemptica Insurguralia, Epistolæ gratulatoriæ, Præfationes atque Tractatus; quorum titulos non solum exhibet, sed & vel elogia illis addit, vel diversas editiones commemorat, vel contenta breviter enarrat Clariss. Gœtzius. Scriptorum vero ad Stahlii mentem differentium simplicem nectit catalogum, ita quidem ut Autores Alphabetica, Scripta eorum chronologica serie collocaverit, Qui Stahlii affectis adscribuntur, sunt Michael Alberti, Johannes Simon Bauer.

Bauermuller, G. M. M. P. T. Blazer, Emanuel Wilhelmus de Boellern, Matthias Wolfgangus Brunnerus, Johannes Valentinus Butzerus, Johannes Samuel Carl, Georgius Glacius, Georgius Daniel Coschwitz, Johannes Michael Craft, Philippus Johannes Denker, Johannes Deigendesch, Georgius Andreas Dern, Samuel Forbiger, Johannes Georgius Fuchs, Benjamin Gottlieb Garmann, N. Geelhausen, Andreas Ottomarus Gœlicke, Johannes Daniel Gohl, Christianus Helwich, Johannes Fridericus Henckel, Johannes Henricus Herlin, Andreas Hermannus, Johannes Christianus Hubner, Johannes Jungker, Johannes Kainold, Remigius Seyffert de Klettenberg, Johannes Georgius Kulmus, Johannes Christianus Kundmann, Johannes Daniel Longolius, Georgius Philippus Nenter, Johannes Christianus Pachhelbl vom Gehag, Huldericus Pelargus, Salomo Peyer, Johannes Zacharias Platner, Johannes Jacobus Reich, Christianus Fridericus Richter, Christianus Sigismundus Richter, Samuel Richter, Johannes Jacobus Rock, Godofredus Roth, Paulus Snell, Gotthold Ernst Struve, Gerardus Tabor, Godofredus Henricus Ulau, Conradus Burchardus Vogther, Johannes Petrus Wahrenorff, Christianus Weisbach, Bartholdus Wichers, Johannes Melchior Zentgravius, & Laurentius Petrus Zettermann. Ex hisce tamen haud pauci sunt, qui præter Disputationem Inauguralem nullo alio claruerunt scripto. Quod observationes Medico-Practicas Clariss. Stahlî attinet, de utilitate hujus libri & præstantia eo minus dubitare licet, quo certius est, Autorem observandi studium in Arte Medica etiam atque etiam commendasse, & qua ratione hoc sit excolendum, variis speciminibus docuisse. In hac Classe I Observationes tantum de febribus exhibentur, numero LXXVI, quarum fontes in margine annotantur, ex quibus sequentes nominasse sufficiat. Observatio 1 & 2 agit de febre acuta somno die critico & septimo judicata; 16 de diarrhœa variolosi nitro sedata, redeunte neglecta lethali; 17 de alvi obstructione quatuordecim dierum, etiamsi pulveres salino-nitrosi largius fuerint assumti; 19 de diarrhœa variolosi cortice cascarillæ sublata; 21 de variolis in infantibus a matre per totum gestationis tempus fluxum mensium ordinarium experta natis; 30 de morbilloso aquæ fragorum usu

in mortis periculum conjecto; 31 de spiritus salis in peripneumonia ufu minus commodo; 33 de pleuritide sudore iudicata; 38 de cholera periculosa ex infuso radicis hellebori nigri; 39 de ligno femiputrido pyri arboris cariofa, specifico antidysenterico militis cuiusdam; 40 de dysenterico conclamato vini hauſtu curato; 41 de dysenteria oleo lini fanata; 48 de febre tertiana, variis corticis Peruviani formulis frustra impugnata, conjugio tandem curata; 51 de tertianario alio halecis, alio cretae usu restituto; 65, 66 de tussi phthifica, & alia cum peripneumonicis vestigiis complicata, extracto peti curata; 67 de phthifico hecico equitatione multum levato. Hisce observationibus mantiffa loco subiunguntur Johannis Ludovici Apini Collectanea de febribus, praecipue intermittentibus, quoniam materia tractata affinia & praeter alia utilia tum methodum eiusmodi febribus medendi, tum dubia quaedam de Stahlis assertis continent.

CONCILIUM ROMANUM IN BASILICA

Lateranensi celebratum A. 1725 a Sanctissimo Patre & Domino nostro BENEDICTO XIII. Juxta

exemplar Romanum.

Augustae Vindel. & Graecii, sumptibus fratrum Veithior. 1726, 4.

Alph. 2 pl. 5.

Quanta cura quantoque ardore in id incumbat hodiernus Romanae Ecclesiae Pontifex, ut & ipse suo satisfaciat officio, & Episcopos ceteros exemplo suo splendidissimo excitet, in primis loquitur Concilium ab ipso superiori anno d. 15, 22, 29 Aprilis & d. 6, 13, 22, 27 & 29 Maji celebratum. Ac in ipsa Indictione Concilii, quae primum hujus libri locum occupat, profitetur, se particulare hoc concilium habere in animum induxisse ex lege Concilii Tridentini, qua unusquisque provinciae Episcopus singulis trienniis celebrare teneatur Synodum provincialem. Addit ibidem, se, quam diu praesuerit Episcopatu Beneventano, huic Tridentinae legi religiosissime paruisse. Decreta igitur novissimi Concilii hic exhibentur sub titulis XXXII, quorum primus est de summa Trinitate & fide Catholica, II de Constitutionibus, III de Rescriptis, IV de supplenda negligentia Praelatorum, V de temporibus ordina-

nationum, VI de ætate & qualitate præficiendorum, VII de officio judicis delegati, VIII de officio judicis ordinarii, IX de majoritate & obedientia, X de foro competenti, XI de feriis & festorum dierum observantia, XII de fide instrumentorum, XIII de iurejurando, XIV de appellationibus, XV de celebratione Missarum, Sacramentó Eucharistiæ, & divinis officiis, XVI de vita & honestate clericorum, XVII de clericis non residentibus, XVIII ne sede vacante aliquid innovetur, XIX de rebus Ecclesiæ non alienandis, XX de testamentis, XXI de Regularibus, XXII de statu Monachorum & Eremitarum, XXIII de religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ, XXIV de jure Patronatus, XXV de consecratione Ecclesiæ vel altaris, XXVI de Baptismo & Confirmatione, XXVII de Ecclesiis ædificandis vel reparandis, XXVIII de inimitate, XXIX de accusationibus, XXX de Magistris, XXXI de sententia excommunicationis, ac denique XXXII de Pœnitentiis & Remissionibus. Apparet hinc, Decretalium more sub triginta duobus titulis disposita esse decreta, quæ sunt numero centum & quatuor. Pauca ex his repetere libet. *Tituli primi Capite secundo* celebris illa Constitutio *Unigenitus* statuitur sacrosancta, ac sub gravissima pœna universis præscribitur tenenda: *Ibidem cap. 3* ipsi jubentur concionari Episcopi, saltem diebus Dominicis & solemnibus Festis. *Tit. II Cap. 2* jubentur provincialia Concilia haberi quolibet triennio. *Tit. XVI Cap. 2* jubentur Episcopi suæ dignitatis esse memores, & supra omnes locum sibi servare digniorem, vetanturque formulis uti humilioribus in epistolis suis earumque subscriptione. *Cap. 3* sacerdotibus interdicitur usu comæ fictitiæ, quam *Perucciam* vulgò vocant. *Tit. XXXII Cap. 1* excommunicatio decernitur in Medicos, qui tertio visitant infirmos, post decubitum non confessos. Post decreta *p. 94 seq.* exhibentur nomina Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum, qui Concilio huic interfuerunt & subscripserunt. Pari modo *p. 102 seq.* traditur euentus ministrorum hujus Concilii, Promotorum fiscalium, Secretariorum, Judicum querelarum & accusationum, Judicum excusationum & Recognitorum electionum Metropolitanorum, Magistrorum cerimoniarum, Notariorum, Scribarum, Olliariorum,

riorum, Theologorum, Decretalistarum, Historicorum, Chronologorum, & Geographorum sacrorum. Hinc p. 109-316 sequitur Appendix ad hoc Concilium. Ea continetur I Instructio ad facilitandam methodum docendæ bene doctrinæ Christianæ; II Constitutio Benedicti XIII de Præbendis Theologalis & Canonici Pœnitentiarum in Ecclesiis cathedralibus, ubi non sunt, instituendis; III Breve Clementis XI, quo a Card. Ursino, Archiepiscopo Beneventano, de executione cujusdam decreti Concilii provincialis certior fieri cupit; IV Constitutio Benedicti XIII, Abbatibus regularibus præscribens, ut infra annum a die eorum electionis Episcopalem benedictionem suscipere teneantur; V Constitutio ejusdem, qua locorum Ordinariis norma præscribitur coercedi Clericos beneficiatos in habitu laicali incedentes; VI ejusdem Constitutio, qua mandatur, ut in Italia parochis defunctorum, qui in Ecclesiis Regularium tumulabuntur, quarta funeralis persolvatur; VII Decretum S. Congregationis Concilii circa Subcollectores, datum A. 1677; VIII Constitutio Benedicti XIII, qua sua privilegia confirmantur Abbatiæ Ecclesiæ monasterii Casinensis Ord. S. Benedicti; IX Motus proprius Sixti V A. 1587 circa revocationem officii Archivisæ Ecclesiæ generalis in Urbe, & confectionem Inventariorum seu Platearum bonorum omnium ad singulas Ecclesias; X, Methodus formandi Inventaria bonorum ecclesiasticorum; XI Catalogus Scripturarum in Archivis curiarum Episcopaliū conservandarum; XII Instructio S. Congregationis Concilii pro Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & Patriarchis super modo conficiendi relationes de statu suarum Ecclesiarum, quas occasione visitationis sacrorum limitum eidem sacræ Congregationi exhibere tenentur; XIII Decreta S. Congregationis Episcoporum, de mandato Clementis VIII circa appellationes & inhibitiones; XIV Chirographus Benedicti XIII, vi cuius decernitur Promotor fiscalis generalis, qui patrocinium causarum criminalium pro curiis ecclesiasticis suscipiat; XV Decretum Clementis XI circa celebrationem in Oratoriis privatis; XVI Constitutio Benedicti XIII, qua confirmantur literæ, ab Innocentio XIII editæ, super ecclesiastica disciplina in regnis Hispaniarum; XVII Methodus servanda a Clero in Congregationibus

de

de sacris ritibus & casibus conscientiz singulis hebdomadibus habendis; XVIII Edictum Cardinalis Paulucci de vita & honestate Ecclesiasticorum Romæ existentium, & speciatim de habitu & tonsura clericali: quo inter alia *Peruccarum* usus interdicitur sacerdotibus sub pœna toties, quoties transgrediuntur; decem scutorum; XIX Brève Benedicti XIII, quo indemnitati piorum locorum Diœcesis Beneventanæ providens, abusus, qui super bonis in emphyteusim concessis irrepsert, tollendos decernit; XX Epistola encyclica sacre Congregationis Episcoporum & Regularium, qua ex mandato Clementis XI omnibus Prælati Italiani injungitur observantia omnium infra scriptorum quoad officia Monialium, non particularibus illarum expensis, sed communitatis monasteriorum exercenda; XXI Regulæ observandæ quoad Eremitas, destinatos ab Episcopis ad custodiam & servitium Eremitarum Ecclesiarumque ruralium; XXII Summarium Constitutionis Clementis VIII circa modum & formam observandam in erectionibus Confraternitatum; XXIII Constitutio Benedicti XIII, qua confirmatur Constitutio Pii II, decernens, primos medios fructus Beneficiorum vacantium Diœcesis Beneventanæ convertendos fore in reparationem, fabricam & incrementum dictæ Ecclesiæ; XXIV Ejusdem literæ Apostolicæ, quibus per totam Italianam providendis de beneficiis ecclesiasticis, non affectis aut reservatis S. Sedi, demandatur solutio mediæ annatæ favore fabricæ Ecclesiarum; XXV Ejusdem Constitutio, qua Gregorii XIV literæ Apostolicæ, certa excipientes delicta & casus, in quibus Inquisiti laici ecclesiastica immunitate gaudere non debent, confirmantur, nec non curiis ecclesiasticis forma, in eorundem Inquisitorum extractione a locis immunibus observanda, præscribitur; XXVI Decretum Sac. rit. Congregationis, prohibens laicis osculum Evangeliorum intra Missam, usum Baldachini in Ecclesiis, & assistentiam in Presbyteriis; XXVII Constitutio Benedicti XIII, qua locorum Ordinariis Italiani mandatur, ut Seminariorum erectionem sedulo promoveant, ac insuper nova instituitur Congregatio, Seminariorum nuncupanda; XXVIII Mandata pro Medicis quoad spirituales curam infirmorum; XXIX Instructio pro parvulis prima vice ad Sacramentalem Confessionem admittendis;

XXX Instructio pro illis, qui prima vice ad sacram Communionem accedunt. Nihil hinc excepimus, nisi quod p. 230 legendus commendatur *Thomas à Kempis*; quo ipso an lis definiatur de vero auctore librorum *de imitatione Christi*, viderint Romanæ Ecclesiæ Critici. Nec tamen & illud omittendum, postceas duas Instructiones Catecheticas autorem habere ipsum Pontificem Benedictum XIII.

THEOLOGIE CHRETIENNE
hoc est, **THEOLOGIA CHRISTIANA PER DIALOGOS**
exposita a CÆSARE PEGORIERIO, Ministro
Ecclesiæ Londinensis.

Amstelodami, apud Honoratum & Castellatum, 1726, 4.

Alph. 3 pl. 3.

NOva est hæc eademque multis accessionibus ornata editio Theologici Systematis, septem abhinc annis primum publicati. Rev. Autor non solum theoreticam hic, verum etiam practicam Theologiæ partem pertractat, duasque sibi præterea partes adversarias elegit, primo Scepticos & pseudophilosophos, quorum profanas obiectiunculas refelleret atque everteret funditus; deinde Pontificios, quorum & ipsorum errores in apicem produceret. Totum opus quatuordecim absolvit libris, quorum *primo* disputat de existentia Dei, naturalique ejus colendi officio; *altero* de S. Scriptura, *tertio* de natura & attributis Dei; *quarto* de creatione mundi; lapsuque hominis; *quinto* de Christo; *sexto* de rationibus consequendæ salutis æternæ; *septimo* de Decalogo; *octavo* de præceptis Evangelicis; *nono* de precibus; *decimo* de Sacramentis; *undecimo* de Spiritu sancto & ejus œconomia; *duodecimo* de prædestinatione & gratia; *decimo tertio* de vita mortisque æternæ; *postremo* denique de Ecclesia.

Non nihil ut hinc more nostro delibeatur, *Lib. I cap. 1* contendit, firmissimum esse argumentum illud pro existentia Dei, quod petatur ab ejus idea, *Cap. 4* dicta Spinozæ, quibus is oppugnavit miracula Biblica, refellit. *Cap. 6* contra Basium demonstrat firmita-

mitatem arguēti, ad p̄obandam Numinis existentiam peti soliti a consensu totius humani generis. *Lib. II Cap. 2, 3 & 4* demonstrative exponit divinam sacri codicis originem. *Lib. IV Cap. 1* ostendit, tantum abesse, ut mundus sit æternus, ut clarissima suppētant documenta novitatis ejus. *Lib. V Cap. 3 & seq.* demonstrat firmiter, Jesum Nazarenum esse verum Messiam. *Cap. 18* scandalum crucis Christi eximere studet profanis mentibus, octo contemplanda exhibens, quibus facile persuadetur, non esse omni modo impossibile, ut eam mortem subiret Dei filius; *Cap. 19* copiose probat veritatem resurrectionis Christi. *Lib. VI cap. 3* agit de officio veritatem sacram cognitam publice profitendi, etiam cum vitæ fortunarumque periculo; *Cap. 5* dilationis poenitentiae pericula exponit. *Lib. VII*, quo exhibetur longa totius Decalogi interpretatio, *Cap. 4 & 5* doctrinam Pontificiorum de cultu imaginum oppugnat, simul *cap. 6 & 7* illius cultus inter Christianos exhibens historiam. Occasione septimi præcepti agit *Cap. 17* de officio injuste alteri ablata restituendi, *Cap. 18* de avaritia, & *Cap. 19* de beneficentia. *Lib. VIII Cap. 1* de abnegatione sui met ipsius disserit; *Cap. 9* de luctu carnis & spiritus. *L. IX C. 3 seq.* copiose interpretatur Orationem Dominicam: *C. 10* refellit Pontificiam invocationem Sanctorum. *Lib. X Cap. 6* refellit transubstantionem, ejusque doctrinæ historiam *Cap. 8* exhibet. *Lib. XI Cap. 4* agit de peccato in Spiritum Sanctum, per quod significari censet Phariseorum blasphemiam, Christi miracula Diabolo auctori tribuentium. *Lib. XIII cap. 6 & 7* probat contraque dissentientes defendit poenarum infernalium æternitatem. *Lib. XIV Cap. 7* expendit, utrum Papæ an Protestantium Ecclesia sit vera Christi Ecclesia, septemque profert criteria, quibus constet, illam falso, hanc verissime dici Christi ecclesiam; *Cap. 10* agit de divina vocatione Reformatorum, Lutheri scilicet ceterorumque, ad reformandam Ecclesiam; *Cap. 11* demonstrat, Papam esse Antichristum. Ultimo loco exhibetur Appendix, in qua respondetur potissimum, idque breviter, ad ea, quæ Badius objecit Theologis resolvenda, simulque docetur adversus Huetium, Scepticismum tollere religionem omnem, cum theoreticam, tum practicam.

LES HYPOTYPOSES OU INSTITU-

tions Pirroniennes.

hoc est;

SEXTI EMPIRICI PYRRHONiarum

*Institutionum Libri tres, e Græco conversi in linguam**Gallicam, subjectis annotationibus.*

A. 1725, 12 maj.

Plag. 19½.

Fabricianam editionem Operum *Sexti Empirici*, in hac urbe A. 1718 vulgatam, recensuimus eodem anno p. 337 seq. Nunc exhibemus trium priorum Librorum, qui inscribuntur *Institutioni Pyrrhoniae*, versionem Gallicam, cujus quidem Autori usque adeo latere libuit, ut ne locum quidem, ubi typis ea fuit expressa, in titulo indicatum voluerit: etsi Bataviam facile prodit cum charta, tum literarum nitore. Id autem ideo factum sit ab Interprete, quia re vera sit, nec tamen haberi inter suos velit Scepticus, Lector ipsemet ex Praefatione judicet. In ejus exordio statim causas exponit, quibus adductus hanc versionem concinnavit. Scilicet Sextus ille non solum opiniones veterum Philosophorum magno numero tradit, verum etiam subtilibus argumentis docet, multa esse incerta in scientiis, quae vulgo habentur pro exploratissime veris, & exceptis exemplis nonnullis, rectissime ratiocinari solet, atque adeo pro magno habendus est Philosopho, ab eoque artem ratiocinandi merito debemus discere. Ceterum nos docet Interpretes, se objectiones Pyrrhonicas non applicasse ad Theologica dogmata, adeoque sibi vitio verti non posse, quod Scepticos hos libros omnibus legendos tradiderit; ac magnis celebrari laudibus Charitonium, Mich. Montanum, Vayerium, Gassendum, Bælium, Hueltium, quos Scepticos fuisse satis constet. Quod si quis miretur, Interpretem nostrum non solvisse dubitationes Sexti, imo multis earum suis in annotationibus roboris nonnihil adjicere conatum esse, eum considerare jubet, non esse interpretis, Autorem suum refutare: se vero addit nec parem esse omnibus iis solvendis, nec eruditorum in gratiam hanc interpretationem suscepisse. In-
terjecto hinc sermone de Sexti persona & ætate & scriptis, naturam
& in-

& indolem Philosophiæ Scepticæ describere aggreditur. Primum igitur monet, Scepticum magis videri contradicere aliis Philosophis, quam revera contradicere. Et enim tantummodo propositum esse, iis infirmitatem suorum argumentorum ostendere, eoque pacto efficere, ut non se condemnent mutuo, sed amice ferant. Cum itaque Dogmatici sint perturbatores humanæ societatis, ac diversum sentientes odio persequantur & injuriis, Scepticum, se æque ac alios errare posse, ratum, neminem condemnare, sed sequi quemque jubere id, quod visum ipsi fuerit verius. Imo si vel maxime id agat Scepticus, ut maximi momenti doctrinas evertat, non scopum ejus intuendum esse, sed vim argumentorum, iisque, si bona sint, cedi debere. Secundo loco docet Interpres noster, Scepticos non negare *apparentiam*, ut cum vulgò loquamur, sed potius concedere, e. g. *videri* dari motum, tempus, locum, colores, virtutes, vitia: imo actiones suas ad id, quod *videtur*, regere solere, etsi relinquat in medio, verene se res quæque ita habeat, ut videtur, an non. Rejicit proinde acumen Diogenis Cynici, deambulatione sua refutare conantis Scepticos adversus motum disputantes: a Diogene enim id solum probari, quod omnibus videatur dari motum: hoc vero non negari a Sceptico, sed ab eo veram motus existentiam impugnari firmo argumento. Tertio observare nos jubet, a Sceptico nec affirmari quicquam, nec negari, sed ita eum cogitare: tua sententia videtur esse vera: at opposita sententia pariter vera videtur esse. Jam vero, utrius partis argumenta sint firmitiora, perspectu difficillimum est: imo suæ cuique disputatori rationes videntur esse firmissimæ. Quarto addit, totum Scepticismum pro fundamento habere diversitatem sententiarum inter Philosophos. Quemlibet enim credere, a se clare cognosci suæ sententiæ veritatem. Cum igitur, uter fallatur, incertum sit, hæc sequi, de omnibus esse dubitandum. Quinto denique statuit, ea re Scepticismo maximam conciliari autoritatem, quod ostendat, philosophiam dogmaticam constare circularis vitiis & petitionibus principii, hoc est, dogmaticos semper obscurum probare per æque obscurum incertumque. Imo ipsius syllogismi autoritatem Noster labefactat, demonstrans, ut ipse quidem existimat, omnem

sylogismum esse petitionem principii aut circulum vitiosum. Hactenus Præfatio. Ad annotationes Gallico Sexto subjectas quod attinet, sunt eæ non ita multæ, & illustrando Sexto destinatæ sunt, magnamque partem petita ex editione Cl. Fabricii. Ceterum nullo loco Sextum suum refutat Interpres, nisi quod tertii Libri Capiti primo, quo Sextus ille contra Dei existentiam disputat, adjuvit dissertatiunculam septem paginarum, in qua defendit illam Sexti disputationem frigida quardam ratione, simulque contendit, Christianos, utpote qui exemplo Abrahami *credere & sperare debeant contra omnem credendi sperandique causam*, partim ex ratione, partim ex revelatione satis certos esse de existentia & providentia Dei.

LA VIE DE FRANCOIS EUDES

de Mezeray,

hoc est,

VITA FRANCISCI EUDESII MEZERAJI,

Historiographi Franciæ.

Amstelodami, apud Petrum Brunelium, 1726, 8.

Pl. 8.

NArrat Autor in Præfatione, jam triginta quinque abhinc annis hanc se Vitam composuisse, cumque nunquam, ut eam emitteret, ab amicis impetrari potuisset, nunc, postquam Longus in *Bibliotheca sua Historicorum Franciæ* multa de Mezerajo falsa tradidisset, se coactum esse eam publicæ luci exponere. Natus est Mezerajus (nam compendium libri in ore nostro exhibere libet) Ryæ, quod exiguum est oppidulum Normanniæ inferioris. Pater, cui nomen Isaaco Eudesho, chirurgiam ibi fecit, & tres reliquit filios, quorum medius est Historicus noster; minor natus, Carolus, nobilis evasit Chirurgus; major natus, Joannes, celebris concionator factus est & conditor sectæ cujusdam pietatis studium præferentis, quæ ab eo dicta fuit secta *Eudistarum*. Historicus in lucem prodit A. 1610: mensis ædies natalis latent. Postquam in Academia Cadomeni strenue ac felici successu emensus erat studia literaria, Lutetiam se contulit, creatusque Commissarius

rius

rius bellicus tribus expeditionibus interfuit. Cum vero suo genio minime congrueret hoc munus, eo sponte se abdicavit, privatusque vixit in urbe principe, ac ad ignobilitatem familiæ suæ tegendam adscivit nomen *de Mezeray*. Hic loci ut haberet, unde viveret, in animum induxit satyras scribere: quas cum edere non admodum periculosum eo tempore esset, & avide emerent populares, trium annorum spatio multum collegit pecuniæ. Hinc studio se dedit historico, cumque pro acumine mentis suæ permultos observaret errores in historicis Galliæ, vix viginti septem annos natus scribere aggressus est Historiam Galliæ, ac tam pertinaciter in hunc laborem incubuit, ut gravem sibi morbum contraheret. Quo cognito Richelius ei dono misit ducentos Imperiales: quod quidem multis eo consilio fecisse visus est, ut hoc pacto Mezerajum permoveeret ad laudes suas in historico opere prædicandas. Ceterum Mezerajus, ut historia sua pluribus placeret, ornavit eam imaginibus Regum ac Reginarum, itemque singulis Regum vitis præmisit Joannis Balduini, amici sui, epigrammata vitam cujusque breviter complexa. Nec sefellit eum spes sua. Nam primus Historiæ Tomus mirifico exceptus est applausu, etsi quidam moleste ferebant, Mezerajum superiores Galliæ historicos, Gaguinum, Paulum Æmilium, Haillanum, Setranum, & Dupleixium, inimiti persecutum esse censura. Tribus annis post, A. 1646 edidit alterum Tomum, & A. 1651 tertium. Posteriori hoc intervallo a quodam bibliopola conduci se passus erat ad emendandam & una cum continuatione sua rursus edendam Vigenerii versionem Gallicam *Historiæ Turcicæ Chalcocondylæ*. At cum Galliæ historia omnes ejus cogitationes in se converteret, factum est, ut Continuatio illa prodiret ineptissima dignissimaque contemptu. A. 1652 absoluto opere historico, satyræ suæ edidit scripta, adscito nomine *Sandricurii*, quibus acerbe infectatus est Mazarinum & alios viros principes. Non laudat hoc Biographus, imo graviter reprehendit, & libellos illos vocat seditiosos: maxime eo nomine notat historicum, quod satyræ vexarit Richelii nomen; immemor acceptorum ab eo beneficiorum haud tenuium. Postea Mezerajus ad *Breviarium Historiæ Gallicæ* componendum se accinxit, eique decem omnino annos impendit. Junxit laudabili consilio in isto

Breviario historiæ Gallicæ historiam ceterorum regnorum, itemque historiæ ecclesiasticam, nactus hic adjuutores Launojum & Duroisum. Prodiit prima hujus *Breviarii* editio A. 1668, idque applaudentibus quamplurimis, eruditis tamen errores in eo animadvertentibus haud paucos. Communiter tamen laudata fuit ejus sinceritas, libere professi, quicquid verum esse sentiebat. Inter alia cum aperuisset originem multorum tributorum, quæ Gallos erungunt, ea re provocavit in se indignationem Colberti. Correxerit quidem in editione anni 1672 aliquot ejus generis loca: sed tam parum satisfecit Colberto, ut is ipsum privaret dimidia parte stipendii regii, nec ita multo post totum id ei eriperet, cognito scilicet, Mezerajum in colloquiis familiaribus asperiora in se emisisse verba. Quod quidem naturale fuisse historico nostro, multis exemplis docet Biographus, magnæque ejus existimationi tribuit, quod impune tulerit dicacitatem suam in viros maximos. Quanti enim fieret in Gallia, ex eo facile apparet, quod jam A. 1649 adscitus fuit in Academiam Francicam, cujus posthac etiam factus Secretarius, prima jecit fundamenta celebris illius Academiæ Dictionarii. Diximus, admodum mordacis ingenii fuisse Mezerajum. Id pluribus hinc exemplis manifestum facit Biographus, ac simul exponit, quam intractabilem se gerere consueverit. Addit, & in moribus & in vestitu eum fuisse impolitum, atque accidisse quodam tempore, ut pro vago mendico a servis publicis comprehenderetur, trahendus in ergastulum. Illud etiam haud immerito refert inter inconditi moris specimina, quod intimam coluit amicitiam cum caupone quodam, nomine Faucherio, homine infulsi ingenii, eumque scripsit heredem bonorum suorum. Nec illud risu indignum censet, quod semper ad lucernam, etiam in ipso meridie æstivo, tractavit literarum studia, discedentesque a se amicos, qui forte eum invisebant, ad januam domus deduxit, lucernam manu tenens tanquam alter Cynicorum Diogenes. Ad religionem quod attinet, cum semper se præbuisset Scepticum & sacrarum irrisorem caerimoniarum, paulo ante excessum e vita coram amicis illius impietatis egit pœnitentiam, extinctus anni 1683 decimo die Julii. Quam avarus fuerit, ex eo docet Biographus, quod magnas reliquit opes: idque etiam

Testa.

Testamentum ejus demonstrat, quod totum hic exhibetur in ultimis libri paginis.

**CONSPECTUS THESAURI ANTIQUITATUM
Ecclesiasticarum, edendi à JOANNE FRANCISCO
BUDDEO, Theol. D. & P. P. O. & D. JOANNE
GEORGIO WALCHIO, Eloquent. & Poeseos
P. P. O. ac Theologiae Extraordin.**

Lipsiæ, sumtu Jo. Friderici Gleditschii B. Filii, 1726, 4.

Plag. 1.

Non tadebit integrum hic legere Conspectum, cujus modo titulum dedimus.

Qui ad rem litterariam promovendam consilia sua conferunt, jam dudum intellexerunt, plurima maximaque ad eam redundate commoda, si selectæ doctorum virorum commentationes, præsertim quæ exiguæ molis sunt, facile hominum oculis subducant, tandemque prorsus pereunt, colligantur, & in unum aliquod coire jubeantur corpus, & ita ab interitu vindicentur. Enata hinc sunt varia Syntagmata, Bibliothecæ, Thesauri, in quibus ejusmodi scripta, ad certam quandam eruditionis partem spectantia, junctim exhibentur, in quibus *Thesauri isti Antiquitatum Græcarum Romanarumque*, Gronovii atque Grævii, haud ultimum locum tenent; quorum etiam exemplo constat, ejusmodi collectiones orbi erudito haud integras esse. Optarunt itaque viri eruditi, ut simili ratione scripta selectiora, quibus varia Antiquitatis Ecclesiasticæ capita illustrantur, in unum collecta publicæ luci exponerentur; quamvis, qui manum ejusmodi operi admoverit, nobis hucusque non innotuerit. Cumque non dubitaremus, huncce eo magis se approbaturum laborem, quo latius antiquitatis ecclesiasticæ patet usus, & per omnem tum Theologiæ, tum Jurisprudentiæ, speciatim ecclesiasticæ, sese diffundit campum, eo facilius ad illum suscipiendum nos induci passi sumus; quo proniorem virum honestissimum, Joannem Gottliebium Gleditschium, invenimus ad saluberrimum istud institutum suis sumptibus promovendum. Neque omnibus ad istud perficiendum præsidii nos destitutos

tutos putamus; siquidem bibliothecæ quædam publicæ atque privatæ, eæque istiusmodi librorum apparatu haud mediocriter instructæ, nobis patent, ex quibus, quæ usui nobis esse possunt, depromere licet. Sed nec dubitamus, quin viri quidam doctissimi, quibus hocce studiorum genus curæ cordique est, ope consilioque nobis sint adfuturi, ut scopum, quem nobis proposuimus, eo rectius consequi possimus. Immo hæc ipsa hujus descriptionis causa est præcipua, ut eosdem ea, quæ par est, humanitate & observantia invitemus atque rogemus, ne illud facere dedignentur, sed potius sui erga bonas litteras amoris perennia hoc pacto statuunt documenta. Græto enim illud nos, immo rem litterariam & ecclesiasticam juvandi studium agnoscemus animo, publiceque laudare non intermitteremus, curabimus etiam, ne damni aut oneris quid ad quemque inde redeat. Monitis autem suis atque consiliis nobis proderunt, si ingenuè significaverint, quænam scripta Thesauri huic inferenda, quænam omittenda existiment; tum vero si rariora quædam, quæ nobis forte non innotuerunt, indicent, & occasionem, qua iis potiri queamus, suppeditent, magno hoc ipso nos afficient beneficio, cujus memoriam nulla unquam delebit oblivio. Ut autem, quid ab iis expectemus, eo rectius intelligant, instituti nostri, prout animo id concepimus, rationem paucis exponemus. Initio itaque sciendum, Antiquitatum Ecclesiasticarum, & quidem Christianarum, seu Novi Testamenti, ambitu istud circumscribi, cumque illis adeo, qui de Antiquitatibus Veteris Testamenti, aut Ebraicis bene meriti sunt, nihil nobis esse negotii. Cum autem porro nonnulli ecclesiasticas Novi Testamenti antiquitates, amplis vastisque explicaverint voluminibus; hostidem dimittimus, cum ejusmodi librorum interitus non temere metuendus sit, subinde etiam recudi soleant, omniumque sufficienti usibus, ne dicam, quod ita opus hocce immensæ prorsus molis futurum esset. Ejusmodi itaque conquiremus virorum doctorum commentationes, quæ non adeo magnæ molis sint, selectæ tamen, dignæque, quæ & cõservedur & legantur ab omnibus. Hæc si alio, quam Latino sermone conscriptæ sint, curabimus, ut accurate & eleganter in huncce convertantur. Omnes etiam istos libros perlustrabimus, priusquam typis tradantur, a vitiiis typographicis

phicis purgabimus; & loca veterum, ad quæ provocant, evolvemus, & num recte allegata sint, dispiciemus. Ordinem vero observabimus sequentem; ut *primo Tomo* exhibeantur scripta, generatim antiquitates ecclesiasticas illustrantia, aut earundem summam quãdam complectentia; *secundo*, quæ speciatim de personis sacris seu ecclesiasticis agunt; *tertio*, quæ loca cultui sacro apud veteres destinata describunt; aut quæ de iis observati digna sunt, tradunt; *quarto*, quæ dierum cultui sacro destinatarum notitiam suppeditant, sive quæ de diebus festis veterum christianorum agunt; *quinto & sexto*, quæ de cultus divini variis partibus, concionibus, precibus, hymnis veterum Christianorum, similibusque exponunt; *septimo*, quæ ritus veterum Christianorum circa baptismum & sacram cœnam pandunt; *octavo*, quæ disciplinæ ecclesiasticæ, pœnitentiæ publicæ, eorumque omnium quæ eo spectant, rationem nos edocent; *nono*, quæ vitam privatam veterum Christianorum, itemque eorum nuptias, ac matrimonia, ritusque matrimoniales, disciplinam domesticam, rem scholasticam & catechetica, sepulturam denique, & ritus in funeribus usitatos delineant; *decimo* denique, quæ de vexationibus afflictionibusque veterum Christianorum, & Martyribus, eorumque cruciatibus, & honore post mortem iis exhibito, Autores ex instituto commentati sunt. Ne vero specimen aliquod desit, ex quo instituti hujus eo rectius cognoscatur ratio, indicabimus ea, quæ Tomus primus complectetur. Sunt autem ista sequentia: I Compendium antiquitatum ecclesiasticarum ex scriptoribus apologeticis eorundemque scholiastis & commentatoribus concinnatum. II Plinii *Epistola ad Trajanum*, cum notis & commentariis integris Gerhardi Joannis Vossii, Francisci Balduini, Conradi Bittershufii, aliorumque. III Joan. Tesniari *processus gentilium in Christianos sub Trajano Casare institutus & illustratus*. IV Eusebii Alexandrini *oratio de die Dominica*, cum versione & notis Joan. Guil. Jani. V Conradi Samuelis Schurzleischii *Antiquitates Ecclesiasticæ*, ex manuscripto primum editæ. Volumina enim aliquod ipsius Schurzleischii manuscriptum, ex bibliotheca Vinariensi benevole; jussu Serenissimi Ducis, Domini nostri clementissimi, nobiscum communicatum est; ex quâ antiquitates istæ excerptæ, &

certo ordine dispositæ; ut integrum velut systema antiquitatum ecclesiasticarum exhibeant. VI Guilielmi Cavei *Christianismus primitivus*, in linguam Latinam translatus, testimoniis Patrum veterumque scriptorum ex ipsis fontibus summo studio adductis. VII Claudii Fleury libellus de *moribus Christianorum*, ex Gallicana lingua in Latinam conversus. VIII Joan. Frontonis de *moribus & vita Christianorum* dissertatio. IX Paganinus Gaudentius de *dogmatibus & ritibus veteris ecclesie*. X Joachimi Hildebrandi *sacra publica veteris ecclesie in compendium redacta*. XI Ejusdem, de *prisca & primitiva ecclesia sacris publicis, templis & diebus festis, enchiridion*. XII Joannis Christophori Wagenseilii *analecta de doctrina & ritibus Romanae ecclesie*. XIII Matthiae Larroquani *adversariorum sacrorum libri tres*. XIV Tobiae Pfanneri *observationes ecclesiasticae*. XV Joen. Francisci Buddei *dissertatio de origine, dignitate & usu nominis Christiani*. XVI Gottfriedi Arnoldi *historia cognationis spiritualis inter veteres Christianos*. Hisce alia adhuc ejusdem generis addi; aut si visum fuerit, omitti quædam possunt. Jenæ, die 10 Sept. 1726

INDEX AUTORUM,

Quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recensentur.

I Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

A Nonymi Concilium Romanum in Basilica Lateranensi A. 1725 celebratum.	540
Mnemosynon Jubilæi Evang. Magdeb. secundæ.	126
Historia Socinianismi.	259
Vetus Disciplina monastica.	305
Rasnagius (Jac.) v. Canisius.	
Rolchii (Petri) Tr. hist. chronol. de Patriarchis Antiochenis.	137
Buddei (Jo. Franc.) Conspectus Thesauri Antiquit. Eccl.	551
Canisii	

INDEX AUTORUM.

Canisii (Henr.) <i>Thesaurus Monum. Eccles. & Hist. ex ed. Jac. Basnæ-</i> <i>gii.</i>	1
Tom. II P. I, II & III.	82
Tom. III P. I & II.	145
Tomus IV.	323
Cellii (Olavi) <i>de Melonibus Egyptiis, Num. XI, 5, Tract.</i>	206
Georgii (Jac. Frid.) <i>Gravamina Imp. & Principum Germaniæ ad-</i> <i>versus sedem Romanam collecta.</i>	130
Hillieri (Matthæi) <i>Hierophyton.</i>	97
Hugo (Car. Lud.) <i>Sacræ Antiquitatis Monumenta historica, dog-</i> <i>mática, diplomatica. Tomus I.</i>	412
Langii (Joach.) <i>Causa Dei & religionis, Judæis revelata, adversus</i> <i>Naturalismum adserta.</i>	418
<i>Institutiones Studii Theologici litterariæ.</i>	170
Marckii (Job.) <i>Fasciculus Dissert. exeg. ad selectos textus Vet.</i> <i>Test.</i>	433
Millii (Dav.) <i>Editio Veteris Testamenti, ex versione LXX Interpre-</i> <i>tum.</i>	321
Moshemii (Jo. Laur.) <i>Cogitationum in N. Test. locos selectiores</i> <i>Liber I.</i>	513
Parkeri (Sam.) <i>Comment. in singulos libros Vet. & Novi Testamenti.</i>	544
Pegorierii (Casaris) <i>Theologia Christiana.</i>	262
Pezii (Bern.) <i>Bibliotheca Ascetica antiquo-nova. Tom. V & VI.</i>	319
Tom. VII & VIII.	95
Pilarik (Jo. Godofr.) <i>Meditationes poetica in libros Biblicos.</i>	52
Salmon (Franc.) <i>Tr. de studio Conciliorum eorumque Collectioni-</i> <i>bus.</i>	551
Walchii (Jo. Ge.) <i>Conspectus Thesauri Antiquit. Eccl.</i>	515
<i>Primitiæ Sacræ Jenensæ.</i>	421
Wokenii (Franc.) <i>Textus V. T. originalis Ebraus ab Enallagis libe-</i> <i>ratus.</i>	408
Wollii (Christoph.) <i>Comment. philol. de Parenthesi sacra.</i>	408
<i>Diss. de usu & abusu avθησες nominum divinorum sacra.</i>	408
<i>Diss. de loco Dan, Genes. XIV, 14.</i>	44
Zornii (Petri) <i>Bibliotheca antiquaria & exegetica in universam</i> <i>Scripturam S. Tom. I P. I, II & III.</i>	

II Libri Juridici.

Campiani (M. Augustini) <i>de officio & potestate Magistratum Rom.</i> <i>& Jurisdictione Libri II.</i>	439
Gebaueri (Ge. Christ.) <i>Paratitla ad Huberum e Jure Judicior. no-</i> <i>piss. Elect. Saxon.</i>	141

I N D E X

Heineccii (J. G.) & E. O. A. C. Pagenstecheri Epistola amabæ de sensu & genuina lectione L. 1 ff. de Curat. furios. & L. 28 ff. de probat.	23
Ad Legem Juliam & Papiam Poppeam Commentarius.	401
Homburg zu Vach (Jo. Frid.) Themis, seu de ortu legis æternæ secundum sententiam Græcorum Liber singularis.	369
Huberi (Ulr.) Praelectionum Juris Civilis Tomi III.	140
Kressii (Jo. Pauli) Specimen Jurisprudentiæ privatae, seu Civilis.	525
Lunig (Jo. Christ.) Thesaurus Juris Comitum & Domin. S. R. Imp.	100
Manzii (Casp.) Tract. de Testamento valido & invalido.	23
Otonis (Everardi) Thesaurus Juris Romani, Tom. I.	107
Pagenstecheri (E. O. A. C.) & J. G. Heineccii Epistola amabæ de sensu & genuina lectione L. 1 ff. de Curat. furios. & L. 28 ff. de probat.	23
Pfessingeri (Jo. Frid.) Nota ad Vitriarii Instit. Jur. Publ. Tomus III.	172
Seldeni (Jo.) Opera omnia. Tomi III.	481

III Libri Medici & Physici.

A Nonymi Actorum Medicorum Berolin. Decadis II Vcl. V & VI.	479
Adolphi (Christ. Mich.) Trias Dissert. Physico-Medicarum.	229
De S. Andrea Epistola de Magia, Maleficiis & Incantatoribus.	185
Benevoli (Ant.) Propositio nova de Caruncula Urethrae Carnositas dicta.	87
Büllingeri (Ge. Beruh.) Or. de progressu in theoria Magnetica.	354
Burggravii (Jo. Phil.) Tr. de existentia Spirituum nervosorum contra A. O. Gælicke Commentationem Medicam.	36
Fantoni (Jo.) Diss. duæ de Theriis Valdeïanis.	325
Franca Franckenau (Ge. Frid.) Epist. excerpta de machina pro calculo ex vesica tenaculorum loco sine hujus lesione extrahendo.	42
Friedelii (Dav.) promptui & expertus Medicus.	306
Gælicke (Andr. Ottomari) Spiritus animalis ex foro Medico relegatus.	36
Henckelii (Jo. Frid.) Pyritologia.	270
Kulmus (Jo. Adami) Tabula Anatomica.	179
Descr. anatomica fetus monstrosi &c.	180
Kundmann (Jo. Christian.) Promptuarium rerum naturalium & artificialium Vratislaviense.	42

A U T O R U M.

Marfilii Com. (Lud. Ferd.) <i>Historia physica Maris.</i>	241
Mead (Rich.) <i>Oratio anniversaria Harvejana.</i>	266
<i>Diss. de humis a Smyrnais in Medicorum honorem cusi.</i>	266
Michelotti (Petr. Ant.) <i>rari ac prope inauditi ex utero Morbi historia.</i>	517
Van Muschenbroek (Petri) <i>Epitome Elementor. Phys. Mathem.</i>	504
Ozanami <i>Recreationes Mathem. & Physica.</i>	119
Poleni (Jo.) <i>Epistola duæ de telluris forma, & de causa motus musculorum.</i>	244
ARipa (Ludov.) <i>Miscellanea (Meteorologico-Mathematica).</i>	27
Rizzetti (Jo.) <i>de luminis refractione Diss. Anti-Bernoulliana.</i>	275
Rotty (Guil.) <i>Tr. de viis Urinariis.</i>	500
Ruychij (Frid.) <i>Tr. anatom. de Musculo in fundo uteri recens invento.</i>	40
<i>Instructio de extrahenda placenta uterina.</i>	40
Schurigii (Mart.) <i>Chytologia Historico-Medica.</i>	286
Stahl (Georgii Ern.) <i>Observat. Medico-Pract. Classis 1, ex ed. Jo. Christoph. Gæzii.</i>	337
Vallisnerii (Ant.) <i>Lectio Acad. de origine fontium, ex ed. Gastonis Josephi Georgii.</i>	488
<i>Nova Observ. & Experimenta circa Historiam Medicam & naturalem.</i>	495
Verdries (Jo. Melch.) <i>Disquis. de veneno canis & animalium rabidorum & de hydrophobia.</i>	532
<i>Parelii duo cum parte Halonis, Iridem inversam representantis, observati.</i>	222
Wucherer (Jo. Frid.) <i>Institutiones Philosophiæ Naturalis ecclésiæ.</i>	188

IV Libri Mathematici.

BAtty vide Langley.	
Capassi (Dominici) <i>Observationes habitæ Ulyssipone circa primum Jovis Satellitem.</i>	365
<i>Observ. Astronomicæ ad elevationem Poli Ulyssipone inquirendam.</i>	365
Euleri (Leonh.) <i>Constructio linearum Isochronarum in medio quocunque resistente.</i>	361
AFleming (Jo. Frid.) <i>Miles Germanicus perfectus.</i>	377
Gærtneri (Andr.) <i>Organum Astrodiæticum globo cælesti applicandum.</i>	364
Gravesande (Guil. Jac.) <i>Physicæ Elementa Mathem. Tom. I.</i>	316
<i>Supplementum Physicum.</i>	316
Häufen (C. A.) <i>Solutio Problematis Leibneriani.</i>	226

INDEX

<i>De la Hire (Phil.) Tabula Astronomica.</i>	274
<i>Horrebovii (Petri) Clavis Astronomia.</i>	506
<i>Klindmii (Jo. Alb.) Descriptio calculi Astronomici.</i>	274
<i>De Koesfeld vide Zumbach.</i>	
<i>Langley (Batty) Geometria practica ad Architecturam civ. & hortensem, Geodesiam & artem mensurandi applicata.</i>	529
<i>Leichneri (Jo. Wilb. Theod.) Problema Arithmo-Technicum.</i>	225
<i>Leupoldi (Jac.) Theatrum Machinarum ad onera elevanda vel deportanda.</i>	174
<i>Theatrum Staticum universale.</i>	380
<i>Leutmanni (Jo. Ge.) Instrumenta Meteorognosia invententia.</i>	124
<i>Hyetostathmica duo & exatmoscopium, noviter inventa.</i>	124
<i>Meditat. de mensura quadam universali eruditis propria.</i>	124
<i>Van Muschenbrœck (Petri) Epitome Elem. Physico-Mathem.</i>	504
<i>Ozanami Recreationes Mathematica & Physica.</i>	119
<i>ARipa (Ludov.) Miscellanea (Meteorol. Mathematica).</i>	27
<i>Rizzetti (Jo.) Diss. Anti-Bernoulliana de luminis refractione.</i>	275
<i>Schulenburg (Jo. Christiani) Consilium de conciliatione diversorum celebrandi Paschatis institutorum.</i>	177
<i>Varignonii (Petri) Dilucidationes Analyseos infinite parvorum.</i>	118
<i>Nova Mechanica sive Statica.</i>	309
<i>Weidleri (Jo. Frid.) Institutiones Geometriae subterranea.</i>	226
<i>Zumbach de Koesfeld (Lotbaris) Saturnilabium.</i>	227

V Libri Historici, Geographici &c.

A <i>Nonyni Registrum Honoris de Richmond.</i>	9
<i>Historia Picturae Veteris.</i>	303
<i>Vita Oliverii Cromwellii.</i>	447
<i>Elogium Luderi Menckenii, J.C.</i>	473
<i>Vita Franc. Eudes Mezeraji.</i>	548
<i>Bembi (Petri) Historia Veneta.</i>	289
<i>Büllfingeri (Ge. Bernh.) Or. de satis literarum usque ad Academiæ Scient. institutis &c.</i>	354
<i>Cassii Dionis Romana Hist. libri ultimi tres, ex ed. Nic. Carminii Falconsis.</i>	435
<i>Le Cerf (Phil.) Bibl. hist. crit. Scriptorum Ben. Congr. S. Mauri.</i>	349
<i>Conradi (F. C.) Annotata ad Havercampi Dissert. numismaticas.</i>	155
<i>Duelli (Raimundi) Epistola de Inscript. geminis & nummis Romanis.</i>	486

A U T O R U M.

'Ab Eckhart (Job. Geo.) <i>Diff. de Imperiali ac Regio Palatio Sale in Franconia sito.</i>	386
Foscarini (Mich.) <i>Historia Veneta.</i>	289
L. B. de Gundling (Jac. Pauls) <i>Vita & res gestae Friderici II Elect. Brand.</i>	443
Havercampi (Sigeb.) <i>Diff. de nummo Alexandri M. quo IV summa Imperia continentur.</i>	149
<i>de nummis contorniatis.</i>	149
Jenkinsii (Leolini) <i>Epistola & alia monum. historica.</i>	247
Joannis (Ge. Christ.) <i>Miscella Historiae Palatinae.</i>	213
<i>Nova editio auctior Scriptor. Germ. Reuberi.</i>	344
Koeleri (Jo. Dav.) <i>Historia geneal. Comitum de Wolfstein.</i>	393
Leingnich (Gothofredi) <i>Historia rerum in Prussia Polon. ab obitu Sigismundi Aug. usque ad Stephani R. mortem gestarum.</i>	103
De Ludewig (Jo. Petri) <i>Reliquiae MSptor. omnis aevi Diplom. T. VII.</i>	346
Lunig (Jo. Christiani) <i>Codex Italiae Diplom. Tom. I.</i>	99
<i>Tom. II.</i>	441
<i>Theaurus Juris Comitum & Dominorum S. R. Imp.</i>	100
Mauroceni (Andr.) <i>Historia Veneta.</i>	289
Morabini <i>Historia exilii Ciceronis.</i>	527
Muratorii (Ludov. Ant.) <i>Rerum Italicarum Scriptores ab anno D ad MD. Tomus VI.</i>	49
Nani (Bapt.) <i>Historia Veneta.</i>	289
Nestefaranojii (Jo.) <i>Commentarii hist. regiminis Petri M. Russorum Imp. Tom I & II.</i>	214
Ovingtoni (Jo.) <i>Itinerarium Suratam versus &c.</i>	329
Paruta (Pauli) <i>Historia Veneta.</i>	289
Pedrusii (Pauls) <i>Imperatores in aere magno Tom. VI, VII & VIII. 5, 6. in aere mediocri & minimo. Tomus IX, a</i>	6
<i>Petro Piovane continuatus.</i>	6
Pfisteri (Salom.) <i>vita Matth. Hilleri.</i>	130
Piovene (Petri) <i>Imperatores in aere mediocri & minimo, seu operis numism. Pedrusiani continuatio. Tomus IX.</i>	6
Pistorii (Jo.) <i>rerum Germ. Scriptores, ex ed. Burch. Gottb. Struvii.</i>	341
Reuberi (Jusli) <i>rerum Germ. Scriptores, ex ed. Ge. Chr. Joannis.</i>	344
Sabellici (M. A.) <i>Historia Veneta.</i>	289
Schaßnat (Jo. Frid.) <i>Sylloge veterum Monum. historicorum.</i>	85
Steyerer (Ant.) <i>Comment. pro historia Alberti II D. Austr.</i>	208
Thorkhmidt (Jusli Christ.) <i>Antiquitates Plocenses &c.</i>	18
Vaillant (Jo. Foy) <i>Asfacidarum Imperium per nummos.</i>	193
<i>Achamemidarum Imperium per nummos.</i>	193
<i>De</i>	De

INDEX

<i>De Witt (Jo.) Literæ & negotia &c.</i>	15
<i>Decreta Statuum Fœd. Belgii.</i>	15
<i>Wynne (Wilk.) vita Leolini Jenkinssi.</i>	247
<i>Zeni (Apostoli) Collectio Historicorum rerum Venet. qui publica auctoritate scripserunt.</i>	289

VI Libri Miscellanei.

A Non. <i>Sermones in primo solenni Academia Scient. Imper. Russicæ conventurecitati.</i>	353
<i>Commentatio de Deo, mundo & homine, atque fato.</i>	455
<i>Büllfingeri (Ge. Bernh.) Dilucidationes Philos. de Deo, anima humana, mundo & general. rerum affectionibus.</i>	134
<i>Burnmanni (Petri) Epist. ad Cl. Capperonnerium, de nova edit. Quin-tiliani de Constit. Orat.</i>	338
<i>De Crofa (Jo. Petri) Diss. Philos. Theol. de mente humana substantia a corpore distincta & immortal.</i>	451
<i>Donati Commentarius in Terentium.</i>	252
<i>Fabri (Basili) Thesaurus eruditionis Scholastica, ex ed. Jo. Matthia Gesneri.</i>	422
<i>Fabricii (Jo. Alb.) Bibliotheca Græca Vol. XII.</i>	351
<i>Feithii (Everh.) Antiquit. Homer. Libri IV.</i>	221
<i>A Fleming (Jo. Frid.) Miles Germanicus perfectus.</i>	377
<i>Hahnii (Sim. Frid.) Collectio Monum. vet. & recent. T. II.</i>	350
<i>Heumanni (Christoph. Aug.) Pacile, sive Epistolæ Miscellaneæ. Tomus II Lib. I.</i>	218
<i>Lib. II.</i>	511
<i>Hollmanni (Sam. Christ.) Observ. elenctica in controversia Wolfstana.</i>	455
<i>Homborgk zu Vach (Jo. Frid.) Themis, seu de ortu legis æternæ secundum sententiam Græcorum.</i>	369
<i>Ketzleri (Jo. Frid.) Poëmata Latina & Germanica.</i>	142
<i>Ekoleseri de Keres-eer (Sam.) Litteris de litteratura Tungutana excerpta.</i>	327
<i>Lindenbruchii (Fr.) Observationes in Terentium.</i>	252
<i>Lucani (M. Annæi) Pharsalia.</i>	78
<i>Marklandi (Jer.) Epistola critica ad Franc. Hare de locis quibusdam Horatii.</i>	468
<i>Mead (Rich.) Oratio anniversaria Harvejana.</i>	166
<i>Mulleri (Jac. Frid.) Articuli generales de veris & falsis Philosophis.</i>	138
<i>Nemeiz (Joach. Christoph.) Inscriptionum Fasciculus.</i>	332
	Peri-

A U T O R U M .

Perizonii (Jac.) Annotationes ad Suetonium.	127
Plinii Historia Nat. Liber XXXI de Piclura illustratur.	302
Quintilianii (M. Fabii) de Oratoria Instit. Libri XII ex edit. Claudii Capperonnerii.	337
A Rusdoff (Jo. Joach.) Consilia politica & Epistole.	296
Schelhornii (Jo. Ge.) Amœnitates Litterariæ. T. III & IV. Tom. V.	90 397
Seldeni (Jo.) Opera omnia. Tomi III.	481
Sexti Empirici Pyrrhoniæ Institut. Libri III, Gallice.	546
P. Terentii Comœdia, ex ed. Arn. Henr. Westerbovii.	252
Thummigii (Lud. Phil.) Institutiones Philos. Wolfiana. Tomus II.	265
Verdries (Jo. Melch.) Commentatio de æquilibrio mentis & corporis.	532
Wolfii (Christiani) Oratio de Sinarum Philosophia practica.	232

I N D E X R E R U M
N O T A B I L I O R U M .

A & E. literæ, a Veter. permu- tata. 389	Actionum humanarum norma. 233
Abenephius de servit. Ægypt. Isr. 46	Acus magnetica inventor. 357
Academix condendæ jur. 173	S. Adalberti vita. 83
Scient. Petropol. de- scriptio. 354-356	Additio mercatorum explicata. 120
Præses	De Adelheide, Ottonis I Imp. con- juge, Libri II. 83
laudatus. 356	Adlzreiter notatus. 446
Academiæ & Schol. ill. Cata- logus. 173	Adolphi Imp. in Halberstadenf. favor. 347
Scientiarum histo- ria & ratio. 354-355	Adversariorum nomina quando reticenda? 136
Acedux (Cynthii) nomen unde? 293	Æquilibrium mentis & corporis ut tollatur? 535-536
Acetum num calidum sit, an fri- gidum? 499	Æquilibrii mentis & corporis de- finitio. 533
In Acetum vini degeneratio un- de? 499	conservandi modus. 534
Achæmenidarum Historia. per numeros. 193-195	Aer Lipsiensis. 230
Acherii (Luca) modestia lauda- ta. 400	Aerometria Wolfii commendata. 378
	Æternitatis independentis a de- pen-

I N D E X

<i>pendente differentia.</i>	460	<i>Amor, prima rerum causa.</i>	370
<i>Affectuum animi vis in corpus.</i>	534sq.	<i>Amores sublata veste nctati.</i>	152
<i>Agitatores in Anglia.</i>	449	<i>Anabaptistarum historia.</i>	260
<i>Agricola notatus.</i>	270	<i>Analemmatis rectilinei univer-</i>	
<i>Agyptarum arcana detecta.</i>	124	<i>salis demonstratio.</i>	121
<i>Alex quid in nummis Alexandri</i>		<i>Analysii infinite parvorum Ho-</i>	
<i>Magni?</i>	152. 162	<i>spitalii illustrata.</i>	118
<i>quid in monum. Vet.</i>	488	<i>perfecta quanam?</i>	139
<i>S. Albani acta.</i>	145	<i>Anamorphoses imaginum ope</i>	
<i>Aibetti II D. Austr. Histor.</i>	208 sq.	<i>speculorum perficienda.</i>	120
<i>annis natalis.</i>	210	<i>Anastasi Abbatis varia.</i>	3
<i>Alcuini (Flacci) Epistole & alia 2</i>		<i>Anatomicæ tabula nova.</i>	179
<i>Alexander Severus leonis exuvias</i>		<i>injectiones in vasa ut</i>	
<i>cur in nummis indutus?</i>	154	<i>paranda?</i>	497
<i>Alexandri M. nummi illustrati.</i>	149sq.	<i>Anatomicorum scriptorum re-</i>	
<i>Alexandri (Hier.) Navis Eccl.</i>		<i>censo.</i>	180
<i>Symb.</i>	45	<i>Andree (Jo. Val.) Symbolum:</i>	
<i>De Alexandrinis Patriarchis qui</i>		<i>sufficit.</i>	93
<i>scripserint?</i>	197	<i>Andronici Dial. contra Judæos.</i>	146
<i>Alfenus an Alphenus dicendum?</i>	113	<i>Anemometerum novum.</i>	125
<i>Agorithmus ope libræ absolven-</i>		<i>Anemometra varia.</i>	384
<i>dur.</i>	318	<i>Anguillarum ovarium.</i>	499
<i>Altitudinum metiendarum in-</i>		<i>Anguis quid notet in nummis?</i>	168
<i>strumentum.</i>	386	<i>Ani proclivitas.</i>	286
<i>Altstadenſis Palatinatus fuit pe-</i>		<i>clausura.</i>	288
<i>nes Comites Mansfeldenses.</i>	348	<i>Animæ partis super. & infer. dif-</i>	
<i>Alvi facies.</i>	286	<i>ferentia quod habeat momen-</i>	
<i>adstrictio.</i>	286	<i>tum in moralibus?</i>	234
<i>fluxus.</i>	286	<i>qualis vis competat?</i>	452
<i>obstructio ab ira & terrore,</i>		<i>facultates ut in actum</i>	
<i>diuturna.</i>	288	<i>deducantur?</i>	535
<i>ab esu uvarum</i>		<i>Animalia in tenebris lucentia.</i>	123
<i>sum cariblis.</i>	288	<i>Animus hostilis auctoris unde no-</i>	
<i>facies per vaginam uteri ex-</i>		<i>scatur?</i>	135
<i>creta.</i>	288	<i>Animi dotes ut corrumpantur?</i>	535
<i>per tumorem in in-</i>		<i>Anni Imp. quando in diplom. Pon-</i>	
<i>guine excreta.</i>	288	<i>tifomitti cæperint?</i>	207
<i>Ab Alvi obstructione tumor in in-</i>		<i>S. Anselmi defensio Greg. VII. 83</i>	
<i>guine.</i>	288	<i>Anselmi Descri. Terra sanctæ.</i>	146
<i>Ambrosia quid in Mythologia?</i>	372	<i>De Antiochenis Patriarchis Tr.</i>	
			197sq.
			Antio-

R. E. R. U. M.

antiochena: <i>Ecl. Fundator.</i>	198	Architectura <i>hortens. Autores</i>	531
antipathia animalium.	286	<i>Civilis principia</i>	
<i>variarum rerum.</i>	287	<i>Geometrica.</i>	529
Antiquitatum <i>Ecl. Thesaurus</i>		<i>regula.</i>	531
<i>promissur.</i>	551	<i>militaris singularia.</i>	379
Antix genus novum.	123	De Architecton. ordinibus scri-	
Ad Antias publicas condemnati.	165	<i>ptores.</i>	530
Aorta <i>justo major.</i>	184	Architectonicus ordo <i>Gallicus,</i>	
Apollonii <i>Tyanai nummus.</i>	155	<i>Hispanicus, Germanicus.</i>	530
Apostolus, <i>Germanice Zuvölffbo-</i>		Arctini (Leonh.) <i>Invectiva in Car.</i>	
<i>the.</i>	87	<i>de Malatestis.</i>	92
Appetitus ad cibos.	286	Argenti parum in <i>pyrite.</i>	273
<i>sensitivi ad concordiam</i>		<i>vivi gravitas absoluta.</i>	382
<i>rationalis reductio.</i>	234	Aristex <i>fabula explosa.</i>	425
Inter Appetitum <i>sensitivum &</i>		Arlingtonius <i>accusatur, se strenue</i>	
<i>rationem luctu unde?</i>	535	<i>tuetur.</i>	250
Apuleji nummus.	155	Armenix <i>Regum Eleuchus.</i>	195
Aqua <i>Lipsiensis.</i>	239	Arminianismi <i>historia.</i>	260
<i>suffoc. et anatome.</i>	184	Arnoldi (Henr.) <i>obitus.</i>	264
<i>marina per quas vias ad</i>		Arnoldus (Godofr.) <i>notatus.</i>	129
<i>fontes perveniat?</i>	489	Artacidarum <i>Historia per num-</i>	
<i>pluvialis an fontibus pre-</i>		<i>mos.</i>	193, 195
<i>beas originem?</i>	489, 490	Arsenici <i>preparatio in usum Me-</i>	
<i>ad quam profundita-</i>		<i>dicum.</i>	499
<i>tatem penetret?</i>	491, 492	<i>productio ex pyrite.</i>	271
Aquæ <i>gravitas determinata.</i>	122	Arteria <i>aorta ampla.</i>	184
<i>absoluta.</i>	382	Arteriæ <i>aortæ stentoma cum po-</i>	
<i>per foramen effluxus deter-</i>		<i>lypo cordis confusum.</i>	480
<i>minatur.</i>	319	<i>spermatice recens inven-</i>	
In <i>Aquas celestes Carmen.</i>	96	<i>ta.</i>	502
Aquila <i>biceps Brandenburgicæ o-</i>		Asilus <i>quale insectum?</i>	498
<i>lim propria.</i>	348	Asinus, <i>Judeorum Deus.</i>	46
<i>ut e nummis Brand.</i>		Asthma <i>hypochondriaco-spasmo-</i>	
<i>migraverit in sigillum Imperii?</i>	348	<i>dicum, motu corporis sublatum.</i>	480
<i>a quibus olim ad-</i>		Astræa <i>eadem ac Dice.</i>	374
<i>scita?</i>	349	Astroclii <i>descriptio & usus.</i>	364
Aræometra <i>varia.</i>	382	Astronomi <i>Annales emendati.</i>	345
De <i>Arboribus Scriptura S. Tract.</i>	130	Astronomicæ <i>observationes Ulys-</i>	
Architecturæ <i>hortensis theoria</i>		<i>sponesactæ.</i>	365/4.
<i>geometrica.</i>	529	Bbb b 2	Astro-

INDEX

Astronomicorum problematum solutio.	121	Barometrorum descriptio & usus.	122
Athei hypotesis virtuti adversa.	267	lux unde?	384
Athletarum Victoria nummis conzorniatu representata.	153	Baronius (Cas.) notatus.	59. 67sq.
Atramenta sympathetica.	122	Basileense Concilium rejectum.	62
Atrophia verminosa defuncti Anatomie.	480	Balilides (Jo.) a tyrannidis calamia liberatus.	215
Attici prudentia.	572	Basnagius (Jac.) notatus.	16
Attractionis vitri effectus.	318	laudatur.	147
Avellani (Petr.) loca Autorum resituta.	116	ejus vita.	148sq.
De Aventini (Jo.) Annalibus Diss.	398	Beccatelli (Lud.) vita P. Bembi.	294
Augusti gula quid?	14	Bedæ Acta S. Cuthberti.	1
Augustinus (Ant.) de Nomin. propriis Pandectar. Flor.	110	BEEA quid notet in nummo Bernardi Ducis Saxonia?	349
Avium usus Benedictinis prohibitus.	308	Belenium quid?	46
Aureoli prænomen errore ascribit Theophr. Paracelsus.	397	Bembi (Petr.) Historia Veneta.	291
Auri parum in pyrite.	273	vita etlogia varia.	294
Austriaca historia promissa.	209	statua Patavis.	395
Autores, qui de Ordinibus Architectonicis scripserunt.	530	S. Benedicti Capitula.	305
De Auxesi nominum divinorum sacra Tract.	412	effectum veteris differt a recentiori.	308
Bacchi triumphus in nummis.	162	In S. Benedicti Regulam Catena Commentariorum promissa.	306
Bælius (Petr.) refutatus.	545	Benedictinorum e Congr. S. Mauri scriptorum Bibliotheca nova.	399
De Baldensel (Guil.) Hodæporicum ad Terram S.	346	S. Bernardi Ordo Cluniacensis.	307
Balduini Archiep. Trev. gesta.	145	Bernoulli (Jo.) notatus.	275sq.
Baluzii (Steph.) de Conciliis merita.	64	theoremata Mechanica generale.	313 314
Bancroftii (Rich.) Bibliotheca in Cantabrigiens. translata.	484	Bessarionis liberalitas in Venetor.	294
Barometra varia.	383	Biblica Bibliotheca nova.	513
Barometri lucidi constructio.	384	Bibliographia studii exegetici.	419
		De Bibliorum versione Latina nova consilium.	419
		Bibliothecæ D. Marci Venetis incrementa unde?	294
		Collegii Sionis Londinensis Catalog. promissus.	303
		Cantabrigiensis ex Bancroftiana incrementa.	484
		Bi.	

R E R U M.

Bibliotheca Bodlejana e Seldeni- ana augmentum. 484	Buderus (Christ. Gottlieb) lauda- tur. 344
Krafftii de Delmen- gen clogium. 91.94	Bullfingerus (Ge. Bern.) laudatur. 135
Binius notatur. 62	ejus studium in bar- moniam praestabilitam commen- datum. 533
ejus Collectio Concil. prima & altera. 62.63	S. Burchardi Vita. 83
Bipennis Smyrnaeorum Insigne. 160	Burchardi Notarii Epist. de exci- dio Mediol. 51
Bipontinae historiae Miscella. 12.13	Burgemeister (Jo. Steph.) lauda- tur. 101
Bithyniae Regum historia. 196	Burgii (Petri) Electa. 116
urbes clarae. 196	Burmannus (Petr.) vindicatur. 144
Blumentrott (Laur.) encomium. 356	338 sq.
Boamundi Epistola ad Urbanum II. 345	Ad Burri (Franc. Jos.) historiam analecta. 398
Boncampagni de obsidione Anco- nae. 51	Van Bynckershoek (Corn.) vindi- catur. 404
studia & atar. 51	De Byllo tractatio. 133
Boni quinam inter Viros claros cognominati. 219	C Adaveris humani singularia. 184. 185
S. Bonifacii vita. 283	De Caducaria lege Papia obser- vata. 407. sq.
A. S. Bonifacio Synodi quinque in Germania habitii. 388	Cædispana Eccles. singularis. 86
Borellus (Jo. Alph.) notatur. 315	Calmeri (Augustini) Dissertati. in Genesis Anglice versa. 515
commendatur. 316	De Caini signo poema. 96
Borelli (Jo. Alph.) scriptus, circa ponderis a duobus alis juxta directiones obliquas suspensio- nem. 314 sq.	Cajus cur suus diælus Justinians? 113
Bosphori Regum historia. 195	Cassari Annales Genuenses. 50
Böttcheri (Oton.) vita. 480	Calculus Astronom. enucleatur. 374 sq.
Brachii tumor incisione curatur. 499	Calculi renalis genesis. cura. 503
Britanniae Duces illustrati, 10 sq.	vesicae genesis. cura. 503
Buckinghamius ab Olivario de- lusus. 298	experimentalis elementa illustrata. 119
Buddeus (Jo. Fr.) laudatur. 455	Pro Calculo e vesica extrahendo instrumentum novum. 42
notatur. 458	Calendariographia. 121
notatur. 457	Bbb b 3 Calicis
Buddei (Jo. Franc.) Progr. de Con- ciliis Later. rei Christ. noxii. 516	

I J N D E X

Calicis <i>communio concessa.</i>	94	In Cerebri defectu motus vitalis unde?	497
Camusat (Fr. Dion.) <i>Historia Ephemericum erud. promissa.</i>	47	Ceremoniarum usus in virtutis studio.	238
Cangiani <i>Glossarii defectus.</i>	347	Chamaeleontis <i>anatomye.</i>	499
Canis rabidi <i>venenum quale?</i>	536	Charondæ (Lud.) <i>Verisimilia &c.</i>	117
Canonicatus <i>Academiis vindicati</i>	347	effigies, <i>autore du Fresne.</i>	45
Cantharidum <i>Historia naturalis.</i>	499	De Cherubim <i>tractatio.</i>	172
Capenarius <i>notatur.</i>	270	Chiffetii (Jo.) <i>Aqua Virgo.</i>	46
Capistrani (Jo.) <i>Epist. ad Acad. Vienn.</i>	320	<i>Diss. de Juris Architectur.</i>	116
De Capperonerium <i> censura.</i>	337	Chirurgicæ <i>deligationes Aegyptiorum.</i>	497
De Carilinis (Raphaimi) <i>Chron. Ven. inedita.</i>	290	Cholera <i>ex infuso rad. Hellebori.</i>	540
De Carmel, monte, <i>tractatio.</i>	133	Chorographia <i>Medica.</i>	230
Carmentalia <i>Themidis sacra duplicia.</i>	370	Christi <i>monogramma in nummo Alexandri M.</i>	152
Caroli M. <i>Vita auctior.</i>	351	Christophorus, <i>nomen, quid significet?</i>	513
Cartilago <i>ensiformis duplex.</i>	185	Chronologiam <i>tractandi ratio inter Pontificios.</i>	199
Cartusianorum <i>professionis formula.</i>	264	Chronologicorum <i>problem. solutio.</i>	121
Caruncula <i>urethrae quid? num consistat in carnositate?</i>	88	Chylus <i>ejusque motus.</i>	286
Carunculae <i>urethrae cura.</i>	90	Chylificatio.	286
Casa (Jo.) <i>vita P. Bembi aucta.</i>	294	Chylologia.	286
Cassius Dio e <i>Xiphilino restitutus.</i>	436	Chymica <i>experimenta.</i>	124
num tuto <i>ex eo restitui poterit?</i>	438	qua <i>cautione instituenda?</i>	270
notatur.	527	Ciceronis <i>exilii Historia.</i>	527
Catharini (Nicol.) <i>Obs. & Conjecturae.</i>	117	character.	527
Centri <i>oscillationis determinatio gravitatis. existentia demonstrata.</i>	318	Cillejense <i>Chronicon.</i>	351
Cerebri <i>structura est tubulosa. nates & testes deficient.</i>	185	Circumcisio <i>in littore Congi solennis.</i>	330
		Civitatis <i>condenda Jus in Germania an soli Imperatori competat?</i>	173
		Clericus (Jo.) <i>Socinianismi accusatus.</i>	261
		notatur.	340 341
			Cle-

R E R U M

Clericus (Jo.) <i>refutatus.</i>	416	Martem <i>divertit.</i>	292
Cluniacensium <i>consuetudin.</i>	307	<i>ejus Hist. Veneta inedita.</i>	292
Cochleæ <i>usus in attollendo onere.</i>	176	De Contartio (Joach.) <i>judicium.</i>	400
De Celibatu clericorum <i>lites.</i>	85	Contorniati <i>nummi unde dicti?</i>	153
Cognitio <i>omnis unde manet?</i>	138	<i>quando cusi?</i>	153. 154
Coleri (Christoph.) <i>Parerga.</i>	116	Controversiarum <i>in scientiis la-</i>	
Collatini (Petr. Apoll.) <i>carmen de</i>		<i>pis Lydiis.</i>	457
<i>duello Dav. & Gol. illustratum.</i>	219	Cor <i>quid Sinis denotet?</i>	234
Colobium <i>quid?</i>	440	Cor <i>dis ventriculus dexter cur</i>	
Colvius (Petr.) <i>laudatus.</i>	27	<i>absque columnis carnis sit?</i>	499
Columnæ Antonini <i>elevatio.</i>	176	<i>figura singularis.</i>	184
Comitum S. R. I. <i>Juris Thesau-</i>		In Cordis <i>ventriculo calculus.</i>	184
<i>rus.</i>	101	Correctionis <i>differentia.</i>	138
Communió <i>bonorum inter pri-</i>		Corpus <i>rogans explosum.</i>	533
<i>mos Christianos qualis?</i>	322	Corporis <i>a mente dependentia</i>	
Concilia <i>ab Imp. & Reg. Germ.</i>		<i>quænam?</i>	535
<i>habita.</i>	173	Corpora <i>Geometrica ex trunca-</i>	
Concilii <i>Lateran. Rom. sub Bene-</i>		<i>tionis cubi orta.</i>	529
<i>dicto XIII decreta.</i>	540	Corporum <i>confictus regula.</i>	318
Conciliorum <i>utilitas.</i>	55	<i>in fluido motorum re-</i>	
<i>authoritas.</i>	56. 57	<i>tardationes.</i>	319
<i>Collect. examinata.</i>	57. 70	Corydalei (Theoph.) <i>Tr. Rhetor.</i>	353
<i>methodus.</i>	76	Cosmographiæ <i>partes.</i>	121
<i>epitomatores.</i>	66	Cossartii <i>Collectio Concil.</i>	63. 72
<i>Collectionis novæ</i>		Crabbii (Petr.) <i>Collectio Concil.</i>	62
<i>consilium.</i>	67. sq.	Cranii <i> futura oblitterata.</i>	184
De Conciliorum <i>studio Tr.</i>	52. sq.	Creatio <i>entium simplicium asser-</i>	
Confucii <i>profectus successivi in</i>		<i>ta.</i>	460
<i>studio sapientia.</i>	233	Cromwellus (Oliv.) <i>Doctor Juris</i>	
<i>vita.</i>	232. 233	<i>creatur.</i>	450
Conjectandi <i>hominum mores me-</i>		Cromwelli (Oliv.) <i>Vita.</i>	447
<i>thodus Wolfiana commendata.</i>	378	<i>modestia.</i>	450
<i>mores methodus.</i>	235	Crosa (Jo. Petr.) <i>quem laborem</i>	
Conradi IV. <i>Epistole.</i>	345	<i>impenderit Analis infinite</i>	
Consilia <i>politica.</i>	296	<i>parvorum?</i>	118
De Constantinop. <i>Patriarchis</i>		<i>Leibnitio insensus.</i>	452
<i>quoniam scripserint?</i>	197	<i>refutatus.</i>	456. sq.
Contarenius (Nic.) <i>a Musis ad</i>		<i>notatus.</i>	457. 458
			Cro-

I N D E X

Crofa (J.P.) <i>judicat parte altera non audita.</i>	458	De Decimis liber a Seldeno revocatus.	483
<i>an viderit Wolfii scripta?</i>	459	Declinationis magnetica observator primus.	337
<i>laudatur.</i>	458	<i>variatio.</i>	337/4.
<i>ejus modus scribendi & controversendi.</i>	462	Decomposita ut natura producat?	273
Crusii (Ge. Conr.) <i>Observ. Juris.</i>	117	Decompositorum qualis solutio?	373
Cruce Constantino M. <i>visa spuria.</i>	219	Decori notio.	237
Ctesiphontis <i>machina.</i>	175	Deglutita <i>varia.</i>	286
E Cubi <i>truncatione orta corpora Geometrica.</i>	529	Deglutitio <i>integra & lesa.</i>	286
Cujacius <i>laudatur.</i>	111. 112	<i>selium, canum, veneni &c.</i>	288
<i>notatur.</i>	112	Deglutitionis <i>impedita causa rara.</i>	287
Cum maxime, <i>particula, illustrata.</i>	512	Dei <i>visio mystica.</i>	263
Cunei <i>theoria ab erroribus liberata.</i>	313	<i>existentia probanda optimum argumentum.</i>	463
Curruum <i>emendatio.</i>	175	De Dei <i>existentia Disputatio.</i>	548
<i>varia genera.</i>	175	Delitiz, <i>vocabulum, quid notet?</i>	424
Curva <i>horologii motum aequabilem concilians.</i>	361	Delphini <i>quid notent in vet. monumentis?</i>	488
Curtvæ <i>tautochrone.</i>	361	Demonstrationes <i>quoniam in Philosophiam intulerint?</i>	457
S. Cuthberti <i>Acta.</i>	i	Denarius <i>in Evangelio quid notet?</i>	321
Cycloff (Wolffg.) <i>de obsid. Magdeb.</i>	351	Dentium <i>molarum superiorum defectus.</i>	185
Cycloidis <i>proprietates demonstrata.</i>	318	S. Desiderii <i>Martyrologium.</i>	3
Cylindrorum <i>usus in oneribus transferendis.</i>	175	Diaconi (Petri) <i>de Vir. Ill. Casin. 49</i>	
Czari <i>titulus quando ceperit?</i>	215	<i>Disciplina Casinensis.</i>	306
Dacia <i>frugifera in nummo.</i>	162	Dice, <i>eadem cum Astræa.</i>	374
Van Dalen (Ant.) <i>notatur.</i>	517	Digitus <i>minimus duo in una manu.</i>	499
Dallæus <i>notatur.</i>	56	Diluvium <i>in Septentrionem non penetravit.</i>	215
Damasceni (Jo.) <i>script. quadam.</i>	1	Diplomatum <i>Thesauri novus promissus.</i>	336
Dandoli (Andr.) <i>Chron. Veneta inedita.</i>	290	Directorii <i>inter Evangelicos aetæ.</i>	174
Davies (Athanas.) <i>Ecclesia Angl. defensor.</i>	252	De <i>Disciplina monast. Tract.</i>	305
		<i>Dogma-</i>	

R E E R C U M I

Dogmaticorum <i>indole</i> .	547	Enallage <i>p. V. T. Relinquitur</i> .	421
Dominiūm <i>quoduplex</i> .	525	Engelbertus <i>de providentia divi-</i>	265
Domus <i>a meteoris ignita accensa</i> .	29 sq.	na. <i>de passione Domini</i> .	319
Donati (Ant.) <i>Vita Princ. Venet.</i>	290	Ennius <i>an pictor</i> ?	305
MSS.	290	Eparchi <i>Epist. Græca ad Me-</i>	353
Ductus <i>salivæ novus</i> .	184	lanchibonem	
Dudaim <i>quid</i> ?	132	Ephemeridum <i>litter. Historia</i>	47
Dysenteria <i>vini haustu curata</i> .	540	<i>promissa</i> .	
oleo <i>lini curata</i> .	540	Erasmus (Des.) <i>ab Ariano</i>	262
Ad Dysenteriam <i>lignum semipu-</i>	540	<i>beratus</i> .	
<i>tridum pyri cariola</i> .	540	Eristica <i>scripta improbata</i> .	459
E & A <i>litera a vet. Germanis</i>	389	S. Ermenoldi <i>Vita</i> .	145
<i>permutata</i> .		Eruditionis <i>solida notio spuria</i>	466
Eberhardi <i>Annales</i> .	146	Essentiarum <i>æternitas vindica-</i>	461
Eckeberti <i>libri tres editi</i> .	319	<i>tata</i> .	
Eclipses <i>satellitum Saturni cu-</i>	229	Ethicæ <i>argumentum</i> .	267
<i>riose</i> .		Eudistarum <i>sectæ autor</i> .	548
<i>Lunares quantum vale-</i>		Excellentiæ <i>titulus quibus com-</i>	174
<i>ant in figura Telluris determi-</i>	244	<i>petat</i> ?	
<i>nanda</i> ?		Exemplorum <i>insignis usus in</i>	235
Eclipsium <i>computandarum me-</i>	275	<i>præxi morum</i> .	
<i>thodis Geometrica</i> .		Experimenta <i>Chymica</i> .	124
<i>Satellitum Saturni</i>	229	<i>qua cautione</i>	270
<i>calculus</i> .		<i>instituenda</i> ?	
Ecliptica <i>plenilunio & novilunio</i>	121	<i>hydrostatica</i> .	383
<i>determinandi instrumentum</i> .	121	Experimentalis <i>methodi in mo-</i>	239
Eggelingius (Jo. Henr.) <i>laudatus</i> .	157	<i>ralibus usus</i> .	
Eginhardus <i>notatus</i> .	345	<i>philosophia in A-</i>	505
Egnatius (Bapt.) <i>ut antea dictus</i> ?	294	<i>cademia Trajectina promotio</i> .	
Elbenavienses <i>Antiquitates</i> .	21	Experimentorum <i>mechan. usus</i> .	381
Electoralus <i>nont Acta</i> .	173	De Eyb (Alberti) <i>solacismus</i> .	397
Elementa <i>rerum naturalium</i>	460	Fabri (Tanago.) <i>Epistole</i> .	46
<i>qualia statuat Wolfius</i> ?		Fairfax <i>Doctor Juris creatus</i> .	450
S. Elisabethæ <i>Reg. Hung. Vita</i> .	145	Falconerii (Off.) <i>Dis. de nummo</i>	45
De Ellenbogen (Jo.) <i>liber</i> .	320	<i>Apam</i> .	45
Elsholzii (Jo. Sig.) <i>vita</i> .	486	Femem <i>din tolerans</i> .	287
S. Emmerammi <i>vita dicitur</i> .	83		
Emonis <i>Chronica</i> .	98		

I N D E X

Fastidium ad cœcium leptide cura- tum. 287	Fredegarius. 2
certorum ciborum. 286	Freheri (Marqu.) <i>Vetisimilia</i> . 117
Fatum a Langio stabilicum. 462	Du Fresne (Raph. Tricheti) <i>effi- gies Charonda</i> . 45
Stoicum quid sit. 459. 461	Du Fresnoy, <i>Pictor & Poeta</i> . 304
Fati impusatio Wolfo facta solide refutata. 461	Freyenwaldensis aqua & balnei usus. 480
Fautus (Jo.) cur pro mago ha- bitur? 397	Freyeri (Hier.) <i>Fasciculus Carm. Gr.</i> 353
De Fauto (Jo.) <i>Epistola</i> . 397	Frictione liberata a machina. 175
Febris acuta somno judicata. 539	Friderici I Imp. <i>expeditio Ahat</i> . 84
Febri catarrhali continua, in len- tam abeunte, defuncti anatome. 480	II Imp. <i>res illustrat e</i> . 97
De Febribus <i>observationes</i> . 539	<i>Epistole</i> . 345
De Felibieno (Mich.) <i>judicium</i> . 400	<i>Aurea Bulla</i> . 348
Felicitas summa in annihilatio- ne. 332	Friderici Wilhelmi, <i>El. Br.</i> ob <i>reddendas pace Neom. Supplicat</i> <i>provincias deliquitum</i> . 251
Fellerus (Joach.) <i>laudatus</i> . 157	II <i>El. Brandenburg. Vita</i> . 442/4.
Ferro abundat pyrites. 272	<i>character</i> . 443
Festa instituta in memor. <i>Conci- liorum</i> . 55	<i>fidei confessio</i> . 447
ut in Germania multiplicata? 208	Fuldenses <i>Tradit. recognita</i> . 344
Fines, vocis, sensus medio evo. 14	Fuldensium <i>Tradit. Index novus</i> . 48
Fluidorum equilibrium, unde? 314	Fulminis ictus an evitabilis? 190
Fluxus & refluxus maris tempus determinabile. 121	De Fungis <i>tractatio</i> . 134
Fætus monstruosus anatome. 180	Funicularium, novum potenti- rum macedanicarum generum. 311
mortuus signum an meconi- um egrediens praebeat? 286	Fumis a pondere extensi figura. 32. 33
Fontes Kaldersant. 326	De Furiosi tutela <i>disquisitio</i> . 23/4.
Fontium origo. 122. 489. 493. 494.	Furoris <i>descriptio singularis</i> . 371
Foscarini (Mich.) <i>Hist. Veneta</i> . 293. 294	Fürst, <i>vacabulum, unde?</i> 87
<i>nasalis & obitus</i> . 293	Fürstenbergii <i>raptus violentus Colantæ</i> . 250
De Frameynspérg (Rudolphi) <i>litter in Palæstina</i> &c. 146	Fuscus (Palladius) olim Niger di- ctus. 294
Franciae Or. Ducatus <i>Antiquita- tes promissa</i> . 388. 392	G
	Allorum <i>fastus tempore pa- cis Neom.</i> 291
	Garzoni (Petri) <i>Hist. Veneta</i> . 293
	Gazx sub terra <i>delitescentes</i> . 122
	Gebau-

R E R U M.

Gebaueri (Gr. Chr.) in Haberi Præf. J. C. merita. 141	L. Papiam Poppam judicium. 402
Gebel Indi semen. 499	Graduum in Meridiano differen- tia quantum valeat ad determi- nandam figuram Telluris? 245
S. Gebhardi Vita. 146	Gratia Cæsarea, compellatio quan- do facta? 446
S. Geminiani translatio. 49	Gravamina Nationis Germani- cæ. 206 sq.
Gemma explicata. 487	Gravelandii Philosophia Newto- niana commendata. 382
Gena cæcæ & pilis porcinis obdu- ta. 499	Gregoræ (Nîcep.) Or. in laudem Constantini Imp. inedita. 91
Generatio æquivoca non datur. 497	S. Gregorii M. vita. 4
Geographicorum problematum solutio. 181	Gregorii VII Pont. defensio. 83
Geometria subterranea. 226. 227	Gresmanni quinam dicti? 15
practica ad Archite- cturam applicata. 529	Griebner (Mich. Heinr.) lauda- tus. 475
Getanii usus. 176	Grotius (H.) an Socinianus? 261
Germanicarum rerum Scriptores collecti. 341. 344. 347. 350	ejus judicium de Eccl. Angl. 252
Getvassii Epistola. 135	Gualteri Ligurinus notis illustra- tus. 346
Gesneri (Jo. Matth.) in Fabri Thes. merita. 423. sq.	De Gudepus (Valent. Ferd.) di- plomatatum Thesaurus promissus. 336
De Geweswiler (Catharina) se- mina docta. 320	De Guelfis Princip. Historia. 84
Gladii duo quid in nummis Brand. notent? 349	Guichard (Claud.) de rit. funer. 45
Glandula pinealis iniustata exili- tatis. 185	Guidonis Disciplina Farsensis. 307
Glandulæ an habeant folliculos? 501	Gula Augusti quid? 14
Gloria ab ambitione diversa. 235	In Gulone causa voracitatis. 287
virtutis motivum. 235	L. B. de Gundling (Frid. Paul.) vindicatus. 447
Glossarium Chald. Ebr. Teuton. MS. 91	Gimtheri Historia CPrana. 145
Goelickius (A. O.) refutatus. 36	
Goldastus (Melch.) notatus. 222	H alberstadens. Diplomatari- um. 447
Gotfridi Viterb. Chron. recogni- tum. 343	In Halberstadens. favor Adolphi Imp. 347
Gothofredi (Jo.) de velandis mi- licibus. 46	Halberstadens. Episcoporum jur. 348
de communionem cum Christiani Gentilibus interdi- cta. 46	
De Gothofredi (Jo.) Comm. in	

I N D E X

Harduini (Jo.) Nummi popul. & urb.	45	Herniosi an ad generandum apti?	286
Collectio Concil. exami- nata.	64 sq. 73 sq.	an torqueri possint?	286
Plinius emendatur.	304	Heumanni (C. H.) Conspectus. Reip. Litter. recusur.	513
Harmonia præstabilita a Syste- mate Wolfiano abesse potest.	462	Hevristica principia Sinarum.	236 sq.
cum ortho- doxia subsistere potest.	462	De Hierosol. Patriarchis qui scripserint?	197
ab odiosis consequentibus liberata.	462	Hilarius, Concil. Collector, notatur.	57
explicata.	533	Hilleri (Matth.) vita.	130 sq.
commen- data.	533	Hippolyti Thebani Chronicon.	83
Harmoniz præstabilita Systema num Philosophiz practica in- tricum?	269	De Historiz Eccl. studio Tr.	418
notatum.	452	Historias scribendi ratio apud Sinas.	232
Hastiz Historia nova promissa.	333 sq.	Homeri nummus.	155
Hasta quid notet in nummis?	151	Homericæ Antiquitates.	221
Havercampus (Sigeb.) refutatur.	155	Homo pars universi.	233
Ex Helleboro albo mors repenti- na.	480	Homines luminosi.	123
Henckelius (Job. Frid.) commen- datur.	270	Horæ, Dea, quid notent? diversa in Evang. de opera- riis in vinea quid denotent?	374 322
Henneberg Comes, vicarius Mar- chiz.	347	Horatii loca emendata.	468 sq.
S. Henrici Imp. vita.	84	Horologii Solaris descriptio sin- gularis.	121
Henrici IV Imp. nevus politicus.	207	Lunaris descriptio.	121
V Imp. Epistola.	345	singularis constructio.	122
Hepatico fluxu defuncti anatomi- cæ.	480	Horologiorum Solarium varia genera.	121
Herbæ Scriptura S. explicata.	132	elementarium de- scriptio.	123
Herculani (Jo.) Hist. vallis Gal- licæ.	98	Hortensis architectura theoria geometrica.	529
Herivalleses Antiquit. sacra.	98	Heroswithæ Panegyricus in Oito- nem I Imp. recognitus.	345
Hermanni Contracti Chronic. 83 emendatum.	342	Huetius (P. D.) refutatur.	545
		Huetii (P. D.) de Bibl. sua consti- tutio.	394
		Hugenius (Christ.) notatur.	281
		Humbertus contra Græcor. colu- mnas.	83
		Hydro-	

R E R U M.

Hydrocephalus.	498	Incendia a meteoris ignitis facta.	29sq.
Hydropici Anatome.	480	Incestus, idem ac turpis.	472
aqua simul & semel sine noxa evacuata.	480	Inclinationis acus magneticae nomen.	358
Hyetometri descriptio.	125	Inclinationes ex temperamento sanguinis orta.	534
Hyetostathmici descriptio.	125	Inclinationum varietas unde qualis?	534
126		Inedia diuturna sive macie causa.	523
Hygia in nummis.	169	Inediam diu tolerans.	287
Hygrometrum quoddam optimum.	125	Infans ingenio praestans quando nascatur?	238
Hygrometri constructio.	32	Influxus physicus anima in corpus rejectus.	532, 533
Hygrometra varia.	384	Ingenii acuendi ratio a Medicina petenda.	534
Hygrometrica problemata algebraice soluta.	32sq.	Inscriptiones veteres explicatae.	487sq.
De Hyslopo varia.	132sq.	Inscriptionum collectio nova.	332
Hysterica convulsio lethalis.	480	Insecta alia insecta infestantia.	499
Hypotheses ex Physica ejecta.	505	Insectorum studium nobile & utile.	497
J acobi VI R. Angli in causa generi consilia perniciose.	301	in suas species divisio.	498
erga Hispanos amor.	301	Institoris (Jo.) Opera edita.	319
vita desultoria.	302	Instrumenta bellica.	379
argute dictum.	302	Intestina extra abdomen propendens.	288
mors Anglis accepta.	302	ad vaginam uteri prolapsa.	288
Jacobi (Henr.) nota ad Seldenum de Diis Syris promissa.	482	Intestinorum spasmi ab hamorrhoidibus dependentes.	480
Idatius.	2	morbi.	286
Jehova, nominis, emphasi.	416	In Intestinis reperta varia.	286
Jenkinsii (Leolini) vita.	247	Joannis (Ge. Cbr.) vita Rusdorsiana promissa.	302
encomium.	249	De Josepho in Anglia edendo consilium.	252
Jesuiter ante Lojolam.	265	Jovilabium.	228
Ignis natura inexplicabilis.	123	Cecce 3	Lim-
a quibus colatur?	331		
Imaginationis definitio.	534		
effectus admirandi unde?	535		
Imaginum cultus impugnatus.	545		
historia.	545		
De Immanuel Tract.	171		
De Imper. Rom. potestate Tr.	439		

INDEX

<i>Krimbertus de incendio Monast. sui.</i>	320	L Abbeus notatur.	72. 73
<i>His in nummo.</i>	160. 169	L Labbei nova Collectio Consil.	63. 72
<i>In illis nummo quid sphinges?</i>	160	<i>De Labitti (Jac.) Indice judicium.</i>	112
<i>honorem primi Iudis scenci Romae instituti.</i>	161	<i>Labium cancroso-scirrhosum ex-</i>	480
<i>Isochronarum linearum in medio resistente constructio.</i>	361	<i>In Laconico ambustio.</i>	288
<i>Italiae Codex diplom. novus.</i>	99sq.	<i>Latitia virtutis comes.</i>	234
	441	<i>Lambecii (Petri) de Bibl. Vindob. fragm.</i>	398
<i>Judaica historia.</i>	414	<i>S. Lamberti vita.</i>	2
<i>Judaicae religionis praestantia.</i>	415	<i>Lamberti (Franc.) vita.</i>	93
<i>divinitas.</i>	415	<i>De Lamio (Franc.) judicium.</i>	400
<i>De Judaica religione Tract. 314sq.</i>		<i>Landi (Constantini) Expt. Tumu-</i>	44
<i>Judex competens controversiarum quinam sit?</i>	457	<i>li &c.</i>	44
<i>Julius Africanus.</i>	2	<i>Land-Recht, Codex vetustus.</i>	87
<i>Juricus notatur.</i>	261	<i>Langebeckii (Detlev) Observ. in</i>	117
<i>Jus ante homines exsistit secundum gentiles.</i>	369	<i>leges Jurit.</i>	117
<i>cur e Tellure natum fingatur?</i>	370	<i>Langius (Joach.) notatur.</i>	457
<i>Juris Naturae argumentum.</i>	266		460
<i>Rom. Thesaurus novus.</i>	107sq.	<i>laudatus.</i>	458
<i>Jurisprudencia cur rerum divin. & human. notitia dicenda?</i>	373	<i>controversiarum amans</i>	458
<i>Justelli (Christoph.) Codex Can. Eccl. Gr. recensitus & examinatus.</i>	58	<i>an controversiis philosophicis se immiscere debeat?</i>	461
<i>Justinianus (Bern.) Hist. Venetus laudatur.</i>	290	<i>facrum stabilis.</i>	462
<i>Justiniani (Petri) Hist. Venet.</i>	291	<i>quid de suis & de Wolfso sentiat?</i>	463
		<i>ejus praaxis controversandi.</i>	463
K <i>Arnkovius (Stan.) Prussiae iniquus.</i>	103	<i>methodus scribendi.</i>	464
<i>Kaeleri (Jo. Dav.) de orig. Typogr. promissa.</i>	93	<i>modus argumendi.</i>	467
<i>Krafft de Delmenfingen (Raymundi) Bibliotheca commendata.</i>	94	<i>mos disputandi.</i>	467
<i>Kuets, nomen, unde?</i>	324	<i>fidei specimina.</i>	463. 467
		<i>unio physica reje-</i>	462
		<i>ta.</i>	462
		<i>Langii (Pauli) Chron. Numb. pro-</i>	343
		<i>messica.</i>	343
		Lapides	

R E R U M

Lapides sepultura injecti, nota ignominia.	46	Librorum ferale incendium in China.	238
Lapilli ex urina geniti.	272	De Libris rarioribus Diss.	399
Larva in nummo.	158. 159	Ligni findendi theoria Geometri- ca.	318
Laurus quid in nummis notet?	162	Lipsiz jus stapula concessum.	174
Lectius (Jac.) de vita & scriptis Emilii Papiniani.	116	Lipsiensis aeris, aquae & loci con- ditio.	230
Legatum ordinarium inter & Residentem quid intersit?	30	Lipsius (J.) solacismi accusatus.	397
Legis aeternae species quatuor, se- cundum Platonem.	372	Lironius (Jo.) notatus.	400
In Legem Juliam & Pap. Popp. Commentatores.	401/9.	Loculi quid significent?	424
Leges Anglo-Saxonica edita.	481	Logarithmicae proprietates de- monstratae.	316
Normannica vulgata.	347	Logicae Langtanae specimen.	464
Leges explicatae aut illustratae:		Longitudo maris an per variati- onem acus magnet. inveniri pos- sit?	358/9.
L. 1 ff. de Curat. furios.	23/9.	Longus (Jac.) notatus.	548
23 ff. de probat.	23/9.	De Lotharii II Imp. electione nar- ratio.	345
8 ff. de his qui vel al.	24	Lothi uxor num in statuam salis mutata?	513
32 §. 1 ff. de LL.	24	Lucanus emendatur. 78/9. 469/9.	80
1 pr. ff. de SC. Maced.	25	an luxuriet?	
2 §. 8 ff. de aqua & aqv. pluv.	27	Lucernae inextinguibiles. 123. 124	
Legulejus quid notet?	424	Lucta inter appetitum sensiti- vum & rationem unde?	535
Leibnitius (G.G.) vindicatur. 136		De Ludewig (J.P.) notatur.	192
notatus & defensus. 452		Ludorum scientia promissa. 191	
Leonis (Jo.) de Viris illustr. apud Arabes libellus recusatus.	352	Ludovicus Bav. Imp. ne utiquam a Johanna Austr. toxico subla- tus.	212
Leti (Greg.) notatus.	451	Ludovici Brand. diplomatarium.	347
Leutmannus (Jo. Ge.) laudatur.	124	Luithprandi Chron. emendatum.	345
Lex Sinarum suprema.	237	Lumbrici in corpore humano ge- nerantur.	495. 496
prima & secunda Veneris qualis?	373	Lumbricorum genitalia deline- ta.	495
Libellae varia.	384. 385	Lumbricos an habuerint probo- plasti?	497
Libertas per harmoniam presta- bilitatem non tollitur.	462	Lumi-	
Libra sphynxica.	381		
Librae ordinariae descriptio.	381		
Librarum speciei varia.	122. 381		
Libratores in Anglia.	449		
Libri classici Sinarum unde conse- cti?	239		

I N D E X

Luminis refracti natura. 275 seq.	Mangeti (Jo. Jac.) Bibl. Script.
Lunæ parallaxis horizontalis. 511	Medicorum promissa. 528
E Lusitania nova litteraria. 375	Manlius (Jac.) Chronici CPrant
Lusitanorum Bibliotheca promif-	Autor. 344
sa. 376	Mañometra varia. 334
De Lutheri Colloquiis mensal. ju-	Manzelli (Petr. Aug.) sub Palin-
dicium. 219	genii nomine latet. 512
Lutherana religio ad Pacem	Marcelli (Jac.) obitus. 292
Reip. magis idonea, quam Pon-	Marchiæ cives plerique nobiles.
tificia. 207	347
vindicata. 517	Marchii (Casp.) vita. 489
	Mardefeldius ipse cladis sua cau-
	sa. 217
M achina ad discernendum	Mare rubrum ubi transferint
plagas ventorum. 122	Israélite? 332
anthropometrica. 381	Maris Historia physica. 241
Machinæ ad onera elevanda &	fundi ratio. 242
deportanda. 175	falsedo unde? 242
Perraltii descripta. 175	astus unde? 243
frictione liberata. 175	Maritagiun quid? 14
abique affricu theq-	Mars in pyrite dominatur. 272
ria. 314	Martyrologium Eccl. Germ. MS.
Magdeburgum dictum parva	91
Roma. 128	Mascatenis urbis in Arabia de-
ejus Jubilæum II & Hist.	scriptio. 331
Reform. 128 sq.	Materiæ divisibilitas in infinit-
Magi, Christum puerum veneran-	tum probata. 317
ter, quinam? 220	captum
Magicarum actionum explica-	superat. 317
tio. 186	subtilitas probata. 318
De Magistratum Rom. potestate	Mathematica methodus vindica-
& jurisdictione liber. 439	ta. 139. 453 sq
Magliabechii (Ant.) Catalogus	oppugnata. 140
librorum Arab. & c. M. Ducii He-	Mathesis quando aequat intelle-
teruria. 92	ctum? 457
Magnetis phenomena. 357	Mathildis, Mutina Comitissa. 49
Magneticæ theoria historia. 357.	Matrimonium an concedendum
360	semini feces atvinas per vagi-
De Magorum figuris cereis quid	nam uteri efficientibus? 286
statuendum? 187	Matrimonii religio apud Pegua-
Maicheli (Dan.) Introd. ad Bibl.	non nulla. 332
Paris. commendata. 401	
Manfredi Reg. Epistola. 345	

Mat.

R E R U M.

Matthæi (Ant.) <i>Analeſta</i> bodie <i>rara.</i> 99	<i>do Presb. morita.</i> 343
Matthii (J. M.) <i>Opinionum Libri</i> <i>III.</i> 46	<i>Script. re-</i> <i>rum Germ. sub prelo.</i> 343
Maurocæus (Andr.) <i>cur. Italiae</i> <i>Lipſius dictus?</i> 295	<i>(Luderi) vita & elogi-</i> <i>um.</i> 473
Maurocæni (Andr.) <i>Historia Ve-</i> <i>netæ.</i> 292	<i>Menconis Chronica.</i> 98
<i>vita elogia</i>	<i>Mensura univerſalis.</i> 508
<i>varia.</i> 295	<i>Mentis quam ſint partes in mo-</i> <i>tibus voluntariis?</i> 534
<i>(Pauli) Hiſt. Ven. &</i> <i>mort.</i> 292	<i>Mentem inter & corpus commer-</i> <i>cium controversis dedit locum.</i>
De Mayo (Jaf.) <i>Or. in ſunere</i> <i>Hier. Torti.</i> 94	532 533
Mazarinus <i>reformidat Crom-</i> <i>wellum.</i> 450	<i>Meretricum ab excellentibus Pi-</i> <i>ctoribus pictarum exempla.</i> 304
Mechanicæ partes. 121	<i>Merlimi (Jac.) Collectio Concil.</i> 61
<i>potentiæ per motum</i>	<i>Messia, olim Romanus Deus.</i> 424
<i>compositum explicata.</i> 310. 311	<i>De Messia tractatio.</i> 416. 417
<i>novum genus.</i> 311	<i>Metalli pondus sine libra determi-</i> <i>nandum.</i> 122
<i>opus præstantissimum.</i> 310 sq.	<i>Metallorum reductio ad es mine-</i> <i>rata.</i> 273. 274
<i>principium primum</i>	<i>generatio.</i> 273
<i>quodnam?</i> 312	<i>Metallurgia illustrata.</i> 274
Mechanicum theoremâ genera-	<i>Metaphysica contempta.</i> 457
<i>le.</i> 313	<i>Metaphysicæ partes.</i> 135
Medicus promptus & expertus. 326	<i>objectum.</i> 136
Medici num olim servi? 168	<i>Meteori igniti descriptio.</i> 28 sq.
<i>immense stipendio alti.</i> 168	<i>causa.</i> 29
Medicis quantus olim honor hæ-	<i>effectus stupendi.</i> 29 sq.
<i>bitus?</i> 167	<i>Meteora ignita sunt phosphori</i> <i>naturales.</i> 123
Medicorum veterum Elenchus. 352	<i>Meteorognosia instrumenta.</i> 124 sq.
Medicorum Collegium Londinense. 168	<i>Methis, Jovis uxor, quid nover?</i> 373
Megiferus notatur. 211	<i>Methodus Mathem. vindicata.</i> 139
Meisterlin (Sig.) <i>Chronici August.</i> <i>Autor.</i> 344	<i>oppugnata.</i> 140
De Melonibus <i>Agyptiis Tract.</i> 323	<i>num Philo-</i>
Memoria quid sit? 334	<i>sophia conviciat?</i> 453
Menckeni (Jo. Burch.) <i>de Siffri-</i>	

I N D E X

Methodus Pbilos. spuria rejecta.	139	De Monte Sion (Burch.) Deser.	145
De Metropolitæ Romani varia	436	Terra S.	145
provincia liber.	436	In Morbillis aqua fragorum usur	539
Metus filialis usus insignis.	234	noxius.	539
Mezeray (Franc. Eudes) Vita.	548/9.	Morenæ (Ott. & Acerbi) Hist.	51
satyra & Hist. Franc.	549	Laudensis.	51
mores.	550	Mores conjectandi methodus.	235
Miles Germanus perfectus.	378	Per Mores in jure quid notetur?	24-25
Militis virtutes & mores.	378	Mosaicæ hist. veritas demonstra-	314
Militi qua studia conveniant?	378	ta.	314
Militum officia.	379	Moscovitarum nomen unde?	215
Ad Militiam nemo ante annum	487	Motus vertiginis Telluris quan-	215
etatis 17 cogendus.	487	tum valeat in determinanda ejus	246
Mineralium generis.	274	figura?	246
gravitas specifica sb.	274	compositus explicatur.	311
Miræi (Amb.) Operum editio no-	342	compositi usus.	103
va.	342	in cycloide demonstratur.	318
Mittneri (Mattbia) obitus.	262	undulatorius explicatur.	319
Mixta omnia an in sal, sulphur &	273	vitales in corpore humano	534
Mercurium resolvenda?	273	ut perficiantur?	534
Modestia in controversando in	135	Multitudo idem sentientium qua-	458
quo consistat?	135	lest argumentum?	120
Momentum ibeseos ab ejus veri-	135	Multiplicatio compendiosa.	305
tate vel falsitate distinguendum.	135	Mummius (L.) an pictor?	269
De Monacio (Laur.) Chron. Ven.	290	Mundus optimus qui dicatur?	462
MS.	290	præsens cur Budæo non	462
Monachorum vita detecta.	309	probetur?	462
Monarchiz IV in nummo. 150 sq.	156 sq.	Mundi optimi electio num dogma	269, 461
Monastica disciplina illustrata.	47, 305	periculosum?	269, 461
Monipotius (Sim.) novus Colle-	70	terminus a parte anteri-	461
ctor Epist. Pont.	70	ori hyperphysicus.	461
Monogramma Christi in nummo	152	Munitendi forma nova trigoni	383
Alexandri M.	152	regularis.	383
Monstrous fetus descriptio.	180	Mulza Vratislaviensis.	42
Monstrum bicorporeum.	181, 480	Muscæ in roseto nidulanti-	498
Montani incolatur salubritas.	130	um historia naturalis.	498
		Musculorum oculi numerus irre-	185
		gularis.	185
		motus per experi-	246
		menta comprobatur.	246
		Mulla-	

R E R U M.

Muffati (Albertini) Opera histo- rica. 345	Nos, vocis, usus quando ceperit in diplomatribus? 174
Nani (Bapt.) Hist. Ven. lauda- ta. 292	Notionum differentia. 139
Vita compendium. 295	Notkeri Balbuli Martyrol. 3
Nardini (Fan.) Roma Vetus. 46	vita. 84
Nates cerebri deficiunt. 185	Canonizationis acta. 146
Natura ut gratia perficiatur? 240	Numeri Tangut anti. 328
intermedia inter corpus	Numerorum perfectorum inven- tio. 120
& spiritum explosa. 533	divinatio. 120
Naturæ vires quantum valeant	Nummus Placidii Valentiniâni singularis. 154
in studio virtutis? 239	Nummi Vespasiani & Domitiani explicati. 7-9
& gratiæ discrimen	Brandeb. illustrati. 349
distincte explicatum. 239. 240	a Smyrnais in Medico- rum honorem cus. 167/4
Naturalismus impugnatus. 413	Partiborum. 194
Naturalium rerum principia	Perfarum. 195
quæ? 189	De Nummis contorniatii Diss. 153
Naugerii (Andr.) scripta crema- ta. 291	Quid in Brandeb. nummis? 349
Navigium submersum extraben- di modus. 122. 176	Obeliscos erigendi ratio. 176
Nausea. 236	Obligandi modus optimus. 234
Nectar & Ambrosia quid in fabu- lis? 372	Obligatio quotuplex. 525
Neocori. 45	Observationes Astronomicæ. 365/4
Neomagensis paciæ acta. 251	Occultationis fixarum & plana- tarum calculus. 275
In Nephritico dolore cum urina vermes exclusi. 497	In Oculo est duplex musculus, trochlearis & patientiæ. 185
Nerii (Jos.) Analekta. 46	Oertelii (Frid. Ben.) Diss. de Ru- perto laudata. 214
Nervorum structura est tubulosa. 39	Oesophagus. 286
Newtonus (Is.) notatus. 281	Oestrum quale insectum? 498
S. Nicephori Opuscula. 2. 3	Officiorum ordo in pract. 235
Nicetas contra Latinos. 83	Oleum sacrum. 132
Nicolini (Domin.) Collectio Conc. 62	Ordo architect. Gallicus, Hispa- nicus & Germanicus. 539
Nivium Mutina cadentium quan- titas. 493	Ordinis Teutonici jura. 86
Nomina nova a doctis Italis ad- scita. 203	Ordinum architecton. Geometri- ca constructio. 529
Nomos, Deus, quis? 370	
Normannicarum legum Codex. 347	D d d d a Ord-

I N D E X

Ordinum architecton. diversitas apud diversos Autores.	530	rhodus nova.	467sq.
divisio.	530.	Parafol portandi jus apud Mogo- les Regibus proprium.	331
usus in fa- nulis, fenestris & caminis.	532	Parca ad legem eternam relat.	374
De Ordinibus architecton. Auto- rer.	530	Parei (Dan.) Historia Palat. sup- pleta.	214
Organum hydraulicum in num- mo.	154. 165	Pareliorum descriptio.	223
Osculandi pedes Pontif. mor.	207	De Parenthesi sacra Tr.	409
De Ostridi Evangelii singularia.	399	Parthorum Regum Hist. per num- mor.	193. 195
Otto III Imp. ut cognominatus.	391	Parutæ (Pauli) obitus.	292. 295
Otto Frising. de gestis Frid.	51	vita.	295
Otto a S. Blasio emendatur.	51	Hist. Venet. laudata.	293.
S. Ottonis Pomer. Apost. vita.	84	295	
Ovi phenomenon in antlia pneu- matica.	499	Passionei (Dominici) sermones.	264. 319
P Acis Neomagensis acta.	251	Passionum cum ratione concen- tus.	234
tractatum Corpora nova.	288	Patriarchæ in Russia autoritas unde?	216
Pacuvius, Pictor & Poeta.	304	De Patriarchis Antioch. Tr. 197sq. CPtanis, Hieros. & Alexandrinis quinam scripse- rint?	197
Padi velocitas & capacitas.	493	Patulæ (Jo.) Encyclopædia Phi- sol.	352
Palatia Regum Franc. vet. cur no- tanda?	386	S. Pauli Acta Philippensia illustra- ta.	517
Palatinæ historia Miscella.	213	jus civitatis quale?	517
De Palatio Sala Tract.	386	Pauli (Theodorici) Chron. inedi- tum.	199
Palingenius, vero nomine Petr. Aug. Manzellus.	512	Pedantæ nomen unde?	219
De Palma varia.	131	Pediasimi (Jo.) Desiderium Gr. Lat.	353
Pancovii (Thome) vita.	480	Pedicularis morbus.	499
De Pane Tract. phys. Theol.	133	Pedrusii (Pauli) obitus.	7
Pantheon cur dictum Chronicon Gosfridi Viërbienis?	343	Pendulorum motus quantum va- leat in figura Telluris determi- nanda?	244
Papyri solum natale & priscus usus.	134	Pentateuchus Mosi vindicatus.	515
Paracelsus (Theopb.) prænomen Aureoli errore adscivit.	397	Ad Perfectionem perveniendi via.	263
De Paradiso (Jac.) de causis Pas- sonum.	319		
Parallaxis Solis investigande me- thodus nova.	467sq.		

R E R U M.

<i>In Peripnevmonia spiritus salis</i>	Phosphori Kunckelii preparatio.	123
<i>usus noxius.</i>		540
<i>De Perfarum Regum nummis Tr.</i>	Photii quedam scripta.	3
	<i>In Phthulico bectico equitatio sa-</i>	195
<i>Peruccarum usus clero interd-</i>	<i>lutaris.</i>	540
<i>ctus.</i>	<i>Physica problemata.</i>	122
<i>Pestis sex annorum Surata.</i>	<i>certa quomodo comparan-</i>	331
<i>Petavii (Dion.) nota in Themistii</i>	<i>da?</i>	505
<i>Orat.</i>	<i>Physicæ mathematica argumen-</i>	46
<i>Petrus, Eccl. Antiochena fundator.</i>	<i>tum.</i>	505sq.
	<i>In Physica Autores celebres.</i>	198
<i>Petri I Imp. Russ. vita.</i>	<i>Physices Institutiones.</i>	505
<i>214 sq.</i>		188
<i>Petri Diaconi de Vir. Ill. Casin.</i>	<i>principia nova.</i>	507 sqq.
<i>49</i>	<i>Pica.</i>	286.287
<i>Pharamundus an resederit Salz-</i>	<i>Pictores feminarum picturis ex-</i>	387
<i>burgi?</i>	<i>cellentes.</i>	304
<i>Pharaonis montes.</i>	<i>Picturæ veteris Historia.</i>	303
<i>332</i>	<i>Picturam qui cum Po. si conjunxe-</i>	304
<i>De Philologiæ S. studio Tr.</i>	<i>runt?</i>	304
<i>418</i>	<i>Pietas Philosophica.</i>	238.239
<i>Philosophi nomen quis mereatur?</i>	<i>Pietatis Philosophicæ definitio.</i>	267
	<i>usus.</i>	467
<i>Philosophia Wolfiana. Vid. Wol-</i>	<i>Pietatem Philosophicam qui in</i>	
<i>fus.</i>	<i>Philosophiam introduxerit?</i>	267
<i>Newtoniana qua-</i>	<i>Ad Pietatem Philos. quanam rese-</i>	267
<i>nam?</i>	<i>rantur?</i>	267
<i>Philosophiæ definitio Wolfiana.</i>	<i>Pii IV Pont. Epistola notabilis.</i>	94
	<i>De Piles notatus.</i>	305
<i>138</i>	<i>Piovenius (Petr.) laudatus.</i>	5.6.7
<i>ad usus publicos re-</i>	<i>Pisana Chronica quæ nque.</i>	49sq.
<i>ductis.</i>	<i>Pisces somnum non capiunt.</i>	330
<i>methodus spuria</i>	<i>Pistorii (Ge. Tob.) merita in jura</i>	
<i>rejecta.</i>	<i>Comitum S.R. Imp.</i>	101
<i>139</i>	<i>Piacenta uterina ut extrahenda?</i>	40
<i>practica Institu-</i>	<i>Plagiariorum fraudes detectæ.</i>	340
<i>tiones.</i>		340
<i>266</i>	<i>Planetarum distantia mediæ a</i>	
<i>salis argumentum.</i>	<i>Sole.</i>	509
<i>Sinarum prestan-</i>	<i>Planetolabium.</i>	228
<i>tia.</i>	<i>Plani inclinati theoria universa-</i>	
<i>232sq.</i>	<i>lius tradita & ab erroribus li-</i>	
<i>cur</i>	<i>berata.</i>	313
<i>non agnita.</i>		
<i>238.239</i>	<i>D d d d 3</i>	<i>Plan-</i>
<i>Philosophorum criterio.</i>		
<i>138sq.</i>		
<i>Phosphorus ex alvi facibus præ-</i>		
<i>paratur.</i>		
<i>123</i>		
<i>vitreus.</i>		
<i>123</i>		
<i>mercurialis.</i>		
<i>123</i>		
<i>Phosphori naturales & artificia-</i>		
<i>li.</i>		
<i>121</i>		

I N D E X

<i>Plantæ marina.</i>	242.243	<i>Porphycii editio nova promissa.</i>	473
<i>Plantarum generatio.</i>	122	<i>Potentia mechanica illustrata.</i>	175
<i>De Plantis Scriptura S. Tr.</i>	130	<i>Potus immoto gutture deglutitur.</i>	287
<i>Pleuritis sudore judicata.</i>	540	<i>Premium quando illasa virtute in actionem insuat?</i>	234
<i>Plinii historia Pictura illustrata.</i>	303	<i>Præsidis Academiæ scient. virtutes.</i>	356
<i>editio prima commendata.</i>	303	<i>Praxis morum Confuctana & Wolfgana.</i>	234.235.238
<i>locavaria emendata.</i>	304	<i>Præxios in studio virtutum necessitas.</i>	236
<i>Plocenses Antiquitates.</i>	18sq.	<i>Prezzinenses Antiquitates.</i>	21
<i>Platarchus notatus.</i>	527	<i>Principium rationis sufficientis a Confucio ad moralia applicatum.</i>	233
<i>Pluvialis aqua an fontibus originem præbeat?</i>	489.490	<i>reductionis in arte inveniendi commendatum.</i>	237
<i>ad quam profunditatem penetret?</i>	489.490	<i>Principia rerum naturalium qua?</i>	189
<i>Pluviarum Mutina cadentium quantitas.</i>	493	<i>Problema Arithmeticum propositum.</i>	225
<i>Podagra per nodos extraordinarios soluta.</i>	480	<i>solutum.</i>	226
<i>Podiebratius (Ge.) Regis Germ. dignitatem ambit.</i>	444	<i>Geometris propositum.</i>	360
<i>Pœnarum infernalium aternitas probata.</i>	545	<i>Mathematicis proposita.</i>	361
<i>Pœseos German incrementa.</i>	143	<i>Problemata mechanica varia soluta.</i>	314
<i>Pœsin qui cum pictura conjunxerint?</i>	304	<i>Prodigii curatela unde orta?</i>	26
<i>Poggii Flor. libri de varietate fortune emendati.</i>	220	<i>Progressionis Geom. & Arithm. usus.</i>	120
<i>Politice argumentum.</i>	268	<i>Protoplasti an habuerint lumbricos?</i>	497
<i>Polyporum varium exempla.</i>	287	<i>Prussicæ Polonicæ Historia.</i>	102
<i>Polyspasti usus.</i>	176	<i>Prussorum jura a Polonis subverta.</i>	103sq.
<i>Polyspastorum theoria ab erroribus liberata.</i>	312	<i>Pryanius ob Histriomastigen editum punitus.</i>	483
<i>Pondus metalli sine libra determinandum.</i>	122	<i>Psalmæi (Nic.) scripta de Cona. Trid.</i>	98
<i>aere attollendi ratio.</i>	176	<i>De Psalmæo (Nic.) singularia.</i>	98
<i>Ponderum suspensio juxta directiones obliquas.</i>	314	<i>Pueri constuprati signum an ex ano peti possit?</i>	286
<i>varietas.</i>	381. 382	<i>Pul-</i>	
<i>Ponti Regum Historia.</i>	195		
<i>Pontici Verunii nomen unde?</i>	203		
<i>Pontifex num possit errare.</i>	208		
<i>Pontificis pedes osculandi.</i>	207		
<i>Pontificum Litteræ odite.</i>	69		

R E R U M.

Pulvis fulminant.	122	Renes utriusque duabus pektibus &	
Purchas (Sam.) Itineraria.	482	binis ureteribus praediti.	501
Pyrites an bodienum generetur?	272	succenturiati ductus ex-	
quomodo generetur?	272	cretorios ad testiculos vel	
Pyritis historia.	271/273	ovaria non emittunt.	502
nomina.	271	Residentem inter & Legatum or-	
materia.	271/273	dinarium quid intersit?	302
figura, colores &c.	271	Restitutionis nota in nummis.	162
genesi.	274	Retardationes corporum in flui-	
usus.	274	dis motorum.	319
gravitas specifica.	274	Reuberi (Justi) vita.	345
Pyrotechnica problemata.	122	Reuberianæ Collectionis Scriptor.	
Pyrotechnicæ singularia.	328	rerum Germ. editio nova.	345
		eadem tota igne absumta.	346
		Rhabani opera quaedam.	3
Q uadratorum magicorum for-		Ribaldi nomen quid notet?	14
matio.	120	unde ortum?	14
De Quaternario Pythagoræ Diff.	375	Rickmondi Com. illustrati.	9/27
Le Quica Oriens Christianus pro-	71	Ritus Sinarum commendati.	238
missus.	71	Rotenburgenfes aqua & igne in-	
Quilibet, pro vulgari & promi-	424	terdicti.	86
scuo.	424	De Rouw (Abraham) in Teren-	
		tium merita.	254
R abies canum unde?	536	Rudd (Thomæ) Diquis. de autore	
Radevicus de gestis Frid.	51	Historiæ Dunelmensis.	482
Imp.	51	De Rusdorff (Jo. Joach.) encomi-	
Radolphus Mediol. vulgo Sire	52	um.	302
Raul.	52	Vita promissa.	302
Raguenet, Abbas, notatur.	451	Consultatio & Conje-	
Inter Rationem & appetitum sen-	535	ctura.	351
sitivum lucta unde?	535	Ruthæ historia illustrata.	511
De S. Real, Abbas, laudatus.	527	Ruyfchii (Freder.) encomium.	40
Refractionis ratio.	282	S Abelli fontis origo.	491
Reginonis Chronica emendata.	342	Sabellici (M. Ant.) Hist. Veneta.	
Regum sanctitas qualis?	221	291/27.	
Religio Lutherana ad pacem	207	vita.	293
Reip. magis idonea, quam Ponti-	207	nomen unde?	293
ficia.	207	Sala duplex.	386
De Religione Judæorum Tract.	314	De Salæ Palatio Tract.	386
Rehes an habeant glandulas?	500	Saldeni (Guil.) de canis pretio.	46
		Salsfeldia, feudum Bobemicum.	85
		Salisburgenfia monumenta &	
		Chron. 84	Salis-

I N D E X

Salisburgensia Concilia.	146	Schurmannia (Eliſ.) poeſi & pictu- ra excelluit.	304
Salluſtii nummus.	165	Schüzius (Caſp.) jura Pruſſiæ de- ſendit.	103
Saltationis uſus in ſacris.	46	Scientiarum ſata.	355
Salzburgi veteris ficus genuinus.	288	Scriptorum Anatomicorum re- cenſio.	180
Salvianum Interdictum unde?	113	De Scriptura S. unico fidei funda- mento, Epigramma.	95
Salutis, Dea, ſignum in nummis.	168	Scriptura S. loca illuſtrata:	
Sanctio pragmatica Gallorum.	208	Gen. I, 30.	515
Sanctitas Regum qualis?	221	IV, 7.	422
Senuti (Marini) Hiſtorici Veneti, anecdota.	290 ſq.	XI.	170
Sardi (Alex.) liber de nummis Sel- deno falſo tributus.	484	XIV, 14.	412
Sartorum apud Mogolenſes ſuper- ſtitio.	331	XIX, 24, 25.	170
Saturni Satellitum calcul. 228 ſq.		XXV, 25, 31.	131
Satellites quis obſervave- rit?	228	Exod. I, 11.	422
Saturnilabium.	227	XXXV, 35.	435
Saxa prægrandia ut transporten- tur?	175 ſq.	Num. XI, 5.	323 ſq.
Saxii (Jof. Ant.) merita in hiſt. Laudenſ.	52	Deuter. XXIII, 10.	46
Scabinorum liber judicialis MS.	19	Jof. VI.	170
Scala hygrometrica constructio.	35	X, 40.	435
Scenice figure in nummo.	158	Jud. XV, 4, 5.	132
Scenici ludæ primi Romæ in Iſidis honorem inſtituti.	161	Ruth I, 8.	422
Scepticiſmus tollit omnem reli- gionem.	545	IV, 7.	512
Sexti Empirici.	546 ſq.	1 Sam. II.	171
Scepticorum inſtitutum.	547	2 Sam. VI, 2.	410
Schefferi (Jo.) Agrippa liberator.	45	VII.	171
Scholæ duplicis apud Sinas di- ſcrimen.	236	XXVIII, 12.	411
Schuberti (Ge. Adolphi) merita in Huberi Prælect. Jur. Civ.	141	XXXIII, 15.	171
Schudi (Jo. Jac.) Faſciculus Gr.	353	1 Reg. IV, 43.	133
		39, 40.	134
		Job. XL, 11.	422
		Pſ. XXXII.	171
		XLI.	171
		XLV, tit.	132
		LVIII, 10.	132
		LXXXIX.	171
		Eccleſ. XI, 10.	133
		XLIII, 19.	533
		Eſa. IV, 2-6.	171
		IX, 5, 6, 7.	171
		XI & XII.	171
		Scriptu-	

R E R U M.

Scripturae S. loca illustrata:		Seldeni (Jo.) character.	484 sq.
Esa. XXV.	172	Seldeno (Jo.) falso tributus lib. de mun-	
XXXIV, 4.	131	mis.	484
LIII, 9.	422	Selvaghii (Car.) de origine &c. Pan-	
LXIII, 1-6.	172	deh.	115
Jer. II, 22.	133	Senatorum Rom. vet. senatu motorum	
XXIII, 5, 6.	172	conditio.	440
Ezech. X.	172	Rome gradus tres.	440
Dan. VIII, 16.	172	De Senatoribus tractatio.	440
XII, 1.	172	De Senging (Mart.) opera.	320
Hose. XIII, 9.	422	Sensatio ut fiat?	534
Mal. III, 4.	133	Sensus communis ratio.	534
23.	411	Septentrionis gentes cur differant ab	
Matth. IV, 8.	323	aliis?	215
V, 3.	322	Septuagintaviralis Versio unde dicta?	
VI, 11.	154		425
XIII, 13.	133		notata. 434
XV, 15.	412	De Serapione tractatio.	171
XX, 1.	321	Severus (Alex.) -ur leonis exuviis indu-	
XXI, 19.	131	tus in nummis?	154
XXVIII, 7.	220	Sextus Cæron. de Medicina ex animali-	
Marc. IX, 19.	411	bis recusus.	352
Joan. I, 47.	219	Sexti Empirici institutum.	546
IV, 48.	322	Siamenium erga feminas civilitas.	331
VI, 45.	323	Sidetæ (Marcelli) de Medicina & pisci-	
XIII, 34.	322	bis Fragmentum recusum.	352
Rom. V, 7.	323	Silfridi Presb. Epitome auctior.	343
1 Cor. XI, 10.	46	Sigebertus Gemblac. emendatus.	342
2 Cor. IV, 3-10.	323	Silesiæ salubritas.	230
1 Tim. IV, 7.	576	De Simone tractatio.	171
2 Tim. IV, 17.	323	Sinapis natura.	133
Tit. I, 1.	515	Sinarum Philosophiæ præstantia. 232 sq.	
1 Petr. I, 19.	410	præctica cum Wol-	
Apoc. XIII, 18.	131	fana consensus.	232
XVII, 9.	46	libri classici unde confecti?	239
De Scripturae S. plantis, arboribus, her-		ritus commendati.	238
bis Tract.	130	Sinceritas ut a simulatione discernenda?	235 sq.
Scripturae S. lesione cur Laici arcen-		Sinus frontalis unicus.	184
di?	220	Sirmondus (Jac.) notatus.	71
Scyllæ figura in nummis.	162	Slavorum converso promoti.	19
Secalitis clavus morbus spasmodicus	480	Socinus (Faustus) carminice refutatus.	95
epidemicus.	480	Socinianismi Historia.	259 sq.
Secchia, fontis origo.	491	Socratis nummus.	155
Seldenus (Jo.) ter carceri mancipatus?	483	Solis Semidiameter apparens.	508
larvas publice duxit.	483	distantia media a Terra.	510
refutatus.	482	parallaxis horizontalis.	510, 511
Seldeni (Jo.) vita.	482	De Solæcismis litterariis Tr.	397
Bibliotheca Bodlejana illata.	484	Somneri Litus Saxon. per Britanniam,	
conjugium clandestinum.	484	liber ineditus.	482
		E e e e	801

I N D E X

Soni intensitas explicata.	319	Suevi olim Thuringis confines.	388
Spalatini (Ge.) Diarium ineditum.	93	Sufficit, Symbolum J. V. Andreae.	93
Spasmodicus morbus epidemius ex clavis fecalinis.	480	Suffocatio a fuba deglutita herente.	288
Spectabilis quid in nummo notet?	165	Suffocationis causa rara.	480
Speculi Saxonici Codex vetustus.	19	Sulphur in pyrite obvium.	272 sq.
Speculorum phenomena explicata.	120	crudum terram martialem alit.	273
Sperlingius (Otto) de Crepidis.	46	Surii (Laur.) Collectio Concil.	62
Spermatice vena sese associans ramus vene lumbaris.	185	Suturæ cranii obliterate.	184
Sphinxes quid in nummo Isis?	160	Syllogismi autoritas labefactata.	547 sq.
Spinoza (Bened.) refutatus.	412	Sylvii (Enca) inconstantia.	208
Spiritus quot hominem agitent?	263 sq.	Symbolorum in nummis ratio.	156
animalis ex foro medico relega- tus.	36	Symposii Lactantii editio recensita.	220
animales quid?	37-38	Synodi Va S. Bonifacio habite.	388
non dantur.	37	T quid notet in Brand. nummis?	349
In Spiritum S. peccatum, quodnam?	545	Fabianus quale insectum?	498
Spirituum animalium morbi.	38-39	Tabulæ novæ quid?	45
usus.	39	Astronomice celebres.	274
De Spiritibus animal. Systema defensum.	39	Tabularum Anatom. Compend. utile.	179
Spole (Haquini) Sententia Græca.	353	Tangutani numeri.	328
Sponii (Jac.) Ara Deor. ignot.	46	Telescopia.	122
Stahlius (Ge. Ern.) commendatus.	535	Telluris figura Newtoniana probata.	508
ejus sequaces.	538	ut investiganda?	246
Stapulæ jus Lipsiæ concessum.	174	hactenus non satis pro- bata.	244 sq.
Statera hydrostatica.	383	Temperamentum sanguineum quas pa- riat inclinationes?	534
Staterarum variae species.	381	Temperamenta num necessitent?	534
Staticæ Scriptores.	381	Templius convivium amavit.	248
Statua P. Bembi Patavina.	295	munera non sustulit.	249
Stekii (Jo.) Observ. anticrit. Juris.	117	P. Terentius commendatus.	253
De Stella Magis prælucente sententia sin- gularis.	210	Terentii nummus.	155
Stenzelius (Chr. Godofr.) castigatus.	480	Terentiani quinam dii?	253
Stercoris analysi chymica.	286	Terentianum Lexicon.	254
preparatio.	286	Terminus, Deus, in nummo.	165
usus medicus.	286	Termini, Dei, forma.	375
Stereometria ad architecturam civilem applicata.	531. 532	Terra quid?	90
Steronis (Henr.) Annales.	146	Terræ motus artificialis.	122
Stewartius de scriptis Photii.	3	Tertiaria febris conjugio curata.	540
Stoicum fatum quid sit?	459. 461	halecis usu curata.	ib.
Struthio ferrum an digerat?	499	crete usu curata.	ib.
Struthionis anatome.	498	Tertullianus, Pater & J. C. us, an unus idemque?	114
S. Sturmii Consuetudines.	306	Testæ cerebri deficiunt.	185
Sturmii (Leonb. Chr.) studia Mathem.	140	De Testamento valido Tr.	22
Suculæ usus.	175	Thematis celestis erigendi modus.	121
In Suetonium nota.	217	Themis cur duplex?	370

The-

R E R U M.

Themis <i>civ. secunda Jovis conjux?</i>	373	Trullus <i>quid?</i>	72
Themidis <i>synonyma.</i>	369	Tuba <i>stentereophonica.</i>	122
<i>epitheta.</i>	371	Tuborum <i>Newtonianorum praestantia.</i>	228
<i>officium.</i>	371	ATurre (Phil.) <i>Diff. de Beleno.</i>	46
De Themide <i>fabula explicata.</i>	369-375	Ad Tullium <i>extracti peti efficacia.</i>	540
Theodemari <i>Ufus Casinensis.</i>	306	De Tutela <i>furiosi digressio.</i>	23 sq.
Theodo-i <i>Hagiopol. varia.</i>	3	Typographiae <i>primae specimen.</i>	93
Theodulphi <i>Elogia.</i>	3	<i>origo.</i>	93
Theologiae <i>definitio.</i>	515	De Typographiae <i>origine promissa.</i>	93
<i>incrementa.</i>	516	Typographorum <i>in Anglia libertas vindicata.</i>	483
<i>naturalis methodus scienti-</i>		Tyskiewiz (Ge.) <i>Responsio &c. recusa.</i>	350
<i>fica.</i>	136		
Theologici <i>studii Instit. litterariae.</i>	416		
Theologorum <i>summorum de philoso-</i>			
<i>phia Wolfiana confessio.</i>	459		
Theoriae <i>magneticae historia.</i>	357-360 sq.		
Thermæ <i>Valderianae.</i>	324		
Thermometra <i>varia.</i>	384		
Thermolcopii <i>Florentini praestantia & constructio.</i>	124, 125		
Thomasii (Jof. Maria) <i>institutions veterum Patrum.</i>	353		
Thoromachus.	2		
De Thuillero (Ant. Vinc.) <i>judicium.</i>	400		
Thümmigii (Lud. Phil.) <i>Institutiones Philof. Wolfianae commendatae.</i>	461		
Thuringiae <i>veteris amplitudo.</i>	387		
Tiraquelli (Andr.) <i>Sylogae Medicorum veterum.</i>	352		
Toinardi (Nic.) <i>fragm. hist. Herodiad.</i>	46		
Tolnerus (C.L.) <i>emendatus.</i>	213		
Tomus <i>pro Autore habitus.</i>	397		
Torrentius <i>refutatus.</i>	113		
Transpiratio <i>insensibilis corporis humani.</i>	122		
Trianguli <i>arithmetici usus.</i>	120		
<i>rectanguli in numeris rati-</i>			
<i>onalibus integris determinatio.</i>	120		
Tridentini <i>Conc. Patrum suffragia.</i>	98		
Trigoni <i>munendi forma.</i>	383		
De Trinitatis <i>mysterio tractatio.</i>	416		
Trivorii (Gabr.) <i>Obs. ad Inscr. &c.</i>	116		
Trochlearum <i>usus.</i>	312		
		Vaillant (Jo. Foy) <i>Numism. arca Imp.</i>	45
		<i>Valderianae sberma.</i>	324
		Valderiani <i>fontes.</i>	326
		Valentiniani (Placidii) <i>nummus singularis.</i>	154
		Vallii (Gabr.) <i>libri singulares.</i>	116
		Vaporum <i>vis in hygrometra ut determinanda?</i>	34
		<i>bumelandi vis unde?</i>	35
		In Variolarum <i>diarrrhae nitri utilitas.</i>	539
		Variolae <i>passus infans, cujus mater gestationis tempore menses passa fuit.</i>	539
		Vasalli, <i>tenentes de corona Regis, tria debent auxilia.</i>	15
		Vecerii (Conr.) <i>vita Henr. VII illustrata.</i>	346
		<i>e Jo. Villanio de-</i>	346
		<i>promta.</i>	346
		Vectis <i>usus in ponderibus loco movendis.</i>	175
		<i>theoria ut tradenda?</i>	312
		Vehmici <i>judicii ordinatio.</i>	351
		Velferi (M.) <i>Supplem. monum. August.</i>	398
		Vena <i>lumbaris spermatica juncta.</i>	185
		Venationum <i>jura in Germania.</i>	174
		Venatoris (Balib.) <i>scripta.</i>	214
		Venenum <i>canis rabidi quodnam?</i>	536

I N D E X

Venetarum rerum Scriptores.	289 sq.	Vita corporis in quo consistat?	535
Veneti historici recensiti.	290 sq.	hominis in quo consistat?	535
Ventriculus ejusque morbi.	285	Vitra caustica.	122
amplus in belluone.	283	Vitringa notatus.	171
perforatus.	288	Vitriolum ex pyrite ut eliciatur?	271
Ventriculi situs perversus.	283	ut in pyrite contineatur?	273
spaculus ab ambusione.	283	Ulyssiponæ latitudo.	368
vulnus non lethale.	283	Undus notat virum devotum.	72
Venus, pars fixa pyrite.	272	Unio physica Langii.	462
Verächten quid sit?	87	Voigt von Salzburg, Nobilitas unde descendant?	391
Veritatum moralium certitudinem ut scrutatus sit Confucius?	232, 233	Vohmari (Ant.) obitus.	262
Vermiosa atrophica defuncti anatome.	480	Vomitus.	286
Vermis sub vipera forma cum urina exclusus.	496	extraordinarii.	288
in navibus vel cavitate frontis	498	Voracitatis causa.	287
historia naturalis.	498	exemplum.	287
Vesicæ urinarie tunica musculoſa depicta.	501	Vratislaviense rerum natural. & artif. promptuarium.	42
fundus perineo adheret.	502	Vratislaviensia Musea.	42
Vghellus (Ferd.) notatus.	50	Uranios cur se vocarint Cælesti?	293
Viennensis Academia Rectorum Catalogus.	213	Urbium Imperial. curialia.	251
Vindiciani opuscula recusa.	352	Ureteres non habent tres membranas.	501
La Vineæ operantes quinam?	321	Ureterum diametri diverse.	501
Vinum myrrhatum.	132	Urethræ liquor a glandulis secretus.	502
Alonense Solis radiis expositum	330	Urina ab ureteribus ad vesicam non protruditur.	502
sit melius.	330	omnium collium excrementa continet.	502
unde in acetum degeneret?	499	respondet assumtorum quantitati.	502
Vires hominis in attollendis ponderibus.	176	quid sit?	502
centrales in sectionibus conicis	318	Urinæ secretio ut fiat?	502
demonstrate.	318	Cum Urina sermes exclusi.	496, 497
Virium mensura Leibnitiana experimentis confirmata.	317, 506	Urinariæ viæ examinata.	499 sq.
identitas ante & post conflictum	318	Uteri musculus orbicularis.	40 sq.
demonstrata.	318	vaginæ sarcoma cancerosum.	480
Virgilius emendatus.	468	Ex Utero morbus rarus.	517
Virtutis veræ indoles.	234	Urinum ab Altila conditum.	294
adminicula singularia.	236	Uva quid netet in nummo Alex. M.	152, 162
magnum adjumentum.	237		
Christiane a Philosophica discrimen.	239, 240	De W Agging (Bernardi) liber singularis.	319
Virtutum inſelleſtialium numerus.	267	Wagnerus (Christi.) laudatus.	196
Vicunni (Pentici) nomen unde?	293	(Jo. Valent.) faber ferrarius, quomodo de controversia anti-Wolfiana scripserit?	464
		Wala-	

R E R U M.

Walafridi Strabi <i>Carmina.</i>	3	Wolfii (C.) <i>Philosophia cum Theologia</i>	
S. Walpurgis <i>vita.</i>	4. 146	<i>revelata consensus.</i>	135
Wartenbergeri (Laur.) <i>obitus.</i>	262	<i>practic. cum Si-</i>	
Wasse (Jos.) <i>formula salutandi.</i>	353	<i>nenfi consensus.</i>	232 sq.
De Weilheim (Udalr.) <i>Opera varia.</i>	320. 321	<i>merita in Logicam.</i>	137
Weingartense <i>Chronicon.</i>	84	<i>character.</i>	140
De Welming (Jo.) <i>Epistola.</i>	320	<i>Institutiones Philosophicae.</i>	268
Wenceslai Imp. <i>confirmatio pacis pu-</i>	86	<i>Aerometria commendata.</i>	378.
<i>blicae.</i>			383. 505
Wenceslaus Imp. <i>primus aquila bicipite</i>		<i>methodus conjeclandi mores</i>	
<i>in sigillis usus.</i>	349	<i>commendata.</i>	378
Wester-Hembde, <i>vocis, etymologia.</i>	512	<i>monometron.</i>	384
Wexyonii (Mich. O.) <i>Descr. Succia re-</i>		<i>anemometron.</i>	385
<i>cusa.</i>	350	<i>Experimenta commendata.</i>	382
<i>Rota fortuna.</i>	351		505
<i>nobilitas & officia.</i>	351	<i>elogium.</i>	508
Wielingii (Abr.) <i>in Donatum merita.</i>	254	<i>quenam sint in Philosophiam</i>	
S. Wilhelmi <i>Constitutiones Hirsaug.</i>	307	<i>merita?</i>	457
<i>de disciplina Eccl. merita.</i>	307	<i>adversarii.</i>	455. 457
S. Willibaldi <i>vita.</i>	2. 83	<i>notati.</i>	136
S. Willibordi <i>scripta varia.</i>	2	<i>defensores.</i>	464
Windbergense <i>Chronicon.</i>	84	<i>mos scribendi.</i>	458
Wipponis <i>Panegyricus Henrici III.</i>	83	<i>methodus scribendi.</i>	459
De Witt (Jo.) <i>gesta.</i>	15 sq.	<i>dogmata a Spinozianis diver-</i>	
<i>studium juvandi Remp.</i>	16 sq.	<i>sa.</i>	459
De Wittio (Jo.) <i>judicium.</i>	18	<i>Systema mum ex systemati-</i>	
Wolfius (Christ.) <i>cur agnoverit Philo-</i>		<i>bus Idealistarum & Materialistarum</i>	
<i>sophiae Sirensis praestantiam?</i>	239	<i>per harmonicam praestabilitam com-</i>	
<i>quid circa philosophiam pra-</i>		<i>binatis sit compositum?</i>	467
<i>eliam motus?</i>	239	<i>studium in harmoniam pra-</i>	
<i>refutatus.</i>	451 sq.	<i>stabilitam commendatum.</i>	533
<i>defensus.</i>	455 sq.	De Wolfii (Chr.) <i>Philosophia quin vi-</i>	
<i>qualem defensorem nactus?</i>	456	<i>deatur summis Theologis?</i>	459
Wolfii (Christiani) <i>Elementa Mathe-</i>		Wolfsteiniotum <i>Comitum Historia ge-</i>	
<i>ses commendata.</i>	120. 275	<i>nealogica.</i>	393
<i>Philosophia impugnata.</i>	134.	<i>Insignia de-</i>	
	453 sq.	<i>scripta.</i>	395
<i>vindicata.</i>	268. 259.	S. Wunibaldi <i>vita.</i>	2
	460 sq.		
<i>commendata.</i>	139	X <i>Enopiontis Cyropedia, historia</i>	
<i>Philosophiae utilitas & inno-</i>		<i>vera.</i>	217. 218
<i>centia.</i>	134 sq.	E Xiphilino <i>Dio Cassius restitutus.</i>	
			435 sq.
		<i>restitui potuerit?</i>	438
		E c c e 3	S. Zacha-

INDEX RERUM.

S. Z achariæ Pont. scripta quedam.	1	Zeni (Apost.) Bibl. Scriptorum Vener. promissa.	299
Zainpoāngō in Solem & stellas potestatem habet.	330	Vita M. A. Sabellici.	293
Zeni (Apostoli) encoīniūm.	289	Zeni (Petri Catharini) merita in scriptoribus Veneris.	295

Errata.

Pag. 9 lin. 1 lege IOYAIΕΩΝ, lin. 3 init. l. quibus, p. 128 l. 10 L Kauxdorffius, p. 203 l. 4 pro Olaum legè Christianum, p. 305 l. 1 pro qui lege qua, p. 350 l. 5 pro qua l. quibus, p. 487 l. 25 pro militiam l. militiam, p. 547 l. 16 lege relinquunt.

